5. 2. 73

JOHANNIS
DE
JOHANNE
SANCTÆ PANORMITANÆ ECCLESIÆ
CANONICI
DE
DIVINIS SICULORUM OFFICIIS
TRACTATUS.



PANORMI. CIↃIↃCCXXXVI.
In Officina Regii Collegii Borbonici Nobilium RR. PP.
Teatinorum Gramignani excudebat.

SUPERIORIBUS ANNUENTIBUS.

ILL. AC REVERENDISS.

CANONICORUM

CAPITULO

SANCTÆ PANORMITANÆ ECCLESIÆ

JOHANNES de JOHANNE.

QUis illo uno Fr. D. Matthæo Baſile , Panormitanæ noſtræ Eccleſiæ Præſule Illuſtriſſimo ingenio ſublimi , maturo judicio , cana prudentia , eximia eruditione optimè præ-

dito vel aptior, vel nobilior, Viri praeclarissimi, exiguae hujus lucubrationis appellari Patronus debuerat? Cui enim illius Urbis regenda Ecclesia contigit, quae Siciliensium omnium Caput, & Metropolis est, ei quoque hanc de ecclesiasticis Siculorum Officiis Historiam inscribi meritò debuisse, nemo ibit inficias; qui praesertim eum Operis nostri adjutorem fuisse non ignorat: quando enim levi, ut ita dicam, cymba magnum eruditionis Siculae oceanum navigans, deterrito animo, impares suscepto oneri vires subtrahere meditabar, manum ille auxiliatricem admovit ita, ut tunc rem prosperè in portum ducere sperarem, & nunc, editis jam laborum primitiis, non frustrà speravisse prospicerem. Sed quoniam ille, Opere sub praelo existente, terram cum coelo commutavit, quod susceperam consilium, & ipse in illud mutavi lubenter, quo melius, continens se intra fines hos animus meus, à fortuna non postulat. Vobis enim, in quo sua potestas, & merita, meaque haudquaquam desiderantur officia, Tractatum hunc devovere volui, & voluisse debui: utpotè cum alumni vestri esset, & ad ritus Ecclesiae vestrae potissimùm

mùm ſpectaret . Eò vel maxime quòd tanta eſt Illuſtr. hujus Capituli in omnium mentes invecta opinio , ut neminem confido eſſe , qui mihi præclaris ſub ejus auſpiciis difficillima aggredienti omnia non improſperè obventura fore inficietur : quippè plures nullo non ſeculo tulit Heroes clariſſimos : quorum unos inter Præſules illuſtres , alios inter purpuratos Patres , non nullos inter Beatos Cives , plures inter Hiſtoricos doctiſſimos reveritur Catholicorum Orbis . Quos omnes ſatis abundè Vos refertis hodiè , dum omnium laudabiliter , & admiranda veſtigia premitis , & illuſtria facinora æmulamini . Veſtræ itaque comitatis erit , hocce munus vilius , & ignobilius , quàm magnitudinem veſtram decet , in perenne grati erga Vos animi monumentum benigniſſimè accipere .

Dabam Panormi ex ædibus meis die x. Auguſti anno Domini MDCCXXXVI.

PRÆ-

PRÆFATIO.

I. Quidquid ex occupationibus meis rapui, furatusque sum otii, id penè totum rebus patriis è prolapsæ vetustatis ruderibus vindicandis impendere, consilium fuit: post tritam itaque mediocrem temporis, ætatisque meæ partem in excutiendis Siculasum Bibliothecarum angulis, Urbem hanc florentissimam, primam Regum, ac sapientissimorum Virorum Sedem, adjutorem hujus negotii se mihi adhibente amitino nostro dilectissimo, Francisco Paladino, Regio tùm Consiliario, ac Tribunalis Sacræ Regiæ Conscientiæ Judice, adire festinavi, intelligens ex S. Gregorio Magno (a) utilem semper esse docti viri allocutionem: *Quia aut discit audiens quod nescire se noverat, aut cognoscit. quod est amplius, id quod se & nescisse nesciebat.* Cùm igitur primùm huc me contulissem, optimos frequentare eruditorum congressus non prætermisi, potissimùm Accademiæ Comitis Petri Filingeri, Principis S. Flaviæ, viri omni commendatione dignissimi; cui priscam Siciliæ quasi formam è carie, ac tenebris erutam proferre in lucem curæ est.

II. Ex multis Historiæ partibus, quæ mihi in ipsa Accademia publicè exponendæ commissæ sunt, prima illa, quæ ad divina Siculorum Officia attinet: quamobrem, ut suscepto muneri pro viribus facerem satis, de Siculorum disciplina in divinis adhibita Officiis quidquam vel attingere meditabar; verum tales, tantæque inter agendum oc-

(a) *Lib.* 8. *Epist.* 29. aliàs *Lib.* 7. *Epist.* 29.

occurrerunt notitiæ, quibus prætermissis, incompta, nudaq; videretur descriptio, ut in quem vides Tractatum incautus penè, atque invitus sim prolapsus.

III. Cave dicas paginis istis nullum omnino esse locum post Card. Bona, Edmundum Martene, Petrum le Brun, aliosque viros doctissimos, qui de divinis Officiis uberrima satis Commentaria concinnarunt: nam quæ dici poterant ii non præripuisse mihi, sed aperuisse potius videntur: cùm ne unus quidem ad particulares Siciliæ ritus descenderit; sed universam ecclesiasticarum Precum Historiam ad unum prosecuti, nobis provinciam nostram, velut partem aliquam magni hujus agri colendam reliquerunt.

IV. Noster hic labor tempori suo cum ecclesiasticis Siculorum Annalibus, quos non animi, sed valetudinis defectu lentè molimur, edendus erat; ut autem illum quantociùs publici juris faceremus, repetitis Amici instantiis non semel institerunt; quibus tandem cedendum non imprudenter duximus, rati utile quidem esse laborum nostrorum hoc qualecumque specimen toti proferre Eruditorum orbi, undè corrigi, admoneri, emendarique possemus.

V. Ut autem recto, ut decet, procedatur ordine, universam argumenti nostri materiam in quinque tribuere ætates duximus: quarum una quatuor secula priora amplectitur; altera totidem inde sequentia; faustus tertiam Nortmannorum in Siciliam claudit adventus; quartam Pontificatus S. Pii V. postremam autem præsens hic dies. Quinque istæ ætates duobus supra quinquaginta continentur Capitibus: prima scilicet quatuor comprehenditur, tribus secunda, quatuor tertia, quar-

quarta ceteris uberior à duodecimo ad quinquagefimum excurrit, duobus poſtremis quintæ relictis. Ad calcem Tractatus duplicem juxta eandem Diſciplinam Gallo-Siculam in lucem emittemus Miſſam: alteram ex Codice Panormitano ſexcentis annis antiquiore; alteram ex tribus Miſſalibus Libris Eccleſiæ Meſſanenſis. Prolixiorem de toto Opere Præfationem contexere faciliùs poſſem, & forſitan deberem; ſed hoc ſupervacaneum futurum eſſe putavi: nàm qui mox ſequitur Capitum Index quid hoc in Opere ſit præſtitum omnibus monſtrabit abundè.

CEN-

CENSORUM

APPROBATIONES

IMPRIMATUR.
Archid. Stella V. G. S. V.

I.

Jucundè non minus, quàm diligenter evolvi librum, cui titulus: *Johannis de Johanne S. Panormitanæ Ecclesiæ Canonici de Divinis Siculorum Officiis Tractatus*. Fateor sane auream lucubrationem præclarissimi Auctoris expectationem meam vicisse nihilomnino. Exploratæ siquidem cùm modestiæ, tùm virtutis virum, plenamque omnigenæ eruditionis mentem quidni luculenter ructasse crederem, quæ diu, & affatim è sacris fontibus biberat? Divinæ Liturgiæ, atque Ecclesiasticæ Psalmodiæ ritum, quo à primis Ecclesiæ seculis ad hanc usque diem Sacra in Sicilia procurari mos fuit, Siculis ferè omnibus veluti Nilum, arcano capite, defluxisse verecundè quidem, sed ingenuè non imus inficias. Solertissimus Auctor ecclesiasticos Siciliæ fastos diligenter emensus, vadum primus exploravit, quod feliciter adeo emersit, ut nihil in toto Opere sit invenire, quod ab Ecclesiæ sanctissimis scitis, castisque ceremoniis aliquando deflectat: nihil quod orthodoxam fidem, & gerendorum regulas vel non sanctè prædicet, vel non abundè promoveat. Quapropter quantum ecclesiasticæ eruditionis intersit, ut Opus hoc cedro potiùs, quàm prælo dignum quamprimùm publici juris fiat, emunctæ naris hominum judicium esto. Ego sane quin rei literariæ amatores vicem nostram gaudeant nullus dubito.

Panormi ex meis ædibus XIII. Calendas Septembris MDCCXXXVI.

Laurentius Canonicus Migliaccio Ecclesiastici Fisci Patronus, & Librorum Censor.

IMPRIMATUR.

Terrana F. P.

I I.

TRactatus Canonici Johannis de Johanne *de Divinis Siculorum Officiis*, quem justu Spectabilis Isidori Terrana Fisci Patroni diligenter, & mira cum animi mei jucunditate perlegi, dignus omnino est, ut in publicam lucem prodeat, non solùm quia nihil invictissimi Regis nostri juribus, Regnique legibus contrarium exhibet; verum etiam quia non vulgarem, nec passim obviam ecclesiasticam eruditionem, sed reconditas, abstrusasque sacræ apud Siculos Liturgiæ, ac Psalmodiæ memorias ab ultima antiquitate derivatas, & per omnes ætates ad nostra usque tempora deductas continet; variaque profert, ecclesiastica monumenta, quæ vetustate obsita, delitescebant, quæque temporis injuriâ demum periissent, ni oppurtunè doctissimi Auctoris mira, ac singularis in illis perquirendis, ac comparandis diligentia præsto fuisset.

Panormi ex ædibus meis x. Calendas Septembris MDCCXXXVI.

Franciscus Canonicus Testa.

IN-

INDEX

CAPITUM

Ordo

Ri-

DE

XVI

DE DIVINIS SICULORUM OFFICIIS

TRACTATUS:

PRECUM Ecclesiasticarum studio nullam Christianæ Religionis ætatem vacuam fuisse, plures adire testes possumus, unde hoc liquidò pateſiat: occurrunt enim Scriptores, & numero plures, & auctoritate graves, quorum de celebrandis Officiis divinis, deque ceremoniis in celebratione adhibendis, ab ultima antiquitate ad nostra usque tempora, mira consensio reperitur; at ætatibus tamen omnibus unam divinorum Officiorum rationem fuisse, illorum nemo unquam dicere ausit: imò potius ritus, linguam, ceremoniasque, pro locorum, temporum, gentiumque diversitate, diversa professi sunt: hinc celebre monitum illud Ambrosii ad Augustinum, & Augustini ad Januarium variis Ecclesiarum ceremoniis offensum: (a) *Ad quam fortè Ecclesiam veneris, ejus mo-*

(a) *Epist. S. August.* 54. aliàs 118. n. 3.

jem serva , si cuiquam non vis esse scandalo , nec quemquam tibi .

Nobis autem omnium Ecclesiarum ritibus operam nostram devovere, haud in animo fuit, ne post tot editas hocce de argumento lucubrationes , cramben malè recoctam, ut ajunt, delicato Criticorum palato objicere videremur: iccirco quem in Liturgia, & in Psalmodia, Sicilia morem adhibuit , nostrum in censum solummodo venire intelleximus. Quod argumenti genus, vel primis quidem labiis eorum prægustavit nemo, qui ad illustrandam Ecclesiæ Siculæ historiam antehàc animum impigrè intenderunt : quamobrem tibi non benè fortassis digestum Opus istud videri , vix , & ne vix quidem dubitamus; nihilominus cave de indiligentiæ vitio nobis succenseas: novam quippe provinciam nulli adhuc perviam aggredi, atque intentato defungi periculo, arduum est opus non omnium viribus datum . Operæ igitur pretium facturus mihi videor, si Lectoris industriæ ad uberiorem , accuratioremque Tractatum quadantenus viam aperiam, ea tantùm laude contentus, quod vadum intraverim , etsi feliciter non emerserim.

CA-

CAPUT I.

Primis quatuor Seculis ad celebranda Officia divina, præter S. Scripturam, nullos libros Siculi habuerunt.

I. QUibus Ceremoniis in celebranda Synaxi primis quatuor Seculis Sicula studuerit Ecclesia, conjicere quidem possumus, sed certò assequi non audemus. Si me conjectura mea non fallit, Majoribus nostris, præter Sacram Scripturam, nullus omninò fuit Ecclesiasticus liber; atq; ita quos ætas illa reverebatur ritus, & celebrabat preces, ore tantùm acceptâ traditione, manasse in Ecclesiam, nobis ita probatur, ut in eam concedere sententiam haud dubitemus, tum ex Patrum illorum auctoritate, qui assertioni favere nostræ minimè dedignantur, tum ex ipsa Liturgiæ Hymnodiæque forma, quæ talibus Seculis ejusmodi erat, ut unâ Scripturâ divinâ extiterit contenta.

Nullos, præter divinam Scripturam, primævam Ecclesiam adhibuisse libros, Patres testantur.

II. Quapropter jam illud videamus, quod primo proposuimus loco. De iis Tertullianus (a) vehementer conqueritur, qui librorum patrocinium semper expostulare sibi constituunt. Hinc descripto Baptismatis ritu, ostensis Eucharistiæ ceremoniis, aliarumque rerum Ecclesiasticarum expositis observantiis, *harum*, (inquit) *& aliarum ejusmodi disciplinarum, si legem expostules scripturarum, nullam invenies: Traditio tibi prætendetur auctrix, consuetudo confirmatrix, & fides observatrix.*

Tertullianus.

A 2 III. Ter-

(a) *Lib. de Coron. Milit. cap. 3. & 4.*

S. Basilius. III. Tertulliano testis accedit S. Basilius *(a)* qui sibi, & fidelibus omnibus ex sola traditione Ecclesiasticas innotuisse ceremonias asseverat. Atque de precibus parascevasticis, accessoriisque consecrationis expressiùs agens, & invocationis verba dum panis ostenditur Eucharisticus, poculumque exponitur benedictionis, & alia præter quæ enunciat divina Scriptura, veluti magnum robur ad sacra mysteria habentia, & ante, & post consecrationem adhibita, Sanctorum neminem legibilibus mandasse litteris affirmat; ac aliunde, quàm *ex doctrina, scripto non prodita, assumpta* esse, cordatè negat.

S. Hieronymus. IV. Qui B. Hilarionis historiam descripsit, S. Hieronymus, *(b)* nostrum inargumentum magnam quoque confert auctoritatem. Refert, Dei servum ad declinandam hominum gloriam, Siciliam adjisse, nihil omnino secum ducentem, *excepto illo Evangeliorum Codice, quem manu sua adolescens scripserat, & his quibus* ipse, & qui cum eo unà venerat Gazzanus, *vestiti erant*. Non enim Codices secum vir monachus, & monachorum Abbas in itinere, atque inde *in quodam Siciliæ deserto agello* afferre detrectaret, si quem secum detulit non scriptum propriæ memoriæ Codicem, scriptumque Evangeliorum librum, sufficiens non esset, ad ecclesiasticas preces devotè, ac commodè persolvendas.

Innocentius Papa I. V. Consonat his Innocentius Papa Primus, *(c)* qui animadvertens, non adhuc fidelibus in re-

(a) *Lib. de Spirit. Sanct. cap.* 27.
(b) *In Vita S. Hilarionis Tom.* 4. *par.* 2.
(c) *Epist. ad Decent. Episc. Eugub.*

religionem veniſſe, à rituum varietate abhorrere, hortatur, ut Eccleſiaſtica Inſtituta Siculi conſervarent ita, ut deductâ à S. Petro traditione, Romanorum ſarta tecta detinebat Eccleſia: cum ſit manifeſtum, nullum Siculas inſtituiſſe. Eccleſias, niſi *quos venerabilis Apoſtolus Petrus, aut ejus ſucceſſores conſtituerunt Sacerdotes*. Hæc autem Inſtituta, traditione non ſcripto proditâ, apud Romanos conſervata eſſe, ipſe idem Auctor ſatis verborum demonſtrat; nam Decentium alloquens, non ſemel tantùm eum Romam adjiſſe, ac ſecum in Eccleſia conveniſſe, ad mentem revocat. Hinc latere eum non debere, inquit, *quem morem, vel in conſecrandis myſteriis, vel in cæteris agendis arcanis* Romana tenet Eccleſia, ut ad iſtius exemplar Eccleſiam ſuam informare commodè poſſet.

VI. Nobis optimam quoque fidem conciliat S. Gregorius ille Magnus; æquo is non tulit animo, Siculos in novam Scholaſtici formulam turpitèr prolapſos ab antiqua Apoſtolorum inſtitutione turpiùs diſceſſiſſe. Hinc ad Syracuſarum Antiſtitem Johannem Epiſtolam (*a*) dedit, ubi hæc inter alia, & *valdè mihi inconveniens viſum eſt, ut precem, quam Scholaſticus compoſuerat, ſuper oblationem diceremus, & ipſam traditionem, quam Redemptor noſter compoſuit, ſuper ejus corpus, & ſanguinem taceremus*. S.Gregorius Magnus.

VII. Nec abſunt, ut confido, a Patrum cætu B. Eupli Martyris noſtri Acta, & ipſa ſincera, & genuina ſatis. Quippè nos fideli erudiunt Hiſtoriâ, propoſito Diocletiani de comburendis libris Anonymus Auctor Actorum S. Eupli Diaconi, & Martyris.

(a) *Lib. 9. Epiſt. 12.* aliàs *lib. 7. Epiſt. 64.*

bris ſacris edicto, unum ſolum Evangeliorum Codicem apud Dei ſervum fuiſſe inventum, quamvis ei diaconalem non deſuiſſe dignitatem expreſſiùs aſſeverarent. *(a)*

VIII. Patrum teſtimonia hæc adeò clara nobis viſa ſunt, ut longè ſimiliùs vero putemus, ſcriptis divinæ Liturgiæ formulis, primitivam Siculorum Eccleſiam minimè ſtuduiſſe; ſed omnes incruenti Sacrificii ceremonias non ſcriptâ traditione apud ſe habuiſſe; Quod eò præfidentiùs fateri debemus, quò magis nos jam non latet ex Vigilio Papa: *(b) Ordinem precum in celebratione miſſarum, nullo tempore nullâ feſtivitate* Eccleſiam habuiſſe *diverſum; Sed ſemper eodem tenore oblata Deo munera conſecraſſe*. Quippe Superior vidit ætas, videt etiam & noſtra, eandem ſemper Miſſæ formulam cæcos Sacerdotes adhibentes, nullis Codicibus uti: Si itaque de Miſſalis uſu paucorum utilitati conſulens, non eſt hodie ſollicita Eccleſia, quid debacchantibus in Chriſtianos Tyrannis, quando liber iſte periculo erat Catechumenis? Incommodo Chriſtianis? Infidelibus ſcandalo? Gentibus ruinæ? Sanè fidelibus, ſæviente perſecutione, *Ager, ſolitudo, navis, ſtabulum, carcer, inſtar templi, ad ſacros Conventus peragendos fuit*. Verba ſunt Dionyſii Alexandrini *(c)*

Unus Feſtivitatibus omnibus Miſſæ ordo.

Perſecutionum tempore ubivis divina celebrabatur Synaxis.

IX. Enim vero in ergaſtulis divinum offerre Sacrificium Presbyteros conſueviſſe, nos ulterius docent Acta Sanctorum Proceſſi, & Martiani, Cle-

(a) *Apud Ruinart. Act. Sincer., & ſelect. Martyr.*
(b) *Epiſt. ad Eutherium.*
(c) *Apud Euſeb. Hiſt. Eccleſ. lib. 7. cap. 22.*

Clementis Ancyrani, aliorumque Martyrum passim: quomodo itaque Missam ritè, ac commodè ii celebrabant candidati Martyres carceri mancipati, exules, atque extorres, si de adhibendis libris, & apostolicum eos urgebat monitum, & ethnica terrebat prohibitio? Faciunt etiam quæ à Mombritio primùm, tùm à Bollandi Continuatoribus (a) excusa sunt Acta S. Apollonii Brixiensis Episcopi: nam genuinâ nos docent historiâ, Dei Servum vinculis detentum, ad celebrandam Missam intendisse, necessaria quæque ad id suppeditante de cœlis Deo; verùm posteaquam de Calice, Pane, Luminariisque memoriam faciunt, ne verbum quidem de Missali habent, qua apparitione sua, & ipse quoque Deus eam veritatem mentibus insinuat nostris, quam legentium animis ab initio persuasimus: idest quatuor seculis primis apud Fideles Missalis usum minimè valuisse.

X. Ceterum opposita nobis de Missalis usu opinio, ideo altas in aliquorum mente defixit radices, quia valde persuasum illis fuit, Ecclesiis certas Sacrificii formulas non voce tantùm, verùm & scripto ab Apostolis traditas esse; quamobrem multas Apostolorum inscriptas nominibus laudant Liturgias: præcipuè SS. Petri, Matthæi, Marci, & Jacobi; ex quibus apud Siculam Ecclesiam illa S. Petri valuisse videtur: cum ab Innocentio Papa Primo (b) pulchrè scriptum sit, eos Siculam instituisse Ecclesiam, *quos Venerabilis Apostolus Petrus, aut ejus successores constituerunt Sacerdotes*: partim scilicet cùm

Explodun- tur Liturgiæ Ss.Petro, Mattheo, & Jacobo attributæ.

(a) *Act. Sanct. mensis Junii die* 7. §. 2. *n.* 12.
(b) *Epist. ad Deccnt. Episc. Engub.*

cùm ipſe Apoſtolorum Princeps Antiochiæ agens, Siculis præmiſit: partim cùm Romam navigans, in Sicilia præſens inauguravit; quemadmodum exponit, qui ſub Metaphraſtis nomine excuſus eſt Commentarius *(a)* peregrinationum SS. Petri, & Pauli, inquiens, quod Apoſtolorum Princeps S. Petrus, poſteaquam Antiochiæ Pancratium, & Marcianum Siciliæ Epiſcopos inauguraſſet, *ad Siciliam navigavit*; cumque apud quem præmiſerat, Pancratium Tauromenii diverſatus eſſet, Maximum quemdam catacheſi probè inſtructum baptizavit, delegitque Epiſcopum. Ex quo, aliiſque ſacræ vetuſtatis monumentis, illa inter alias Octavio Cajetano *(b)* conjectura in mentem venit, quæ à vigili tanti Apoſtoli ſolicitudine aliena equidem non eſt: videlicet ipſum D. Petrum, *dum Tauromenii ageret, pro Sicula Eccleſia Deo Patri incruentum Sacrificium obtuliſſe.*

XI. Verùm enim vero hujuſmodi, & reliquæ id genus Liturgiæ, ſcripto proditæ, non ſua tantùm perſuaſione, ſed & multiplici rationum apparatu genuina Apoſtolorum opera eſſe, cordati noſtri temporis Critici unanimi negant ſententia; atque hæc una ex veritatibus illis eſt, de quibus concorditer ſtabiliendis cum Catholicis unà conveniunt Hæretici. Vide ſis ex Catholicis Tillemont *(c)*, Martene *(d)*, Du Pin *(e)*, Morer *(f)*, Le

(a) *Apud Surium, & Socios Bollandianos die* 29. *Junii.*
(b) *Iſagog. ad Hiſt. Sicul. cap.* 18. *n.* 3.
(c) *Hiſt. Eccl. Tom.* 1.
(d) *De Antiqu. Eccleſ. Ritib. lib.* 1. *art.* 1. *n.* 3.
(e) *Bibliotb. Eccleſ. Tom.* 1. *pag.* 8. *& ſeq.*
(f) *Dictionar. Hiſt. Verbo* Liturgia.

Le Brun (*a*); ex Hæreticis Andream Rivetum (*b*), Guilielmum Cave (*c*), Casimirum Oudin (*d*). Suppositionis argumenta contra hujusmodi Liturgias maximè plura sunt; quæ illas neque Apostolorum, nec ævi Apostolici esse, liquidò satis ostendunt. Sed ut nos ad munus nostrum, nostrumque pensum revocemus, non nisi ac ad examinandam illam S. Petri, quæ Majoribus nostris usui fuisse videtur, mentem adjicimus. Eam enim Principis Apostolorum fuisse, nullus omninò credit, *qui noverit verum à falso, & proprium ab alieno discernere*; ut gravissimè monuit Johannes Cardinalis Bona (*e*), & ipse minùs alioquin severus Censor, utpotè qui in defendenda S. Jacobi Liturgia nimis indulgens esset. Porrò antedictæ S. Petri Missæ imposturam detegunt, altissimum de ea per mille quingentos, & ampliùs annos Scriptorum omnium silentium; quæ Sanctorum Sixti, Cornelii, & Cypriani depromit nomina; Canon Romanus ei insertus, quem Scholasticum pro spissò concinnasse, refert S. Gregorius (*f*); Orationes sanè quamplures ex ejusdem S. Gregorii Sacramentario, atque ex Liturgiis, SS. Basilio, & Chrysostomo adscriptis, excerptæ; Preces pro Patriarcha, & religioso Imperatore piissimè effusæ; atque vox Θεοτόκος *Mater Dei*, quâ si verè usus esset S. Petrus, non uti-

(a) *Rerum Liturg. Tom. 2. ar. 2.*
(b) *Critic. Sacr. lib. 1. cap. 13.*
(c) *Hist. Liter. Script. Eccles. in Sancto Jacobo.*
(d) *De Script. Eccles. Tom. 1. in S. Jacobo.*
(e) *Rerum Liturg. lib. 1. cap. 8.*
(f) *Ad Johann. Episc. Syracusar. lib. 9. Epist. 12. aliàs lib. 7. Epist. 64.*

que in Concilio Ephesino ad jugulandam Nestorii hæresim, Patres allegare prætermisissent. Sed argumento primo de præstanti Patrum auctoritate exposito, rei ordo jam postulat, ut alterum de Liturgiæ, Psalmodiæque forma subjiciamus.

CAPUT II.

Primis quatuor Seculis, quæ fuerit Liturgiæ Siculæ forma.

I. DEinceps, ut propositum erat, de Liturgiæ, & Acoluthiæ forma dicatur. Vehementer fallitur, simulac fallit, qui priscos mores recentiori metitur observantiâ, ac veterem disciplinam hodiernæ assimilat praxi. Nec is de Sacra eruditione benemeretur, qui plusculùm, quàm par est, aut antiquitati indiscretè detrahit, aut novitati facilè indulget. Etsi Christianis nullo non seculo religio fuerit de persolvendo divinarum Precum tributo; Attamen Missæ, & Officii apparatus quatuor Seculis primis talis erat, qualis uno divinæ Scripturæ libro absolvi fermè potuerit. Idque ut appareat manifestiùs, de utroque separatis agere Capitibus studuimus; quorum præsens, Missæ ritum, sequens autem, Officii formam amplectitur.

Primævæ Missę brevitas Veterum testimoniis firmata.

II. Ad Missæ apparatum quòd attinet, Episcopis Siculis in ipso jam nascentis Ecclesiæ exordio oblationis Hostiam brevi formulâ consecrare, mos fuit. Ab Apostolis, quorum erant discipuli, sumpserant exemplum; apud quos solâ Orationis Dominicæ recitatione divinam confice-

ficere Euchariftiam, ufus invaluit. Hinc quòd in Siculorum poftea Ecclefias abufus irrepferat, ut prorfus omiſsâ Oratione hac, novæ recitarentur preces; S. Gregorius Apoftolicæ difciplinæ vindex, datis ad Siculos de recitanda Oratione Dominica mox poft precem, ordinationibus, ad reftituendum morem priftinum totus incubuit, illam Sanctionis fuæ rationem reddens, quæ argumenti noftri probatio eft (*a*): *Quia mos Apoftolorum fuit, ut ad ipfam folummodò orationem oblationis hoftiam confecrarent*. S. Gregorius Magnus.

III. Qui eâdem floruerunt tempeftate Walafridus Strabo (*b*), & Remigius Antifiodorenfis (*c*) conftantem Veterum traditionem fuo comprobant teftimonio. Et primus quidem apertè innuit, Liturgiam olim Chriftianos ita celebraviffe, ut Parafcevafticam ætate fuâ celebrabant Romani: *ideft præmiſsâ Oratione Dominicâ, & ficut ipfe Dominus nofter præcipit, commemoratione paffionis ejus adhibitâ*. Alter verò Apoftolicam Miffæ formulam exhibens, eam fuiffe breviffimam teftatur dicens: *In Miffa tres tantummodò Orationes in initio fidei proferebantur, incipientes ab eo loco, ubi dicitur: Hanc igitur oblationem*. Walafridus Strabo. Remigius Antifiodorenfis.

IV. Nec ab antedictis diffentit Berno Augienfis Abbas (*d*): *Igitur* (inquit) *in exordio nafcentis Ecclefiæ non eo, quo nunc modo, vel ordine, facra celebrabantur Miffarum folemnia*; atque teftimonio antedicti S. Gregorii proximè hæ- Berno Augienf. Abb.

B 2

(a) *Lib. 9. Epift. 12.* aliàs *lib. 7. Epift. 64.*
(b) *De reb. Eccl. cap. 22.*
(c) *De celeb. Miffæ lib. 1. in princ.*
(d) *De reb. ad Miffæ Offic. pertinentib. cap. 1. in princ.*

hærens; apud Apostolos; Apostolicosque Viros morem illum invaluisse refert, *ut ad ipsam solummodò Orationem* (Dominicam) *oblationis Hostium consecrarent*.

Honorius. V. Ab his minimè abjungendus est Honorius, vel quisquis Auctor sit Libri *Gemma Animæ* (a), qui primarium Missæ institutorem Dominum Jesum fuisse narrat, quando Eucharisticum confecit Sacramentum, *& memoriam sui suis celebrare præcepit*. Quem apparatum simplicissimum indè *Apostoli auxerunt, dùm super panem, & vinum* ultrà consecrationis verba, *Dominicam Orationem dixerunt*.

Brevitatis rationem S. Augustinus assignat. VI. Patres hactenus laudati; etsi ad rem contestandam sufficerent planè; his tamen omnibus longè præstitit unus S. Augustinus (b). Hic ad persuasionis effectum nedum magnâ movet auctoritate, verum & perspicuâ impellit ratione. Fatetur enim Ecclesiam in celebratione Missarum sibi sequendum putasse grave illud Apostoli (c) monitum de non omittendis ad optanda bona precationibus, deprecationibusque ad evitanda mala; idque non multiplici precum apparatu, sed eâ tantùm unâ Oratione Dominicâ absolvisse asseverat, quæ utrumque mirabiliter amplectitur: *Quam totam* (inquit) *petitionem ferè omnis Ecclesia Dominicâ Oratione claudit*.

Quomodo in Missa dicebatur à Siculis Oratio Dominica. VII. De ritu autem, quo ista Oratio Dominica diceretur à Siculis, atque ab omnibus Christi Fidelibus, in Romano Patriarchatu consti-

(a) *Cap.* 86.
(b) *Epist.* 149. aliàs 59. *ad Paulinum n.* 16.
(c) 1. *Tim.* 2. 1.

ſtitutis, audiendus eſt S. Gregorius ſuperiùs laudatus (a); volens enim eorum declinare querelam, qui vitio vertebant ei, quòd Græcorum conſuetudinem æmulatus, in Latina Siculorum Eccleſia Orationem Dominicam mox poſt Canonem dici ſtatuerat, in hoc Græcorum morem non ſequi, neque imitari ſe defendit, utpote cùm ex ordinatione ſua apud Siculos Orationem Dominicam ſolus Sacerdos recitaret; quando, *apud Græcos ab omni populo dicitur*.

Miſſæ forma poſt primumSeculum quadantenus aucta.

VIII. Concedimus ultrò, quòd ſucceſſivis deindè temporibus Miſſæ formam Eccleſia adhibuerit longiorem præ ſuperiùs expoſitâ, prout commodè ſatis inſpici poteſt apud Sanctum Juſtinum Martyrem (b), qui primus illorum eſt, quorum ſcripta poſt Apoſtolica tempora ad nos pervenerunt. Id tamen argumento noſtro nil planè derogat: Nam religioſum Ceremoniarum auctarium tale fuit, quale priſtinam diſciplinæ brevitatem magnoperè non vulneraret. Quod apparet manifeſtè, ſi ex hodierno Miſſæ ritu additamenta præcidas, quorum inſtitutio Cæleſtino, Damaſo, Gelaſio, Gregorio, aliiſque Romanis Pontificibus, quarto Seculo recentioribus adſcribitur. Conſulendus hac de re eſt Stephanus Eduenſis Epiſcopus (c), vir antiquitate, & eruditione venerabilis; Antequam, inquit, Miſſæ Sacrificio ad ornatum, & decoratum Eccleſiæ quædam adderent Cæleſtinus, & alii illo recentiores Romani Pontifices, *ſinè aliquo ornatu fiebat Cano-*

(a) *Lib.* 9. *Epiſt.* 12. aliàs *lib.* 7. *Epiſt.* 64.
(b) *Apolog.* 2. *circa finem*.
(c) *De Sacram. Altaris cap.* 10.

Canonis Mysterium; postea cum Canone legebantur Epistola, & Evangelium.

IX. Ad cujus rei confirmationem plurimùm valet auctoritas ejus, qui post quartum Seculum proximè claruit S. Augustinus: describens enim priorem Liturgiæ partem, quæ Catechumenorum Missa dicitur, initium sumit à celebrantis salutatione, quæ Græcis est: *Pax omnibus*; Latinorum Episcopis: *Pax vobis*; Reliquis verò Sacerdotibus: *Dominus vobiscum*. Et cum hac ipsa Præsidis salutatione vix, hac autem detractâ, ne vix quidem aliquid legi innuit, quod Scriptura divina non sit. Pergit itaque Sanctus Doctor: (a) *Procedimus ad Populum, plena erat Ecclesia.... Salutavi Populum... facto tandem silentio, Scripturarum divinarum sunt lecta solemnia. Ubi autem ventum est ad mei sermonis locum, dixi pauca, pro tempore, & pro illius jucunditate lætitiæ*; Qui & testatum reliquit, qualiter hujusmodi Scripturarum solemnia recitabantur (b): *Primam lectionem* (ait) *audivimus Apostoli; Deinde cantavimus Psalmum; post hæc evangelica lectio decem leprosos mundatos nobis ostendit*.

Missa Catechumenorum

X. Altera divinæ Liturgiæ pars, quæ, & Missa dicitur Fidelium, minùs, minùsque scripto prodita fuit. Vigente enim in Ecclesia severiore disciplinâ de occultandis præcipuis Catholicæ Religionis mysteriis, Patres soliciti erant, quò ne summæ veritatis intelligentiam permixti populi multitudini prodentes, gravem illi injuriam facerent,

Missa Fidelium.

(a) *De Civ. Dei lib. 22. cap. 8. n. 22.*
(b) *Serm. 177. de Verbis Apostol.* alias 10.

rent, à quo mandatum acceperant sanctissimum: (a) *Non esse dandum Sanctum Canibus, nec margaritas projiciendas esse ante porcos*. Sanè Fidelium Missa duo præcipuè complectebatur: inenarrabile scilicet Trinitatis mysterium, & admirabile satis Eucharistiæ Sacramentum: utrumque Ecclesiasticâ Arcani disciplinâ compræhensum. Diù laborandum non est, ut Patrum testimonia de occultando olim Trinitais mysterio inquiramus, cùm vel unius Cyrilli Hierosolymitani (b) testimonium maximè clarum, sufficeret planè, unde qui Hæreticorum spinis, & vepretis inhærentes, hanc negant veritatem, ipsi se, vel corrigere possint, vel certè erubescere debeant; agens itaque de Trinitatis mysterio Symbolo contento: *non enim* (inquit) *Gentili cuiquam de Patre, & Filio, & Spiritu Sancto Arcana mysteria declaramus; neque palam apud Catechumenos de mysteriis verba facimus; sed multa sæpè loquimur occultè, ut fideles, qui rem tenent, intelligant, & qui non tenent, non lædantur*.

Trinitatis mysterium ex disciplinâ Arcani occultatum.

XI. Simili Patrum vigilantiâ occultabatur quondam Eucharistiæ Sacramentum. Id centena Patrum ita liquidò monstrant testimonia, ut de veritate ista cum Catholicis Hæretici (c) non convenire vereantur. Consulendus itaque est S. Athanasius (d), qui illud vitio vertit Eusebianis, quòd *quæstionem de Sanguine, & Corpore Christi habuissent* coram Præfecto, assistentibus

Eucharistiæ Sacramentum ipsâ eàdem Arcani disciplinâ comprehensum.

(a) *Matthæi* 7.
(b) *Catechef.* 6.
(c) *Apud Schelstrat. de disciplina Archani.*
(d) *Apolog.* 2.

bus Ethnicis, Judæis, & Catechumenis. S. Cyrillus mox laudatus (a) Catechumenos proximè baptizandos alloquens: *Sciunt* (inquit) *initiati vim hujus poculi; Scietis vos quoque paullò post.* S. Cyrillo proximè cohæret S. Johannes Chrysostomus (b). En ejus verba: *Eucharistiæ mysterium... initiati solummodò noverunt.* De aliis recensendis Patribus omni prorsus incommodo nos relevat S. Augustinus (c), cujus unius auctoritas pro mille valere potest, inquiens: *Quid est, quòd occultatum est, & non publicatum in Ecclesiâ? Sacramentum Baptismi, Sacramentum Eucharistiæ.*

Fideles Arcani disciplinæ addicti, occultanda mysteria Literis non committebant.

XII. Quo circa antiquis Patribus disciplina Arcani ita curæ erat, ut ab iis scribendis omninò abstinuerint, quæ Gentibus, Judæis paritèr, & Catechumenis in primo audentium gradu existentibus, revelanda non erant. Quamobrem Sozomenus (d) ultrò fatetur, se Symbolum Nicænum scribere omisisse: *quia verisimile est nonnullos, qui non sunt initiati mysteriis, hunc librum perlecturos.* Neque hoc solùm in Oriente, sed in Occidente quoque, & ubique usu receptum fuisse, patet ex S. Augustino (e), qui agens de eodem Symbolo, à quo Missa Fidelium petebat initium: *Symbolum* (inquit) *nemo scribit, ut legi possit; sed ad recensendum, ne fortè deleat oblivio, quod tradidit diligentia, sit vobis Codex vestra memoria.* Hæc S. Augusti-

Testatur Sozomenus.

S. Augustinus.

(a) *Catech. 1. ad Baptizandos.*
(b) *Hom. 27. in Matthæum.*
(c) *In Psal. 103.*
(d) *Hist. Eccl. lib. 1. cap. 19.*
(e) *De Symb. ad Catech. Tom. 6. pag. 548.*

stinus, quocum simul adest, & uno consonat ore S. Hieronymus (a): *Symbolum* (ait) *ab Apostolis traditum non scribitur in charta, & atramento, sed in tabulis cordis carnalibus*. Professus id quoque est satis expressè S. Petrus Chrysologus (b); cujus integram hìc transcribere sententiam Lectori gratum fore non dubitamus: *Accepturi ergo Symbolum . . . pectora parate, non chartam: sensum acuite, non calamum: & audita non atramento, sed Spiritu ministrante, describite: quia committi non potest caducis, & corruptibilibus instrumentis æternum, & cœleste Secretum; sed in ipsa arca animæ, & in ipsa bibliotheca interni Spiritus est locandum*. Hæc Chrysologus, cui illud ulteriùs haud in ultimis laudum est, quod ità non obscurè talis disciplinæ rationem præsentaverit, ut neminem nostrum lateat, primorum Seculorum Christianos à scribendi usu jure, ac merito abhorruisse: *Ne* (inquit) *profanus arbitrer, ne improbus quod dilaceret discussor, inveniat: & fiat ad contemnentis, & ignorantis ruinam, quod confitentis, & credentis donatum est ad salutem*. Quòd ad Liturgiæ apparatum attinet, hactenus: nunc ad exponendam Ecclesiasticæ Psalmodiæ formam transeamus.

S. Hieronymus.

S. Petrus Chrysologus.

C CA-

(a) *Epist.* 61. *ad Pammach. Cap.* 9.
(b) *Serm.* 58.

CAPUT III.

De Ecclesiastica quatuor Primorum Seculorum Psalmodia.

I. QUI ab antiquæ disciplinæ imagine propiùs abest, constanti semper forma Psalmodiæ obsequium Deo oblatum esse, denegat. Constat jam planè divinarum Precum disciplinam non ità olim fuisse, quàm nunc est; & nunc aliter esse, quàm olim fuit. Distinguendæ enim sunt ætates; ne hodiernæ, interturbata temporum serie, ea perperàm tribueretur idea, quæ rectiùs conveniret antiquæ; Nam moribus cum tempore immutatis, servatâ fidei formulâ, sacras quoque Ceremonias oportuit immutari. Quod igitur multiplici nunc agitur precum laude, sola olim agebatur Psalmorum recitatione. De hoc Testem exhibeo disertissimum, atque omni exceptione majorem Cassianum *(a)*; qui est Auctor, suborta antiquos inter Christianos diversitate, dùm pro nocturna, & vespertina Synaxi *alii quinquagenos, alii sexagenos Psalmos, nonnulli verò, nec hoc quidem numero contenti, excedi eum debere, censerent*, quæstioni finem miram imposuisse apparitionem, duodecim Psalmorum numerum indicentem.

Duodecim tantùm Psalmis constabant olim horariæ Preces.

II. Id planè confirmat, quod de magno Antonio, magnoque Paulo Monachorum disciplinæ addictis, senescente Seculo quarto, scripsit Palladius *(b)*: ideſt non aliâ formâ Sacras Deo Pre-

(a) *Monast. Institut. lib. 2. cap.* 5. & 6.
(b) *Hist. Lausiaca cap.* 28.

Preces Antonium persolvisse, nisi cujus recordabatur Psalmi, duodecies recitando: *Psalmum* (ejus verba exscribo) *psallit Antonius, quem noverat, cùm eum duodecies cecinisset, duodecies oravit, ut in hoc quoque Paulum probaret.* Indè de Paulo hæc statim subjungit: *Surgit rursùs, & facit duodecim orationes, & psallit duodecim Psalmos.* Hinc natum, ut ad servandum duodenarium Psalmorum numerum, antiqui Patres toti incumberent, illumque ad nostram usque ætatem universa custodit Ægyptus, & Thebais; nec aliundè, si Radulpho de Rivo (*a*) credimus, SS. Hieronymus, & Benedictus sumpserunt, ut iste omni nocte tàm de Tempore, quàm de Sanctis; ille verò primo nocturno Dominicali, & ceteris nocturnis ferialibus duodecim similiter Psalmos, quemadmodum nostro servatur tempore, præscriberent.

III. Equidem totam Ecclesiasticarum Precum vim in Psalmorum recitatione olim Ecclesiam constituisse, ii Patres ulteriùs innuere videntur, qui rem suis inspicere oculis meruerunt. Ex quibus totam classem ducit S. Ephrem Syrus (*b*): Est, inquit, Psalmus *præsidium timoris nocturni, requies à laboribus diurnis . . . vox Ecclesiæ*; quem sequitur S. Ambrosius (*c*), dicens: *Psalmus benedictio populi est, Dei laus, plebis laudatio, plausus omnium, sermo universorum, vox Ecclesiæ.* Tum addit: *Diei ortus Psalmum resultat; Ppsalmum resonat occasus.*

(a) *De Canonum observant. propos.* 10. *in Biblioth. Patr. Tom.* 26. *pag.* 295.

(b) *Tom.* 1. *pag.* 13.

(c) *Præfat. in Psalm.*

Id apertiſſimâ quoque atteſtatione inſinuat S. Leo Magnus (*a*), qui urgens contra Manichæos perperam delirantes, immaculatas precum hoſtias de altari cordis offerre Deo non licere, totius Hymnodiæ apparatum ad Pſalmorum recitationem reducit. Hæc ſunt ejus verba: *Pſalmos Davidicos, qui per univerſalem Eccleſiam, cum omni pietate cantantur, damnabili impietate auſi ſunt refutare*. Quod longè ante ipſum S. Leonem fecerat Concilium Antiochenum (*b*), ſumptâ occaſione à condemnatione Pauli Samoſateni, qui *Pſalmos in honorem Domini Noſtri Jeſu Chriſti cani ſolitos, quaſi novellos, & à recentioribus hominibus compoſitos abolevit*. Patribus his omnibus clarior eſt S. Hieronymus (*c*) qui Demetriadem Virginem erudiens, inquit: *Præter Pſalmorum, & orationis ordinem, quod tibi horâ tertiâ, ſextâ, nonâ, ad veſperum, mediâ noƈte, & manè ſemper eſt exercendum, ſtatue quot horis Sanƈtam Scripturam ediſcere debeas*.

Oratio Dominica unà cum Pſalmis recitata.

IV. Ex hac Hieronymi ſententia cave, ne in mentem tuam talis error irrepat, ut dicere audeas, propter ſaltem Orationem unà cum Pſalmis, juxtà tanti Doƈtoris ſenſum, ad divinos curſus recitandam, Codicem aliquem à Scriptura ſacra diverſum, in divinis celebrandis Officiis Veteres adhibuiſſe. Illa enim Oratio, quæ Pſalmos comitabatur, ſi Divo Ambroſio (*d*) fides, erat Oratio Dominica: nam agens de ſeptem ad precandum Deum ordinatis in Eccleſia horis, ac po-

(a) *Serm. 4. de Colleƈt. & eleemoſ.*
(b) *Apud Euſeb. Hiſt. Eccl. lib. 7. cap. 30.*
(c) *Epiſt. 8. ad Demetriad. Virg.*
(d) *Lib. 3. de Virgin. cap. 4.*

potissimùm de nocturna: *Volo* (inquit) *Psalmos cum oratione Dominica frequenti contexas vice.* Sanè singulas Divinæ Psalmodiæ Horas uniformi semper collectâ, ex Apostolica traditione concludere Veteres consuevisse, ipsamque Orationem aliam, quàm Dominicam, Salvatoris oraculo consecratam non fuisse, testem exhibeo Johannem Diaconum (a); qui & refert, hoc caussam dedisse, quamobrem ex multiplici Orationum apparatu indè disposito, nullam omninò acceptaret Lateranensis Ecclesia, quæ *reservans Apostolicam institutionem non nisi Dominicâ in officiis utitur oratione.*

V. Ex hoc ortum reor, ut antiquitùs qui totum Psalterium memoriter nesciret, ad Altaris ministerium non accederet prorsùs. Qua de consuetudine, cum aliis, & Gennadium fuisse sollicitum, refert Theodorus Lector (b). Unde notissimum est illud S. Augustini: vix nomen Sacerdotis mereri, qui Psalterium ignoravit. Quod absque ulteriori testimonio passim memorat, qui à nobis laudatus suprà est S. Hieronymus (c). Verba ejus referamus: *manè, horâ tertiâ, sextâ, nonâ, vespere, noctis medio, per ordinem, Psalterium cantabant. Nec licebat cuiquam Sororum ignorare Psalterium.* Unde quæso antiquis Patribus Personarum Ecclesiasticarum memoria curæ erat, nisi ut libri instar, ea esset; quà Deo preces offerre fermè potuerint in carceribus, & ubivis Codicum usui adhærire nequibant?

VI. Ex Cassiano superiùs laudato, intelligi etiam

(a) *Lib. de Eccles. Lateran. cap. 7.*
(b) *Lib. 1.*
(c) *In Epitaphio Paulæ.*

Non omnes, sed unus tantùm, ceteris audientibus, psallebat in Synaxi.

etiam potest, quâ formâ hujusmodi persolvebatur Psalmodia; non enim cantum alternis versibus, ut nobis mos est, sustinebant quotquot ad celebrandam convenerant Synaxim: *Sed sedentibus cunctis, & in Psallentis verba, omni cordis intentione defixis*, stans unus, in medio, *Psalmos orationum interjectione distinctos, contiguis versibus, parili pronunciatione cantabat*; Qui ubi longa lectione deficeret, alter succedebat, indè tertiùs, atque demùm quartus: Nam quantalibet convenisset multitudo, nunquam ampliùs, quàm quatuor psallebant in Synaxi. Et consuetudo hæc quatuor Seculis primis in occidentali viguit Ecclesia, utpotè quæ disciplinam alterni cantus pro spissò cognoverat, auctore Beato Damaso Papa, qui illam primùm, extrà tamen Monachorum peristyla instituit, vel à Sancto Ambrosio nuper jam institutam, pontificiâ firmam voluit auctoritate. Vide sis Johannem Cardinalem Bona (a).

VII. Nemo ex his non videt, divinam Psalmodiam, nihilo aliter, ac sacram Liturgiam quatuor Seculis primis Fideles, nullis adhibitis Codicibus, celebravisse. Quod & qui deinceps inficiari audebit, pervicax sit, oportet, aut rerum antiquarum omnino rudis; maximè posteaquam ad id animum intenderit, quòd ex scriptis Patrum quarto seculo non vetustiorum majori ex parte excerpta sint quæ hodiernum magnoperè onerant Breviarium. Et cùm illius ætatis disciplinam Siculam, talem fuisse, nullus referat, alteri tamen ritui, quàm communi Majores nostros studuisse, vero simile non videtur.

CA-

(a) *De divin. Psalmod. cap. 16. §. 10. sub n. 1.*

CAPUT IV.

Ecclesiasticus Linguæ usus quatuor Seculis Primis in Sicilia adhibitus.

I. VItio mihi verterent non uni, si Ecclesiasticam Siculorum Linguam minimè curioso obvolverem silentio. Non minùs enim vetere ritu, quàm prisco sermone Eruditorum orbis delectatur mirificè; de utroque itaque impigro studio, ac vigili curâ solliciti simus, oportet. In peragendis Sacris, Majores nostri neque latinam semper, nec græcam sectati sunt linguam. Nam servierunt græcæ, cùm illorum dominati non sunt Præsules Latini; & non servierunt latinæ, cùm illorum dominati sunt Præsules Græci. Neq; Græcanitati itaque in Sicilia semper cedit Latinitas, nec Latinitatem semper vicit Græcanitas.

II. Quà prima quatuor Secula spectat, Octavius Cajetanus (a) valdè persuasum sibi habet: *Linguam in tota Sicilia longè, latèque fusam, ac communem omnibus græcam extitisse*; Populo in foro, domique non modò, verùm & Episcopis, Sacerdotibus, & Clero in profanis, & sacris.

III. Verùm Cajetani placita, quæ amore veri alionquin reveriti sumus, nunc ob falsi timorem amplecti nequimus. Etenim rationis vi nos sentimus adactos, ne pro Seculis illis Latinitatis prorsùs obliti, Græcanitatis solummodò recordemur. Dicendum iccircò est, ab aureis Apo-

Quatuor primis Seculis quâ Linguâ usæ unt Ecclesiæ Siculæ.

(a) *Isagog. ad Hist. Sicul. cap.* 42. *n.* 11.

Apoſtolorum temporibus ad quartum uſque Seculum, non græco, ſed latino ſermoni Siculam Eccleſiam adhæſiſſe. Et ne Lectori rem inauditam, aut cuiquam novam adſtruere temerè videar, oſtendam Cajetani ſententiam omni prorsùs carere antiquitatis ſuffragio; noſtram verò à veritate prorsùs alienam non eſſe.

IV. Ad conciliandam ſibi fidem duplici Cajetanus innititur argumento. Primum illud, quod non niſi, quàm Græcè reperiantur quotquot ex verticoſo vetuſtatis nimbo ſuperſunt eruditionis Tabulæ. Alterum, quod Majoribus noſtris non latina lingua, ſed græca communis fuerit, atque vernacula.

V. At utrumque tamen argumentum minus conſtans eſt, quàm ut molem hujuſmodi firmare queat. Et primum quidem duplo aptiùs nobis, quàm Cajetano obſecundat; nam (quidquid ſit de profanis Monumentis, de quibus ad tempus redibit ſermo) ad Eccleſiaſtica quòd attinet, ea ad unùm Latinitati favent: cùm partim ejuſmodi ſint, ut ad quatuor Secula iſta non pertineant; partim ut Græcanitatem minimè attingant. Ex Tabulis his in prima acie ſtant quæ ſub nomine Zephyrini, & Eutychiani ad Siciliæ Epiſcopos circumferuntur Epiſtolæ: Altera *de Judiciis Epiſcoporum*; Altera *de forma Judicii*. Has cùm legitimum illorum fœtum eſſe patentèr non conſtet, conſtanter tamen patet, latinis exaratas eſſe literis. Tum genuina Conſtantini Magni ſequitur Epiſtola, quâ ad Arelatenſe Concilium Anno Chriſti 314. Siculos invitavit Epiſcopos. Hanc ex Romano, quo ſcripta fuit, idiomate in Græcum verſam, nobis apud Euſe-

Eccleſiaſtica Siculorum Monumenta quatuor primis Seculis Latinè ſcripta.

Eusebium *(a)* conservavit antiquitas. Latino hujus Epistolæ exemplare literarius Orbis nunc caret omninò, quamobrem ejus defectu, græcum Eusebianum, ex quo concinnatum hodiernum latinum, originalis loco tenendum esse, admonuit Jacobus Sirmundus *(b)*. Postremum tandem locum obtinet, quam Seculo quarto jam adulto, Julius Firmicus Maternus genticus scriptor latinis quoque literis non incomptè scripsit Lucubrationem *de Errore profanarum Religionum*. Monumenta itaque de rebus Ecclesiasticis tunc temporis scripta argumento sunt, latinæ Siciliam linguæ assiduè studuisse, græcæ prorsus non vacasse.

VI. Hactenùs exhibitis Primorum Martyrum Acta annectere facilius possem; de recensendis tamen his minus solliciti fuimus: nam etsi Bollandi *(c)* sententia est, primigenia Siciliensium Martyrum Acta latinis literis exarata esse; atque ita axioma illud tenendum: ex Sanctorum nostrorum Actis *Græcis Codicibus, utpotè nuperis, & insinceris, nullatenus standum, solis Latinis deferendum*; quod falsum non esse, totis ingenii viribus probare, conatus est Johannes Baptista de Grossis *(d)*. Attamen aliundè, quam ex ratione ista tunc temporis Latinitati Majores nostros sedulò incubuisse, fatemur haud quidem inviti. At quid inde?

Primigenia Siciliensium Martyrum Acta quâ Linguâ conscripta.

D Non

(a) *Hist. Eccl. cap. 5. lib. 10.*

(b) *Not. posthum. ad idem Concil. Arelat. excusis in nupera Concilior. editione Tom. 2. col.* 1458.

(c) *Act. Sanct. die 5. Februarii dè S. Agatha V. & M.* §. 4.

(d) *Differt. de Natali Patria S. Agathæ cap.* 10. *& seqq.*

Non equidem ſequitur, græcis Actis latina ſemper palmam præripere; nam qui pulverulentos Bibliothecarum angulos excutiunt, abditos quotidiè Græcanitatis theſauros extrahunt, qui ab antiquioribus Codicibus latinis fideliter exſcripti, illis jam omiſſis, originalium loco habentur. Id una Conſtantini Epiſtolâ vidimus ſuprà, & ſexcentis exemplis aliis, ſignatènr Actorum S. Luciæ in Hiſtoria videbimus noſtra. Sanè quæ Bollandus, & Groſſus ſpectanda protulere argumenta, Actorum S. Agathæ, & S. Eupli, erant fortaſſis ætate ſua non contemnenda; hodiè verò tanti non ſunt, ut in his Eruditorum animus quieſcat ſecurus: quippè græca ejuſdem S. Eupli Acta jam invenit, ediditque Cotelerius *(a)*; quibus latina cedere Bollandiana dubium non eſſe, inquit Tillemont *(b)*; qui urget ulteriùs contrà latina S. Agathæ Acta ab eodem Bollando exhibita, eaque ſincera eſſe, cordatè negat *(c)*.

VII. Venimus jam nunc ad alterum de patrio ſermone argumentum, cui plus difficultatis, quàm auctoritatis ineſt. Nam eſto tota non latinizaverit Sicilia, cùm in eam Primarii fidei Auctores adveniſſent; at non exindè concluditur, in Sacris latinæ linguæ uſum non invaluiſſe. Ut enim inquit Johannes Cardinalis Bona *(d)*: *Romæ*, *& in toto Occidente*, in Germania quoque, Gallia, Anglia, Polonia, in partibus Septentrionalibus, *In Africa etiam latinæ lin-*

(a) *Monumenta Eccl. Græc. Tom.* 1. *pag.* 192. *& ſeq.*
(b) *Hiſt. Eccl. Tom.* 5. *pag.* 275.
(c) *Ibid. Tom.* 3. *pag.* 409.
(d) *Rer. Liturg. lib.* 1. *cap.* 5. *n.* 4.

linguæ usus semper viguit, licet eam Populus non intelligeret, ut Augustinus testis est. Quid itaque de Sicilia Africam inter, & Italiam posita, cui exoticam fuisse latinam linguam, & ipsi diffitentur Græcanitatis Patroni? Quid quod ei non alia in divinis disciplina, nisi Romana? Quid quòd in ea jus Romani dicebant Magistratus?

VIII. Indè primis Seculis illis græcè loquutos promiscuè Siculos in Judiciis, in Foro, Domique quanam auctoritate firmatur? Non enim plures præscriptæ apud Cajetanum sunt, nisi sex: 1. Syracusarum Literæ, Prætore Siciliæ C. Verre græcè scriptæ; 2. Diodori testimonium, qui Julio Cæsare Imperatore, græcè loquutos communiter Siculos refert; 3. Empedocles Ibycus, Theocritus, Epicharmus, Archimedes, atque Siculi alii, qui ingenii sui monumenta græcis literis demandarunt; 4. Plautus, qui exhibito comediæ suæ argumento, inquit: Primo Seculo latina lingua Sinculis penè communis.

Atque adeò hoc argumentum greciſſat tamen.
Verum non Atticiſſat, at Siciliſſat.

5. Scomma Ciceronianum in Verrem: *Si literas Græcas Athenis, non Lilybæi, Latinas Romæ, non in Sicilia didicisset*; 6. L. Apulejus Afrus, qui Siculos *Trilingues* nominat; utpotè quos loquendi latinè, græcè, & barbarè non lateret usus.

IX. Verum enim vero in voce *Trilingues*, quam Apulejus adiit, vel ea est sententia, Siculos *Trilingues* dictos, quòd primùm græcè, dein barbarè, ac demum latinè loquuti sint, ut interpretatur ipse idem Cajetanus (a), Græ-

(a) *Isagog. ad Hist. Sicul. cap. 42. n. 5.*

corum fautor; aut certè altera est sententia; Siculos *Trilingues* dictos, quod uno, eodemque Apulei tempore, tribus simul loquerentur sermonibus, latino scilicet, græco, ac barbaro. Harum postrema non minus latinæ linguæ, quàm græcæ proficit, cùm Siciliam à Latinitate altero Christi Seculo alienam fuisse, negat. Prima verò plùs græcæ, quàm latinæ officit, cùm Siciliam à Græcanitate degenerem fuisse, affirmat. M. Tullius imparem cum Apulejo responsionem non sustinet: quia pari illi sententiâ jungitur: non enim grecâ tantum linguâ, sed & latinâ utrâque licet minus comptâ, & purâ Siculos sua usos ætate asseverat. Etsi latinæ prorsus immemor, græcam solummodò commemoraret, non adhuc sententiæ nostræ contrarius esset, quemadmodum contrariæ revera non sunt reliquæ sententiæ quatuor, quibus, & illi una temporum ratio communis est: nam quinque simul sententiæ istæ probant ad summùm ante Christi adventum plures græcissasse Siculos; at ipsum idem idioma græcum primo Christi Seculo, & deinceps omnes publicè, & privatim retinuisse, & omninò non dicunt, & dicere profectò nequeunt: quippè ab Augusto Cæsare, ejusque in Imperio Successoribus in principes Siciliæ Urbes Romanorum deductas esse Colonias, dubium non est. Has locis jam suis memoravit Cluverius, & omnium simul recordatus iterum est, inquiens (a): *Nobis Coloniæ octo, apud Auctores dispectæ sunt: Tauromenium, Catana, Syracusæ, Eraclea, Thermæ*, *Se-*

Coloniæ Romanæ in Siciliam deductæ.

(a) *Sicil. Antiq. lib.* 2. *cap.* 13.

Selinuntiæ , *Panormus* , *Thermæ Himerenses* ; *& Tyndaris* ; à quibus Messana sejungi meritò non debet, ad quam, si Fazello (*a*) credimus, *Romanæ etiam Coloniæ pervenerunt*. Imò eam, exactis Civibus, Latinos Campanorum Colonos, priùs multò incolendam accepisse, referunt Polybius (*b*), & Strabo (*c*). Siculi itaque, acceptis Coloniis Romanis, externam edocti Latinitatem, à domestica degenerare Græcanitate visi sunt; cujus rei de Turditanis, Hispanicâ gente, simile apud Strabonem (*d*) legitur exemplum: *planè* (inquit) *Romanos mores assumserunt* , *ne sermonis quidem vernaculi memores*, *ac plerique facti sunt Latini* , *& Colonos acceperunt Romanos*, *paramque abest* , *quin omninò Romani sint facti* .

X. Et profectò post Coloniarum adventum latinam linguam non modò non inopem, sed locupletiorem etiam fuisse, quàm græcam, utramque faciunt paginam Siculi Literarum famâ illustres, quorum major pars non græci, sed latini nobis obviam procedunt: veluti sunt sub eodem Augusto Cæsare Apulejus Celsus *de Herbis*; sub Claudio Nerone Frontinus *de aqueductibus*, & Flaccus *de conditionibus Agrorum*; sub Caro Titus Julius Calphurnius *Buccolica*; sub Diocletiano, & Maximiano Flavius Vopiscus *Vitas Cæsarum*; sub Constantino Julius Firmicus Maternus, *de vi*, *ac potestatibus Stellarum*, qui & ab Ethnicis deliramentis, quibus primùm mentem

Primorum Seculorũ Auctores Siculi Latinè scripserunt.

(a) *De Reb. Sicul. decad.* 1. *lib.* 1. *cap.* 6.
(b) *Lib.* 1.
(c) *Lib.* 6.
(d) *Lib.* 3.

tem suam devoverat, ætate jam provectior abhorrens, latinè quoque scripsit *de errore profanarum Religionum*, ut suprà memoravimus, ubi græcæ linguæ recordatur ita, ut à patrio sermone Siculo eam distinguat. Verba ejus hæc sunt: *Cereris filiam, quam Græci Persephonem; nostri, immutato sermone, Proserpinam dicunt* (a). Quæ loquendi formula hocce in opere minimùm viginti locis inspici potest.

XI. Antiquæ item Siciliæ Inscriptiones sub Imperatoribus Romanis latinæ linguæ Majores studuisse nostros, convincunt: inclusis enim primo Seculo antiquioribus, recentioribusque octavo, vix, his verò detractis, ne vix quidem una reperitur, quæ latina non sit. Hujusmodi Latinarum Inscriptionum quatuordecim ipse exhibet Cajetanus (*b*), plures verò Georgius Gualterius (*c*). Consequens est, latinæ linguæ usum in Siciliam Romanorum Colonias invexisse.

XII. Hoc tamen, cave, ita intelligas, quasi advenientibus Coloniis Latinis, nullus ampliùs in Sicilia græcissaverit: nam fatemur ultrò, primigenium idioma græcum tunc temporis, atque deinceps plurimos retentasse; sed quod privata lingua latina in communem, communis verò græca, transierit in privatam. Hoc in antedictis Coloniis octo signanter accidisse, nullus nos scrupulus angit. Imò ex his, tres priores, Tauromenium, Syracusæ, atque Catana, & ipsæ Credentium in Sicilia Primitiæ, acceptis Romano-

(a) *Cap.* 17.
(b) *Isagog. ad Hist. Sicul. cap.* 43.
(c) *Tabul. Antiq. Sicil* .

norum Coloniis, Latinitatem specialiùs induerunt: Colonia itaque Tauromenitana, quam ulteriùs memorant Diodorus *(a)*, Plinius *(b)*, Solinus *(c)*, & Ptolomæus *(d)*, adeò latina fuit, ut eam nullus prorsus Græcorum cum Romanis unà incoluerit: nam, ut refert ipse Diodorus *(e)* testis oculatus, & coævus, Tauromenium Colonos Romanos non priùs deduxit Augustus, nisi Græcis, loci Incolis, in aliam translatis sedem. Ergo post quam egerit de Tauromenio, ad multum temporis à Græcis inhabitata, ita subjungit: *Nostrâ tandem ætate, translatis per Cæsarem è patria Tauromenitis, Romanorum Coloniam accepit.*

Tauromenium primo Christi Seculo populi Latini incolebant.

XIII. Si hoc de Tauromenio, quid censendum de Catana? Hanc enim Urbem, Græcis Incolis prius multo sub hasta venditis, cuidam Campanorum Coloniæ latinæ Dionysius Syracusanorum Tyrannus incolendam concesserat, ut refert is, cujus supra meminimus, Diodorus *(f)*, inquiens: *Urbem Catanæorum Campanis inhabitandam permisit*; qui tametsi etiam dicat *(g)*, Campanis istis in Urbem Ætnam Dionysium ipsum commigrare persuasisse; non tamen asserere prætermittit *(h)*, eos post longum temporis intervallum se ad ipsam eandem Catanæ Urbem recepisse; quam inde sic latinitate dignatam *Augustus*, missâ Romanorum Coloniâ *instauravit*, quemadmodum nos docet Strabo *(i)*, quocum hac de

Item & Catanam.

(a) *Bibliotb. Hist. lib.* 16.
(b) *Lib.* 2. *cap.* 8.
(c) *Cap.* 11.
(d) *Incript. Sicil.*
(e) *Loc. cit.*
(f) *Lib.* 14.
(g) *Loc. cit.*
(h) *Lib.* 11.
(i) *Lib.* 6.

de re quoque conveniunt Plinus (*a*): ***Portus Ulysſis*, *Colonia Catana***; & Ptolomæus (*b*): ***Pantagia amnis hoſtium*, *Catana Colonia***. Imo Romanorum Colonia Catanam deducta numeroſior præ Tauromenitanâ, ac Meſſanenſi fuit: undè antedicti Strabonis (*c*) axioma illud: Meſſana ***Urbs mediocritèr frequens eſt*, *Catanæ tamen cedit*, *quæ Colonos accepit Romanos*, *utràque minus frequentatur Tauromenium***.

Syracuſarum quoque Urbem.

XIV. Pari Coloniæ Romanæ honore Syracuſas Auguſtus ipſe proſecutus eſt; non quidem ut deducti populi tranquillitati, ſed ut inhabitandæ Urbis reſtaurationi conſuleret. Erat enim tunc temporis ruinis, & calamitatibus Syracuſana Civitas valdè jactata, ut ipſe idem teſtatum reliquit Strabo (*d*) inquiens: ***Noſtrâ tempeſtate cum inter alias Urbes Pompejus Syracuſas quoque malè tractaſſet*, *Auguſtus Cæſar*, *miſſâ Coloniâ*, *magnam veteris ſtructuræ partem reſtituit***.

XV. Quocircà nulli, ut noſtra fert opinio, dubium eſſe debet, quin fidem, ejuſque myſteria primi Religionis noſtræ Auctores non multis poſt Auguſtum annis, à S. Petro in Siciliam miſſi, latino prædicaverint idiomate, quod locorum Incolis commune erat, atque vernaculum: neque hujuſmodi idioma, quo Chriſtianæ Religioinis fundamentum jactum in Sicilia eſt, viciſſitudini facilè ſubjecit. Hinc ut res ſacra latinè in Sicilia iniit, ita ſub iiſdem, atque aliis ſubindè venientibus Apoſtolicis viris latinè proceſſit, ſemperque ad Seculum uſque quartum, & ultrà duravit, licèt latinus poſtea ſermo deſierit eſſe vulgaris,

(a) *Lib. 3. cap. 8.*
(b) *In deſcrip. Sicil.*
(c) *Loco jam cit.*
(d) *Cit. lib. 6.*

garis, atque prorsùs interierit. Ut autem adversus Religionem nostram nullæ omninò mutationes prævalerent, semper, & ubique antiquis Patribus de retinendo in Divinis Officiis primævo idiomate, magna sollicitudo fuit, ratis sacrarum rerum dignitatem, majestatemque id exigere, ut nihil in eas, aut erroneum, aut impurum irrepat; quod non contingeret raro, si eas non eâdem prorsùs linguâ, quâ ab Apostolis, apostolicisque Viris primùm traditæ sunt, aliquandò celebrari ultrò permitterent, quemadmodum eruditè satis præmonuit Johannes Cardinalis Bona *(a)*.

CAPUT V.

Romano ordine à V. ad VIII. Seculum Divinâ Officia Siculi celebrarunt.

I. SIculis post quartum Seculum ecclesiasticæ Liturgiæ, divinæque Psalmodiæ libros, eosque Romano ordine, sermoneque conscriptos fuisse, nemo opinor, inficias jerit, qui duo sibimet excidere non patiatur: alterum est ecclesiasticam Siculorum disciplinam per ea tempora inseparabilem cum Romana, & intrinsecam habuisse connexionem; alterum est quinto Seculo, & deinceps propriis Liturgiarum, Officiorumque formulis Romanam Ecclesiam non caruisse.

II. Primum tot Veterum testimoniis certum est, ut id nullus neget, qui venerandæ antiquitatis studium vel primoribus labris attigerit; ne ali- Romanæ Siculæq; disciplinæ inseparabilis connexio.

(a) *Rer. Liturg. lib. 1. cap. 5. sub n. 4.*

aliquem tamen ſuper hac re ſcrupulus angat, pauca hîc afferre deliberavi. Fuit enim Sicilia, Auctore Sexto Rufo *(a)*, Populi Romani Provincia; & ipſa, uti refert Florus *(b)*, Suburbicaria rum numerò comprahenſa. Civilem ejus adminiſtrationem, quemadmodum Imperii exhibet Notitia *(c)*, immediatè gerebat Vicarius Urbis; Eccleſiaſticam verò politiam, teſtante Sexto Canone Nicæno ex Rufini *(d)* translatione, ſub diſpoſitione ſua Romanus habebat Metropolitanus. Hic ceterorum Patriarcharum Princeps, totius orbis Catholici præfecturam, ſummumque regimen tenebat; ſed Suburbicariarum Eccleſiarum particulari quodam ſtudio ſollicitudinem gerebat; eas, ablatis domeſticis ritibus, patriiſque ceremoniis, non aliis diſciplinæ legibus, inſtitutiſque regebat, quàm quibus Romana utebatur Eccleſia; ne quas eadem conjungebat Pontificis adminiſtratio, varia Officiorum celebratio ſejungeret. *Pro cuſtodia hujuſmodi concordiſſimæ unitatis*, illud ab Epiſcopis Siculis *exigimus*, *ut Romam fraterno Concilio ſociandi indiſſimulantèr concurrant*. Verba ſunt S. Leonis Papæ Primi *(e)*. Rei confirmandæ exempla cui libet, ei facile proferre licet; adſunt enim de rebus ad Eccleſiaſticam diſciplinam maximè ſpectantibus ſub Symmacho *(f)*, Gre-

(a) *In Epitome.*
(b) *Lib. 2. cap. 2.*
(c) *Apud Schelſtrat. Antiq. Eccl. Tom. 2.*
(d) *Hiſt. Eccl. cap. 6. Can. 6.*
(e) *Epiſt. 16. aliàs 4. ad Epiſc. Sicil.*
(f) *In nova Collectione Conciliorum Tom. 5.*

Gregorio Primo *(a)*, Martino Primo *(b)*, & Agathone *(c)* coactæ Sinodi Romanæ, quibus Siculorum Præsules non uni interfuerunt, locis quique suis subscribentes.

III. Multis quoque Patrum testimoniis instruimur, Romanis, Siculisque, quibus æquale erat Sacerdotale regimen, similem fuisse ecclesiasticum ritum. Horum totum agmen ducit S. Innocentius Papa I. *(d)*, qui, ineunte Seculo quinto, antiquam videns disciplinam superbâ innovari præsumptione, Siculos, & gratâ, ut Pater, admonitione hortatur, & gravi, ut Pastor, admonet hortatione, ut quæ Apostolicis sunt traditionibus instituta, perseveranti devotione servarentur; præsertim cùm extra omnem ingenii aleam positum sit, quos S. Petrus, ejusque Successores constituerunt Antistites, ipsos ad instituendas Siculorum Ecclesias omnem curam intendisse. Docet id S. Innocentius Papa I.

IV. D. Innocentio Papæ I. eò propriùs accedit, quò illi non tardiùs successit, idem S. Leo Magnus, qui omnes Siciliæ Episcopos per epistolam alloquens *(e)*, egra conqueritur increpatione, quòd pro solemni Baptismatis tempore ab antiquo Romanorum more in nuperam Africanorum observantiam deflexerint; *In quam* (inquit) *culpam nullo modo potuissetis incidere, si undè consecrationis honorem accepistis, indè legem* S. Leo Magnus.

E 2 toti-

(a) *In Appendice ad Epistolas S. Gregorii postremæ editionis Decret.* 4. 5. & 7.
(b) *Cit. Collect. Concilior. Tom.* 7.
(c) *Cit. Tom.* 7.
(d) *Epist.* 1. *ad Decentium Episc. Eugub.*
(e) *Cit. Epist.* 16. *ad Epis. Sicul.*

totius observantiæ sumeretis; & Beati Apostoli Sedes, quæ vobis Sacerdotalis mater est dignitatis, esset Ecclesiasticæ magistra rationis.

Pelagius Papa II.

V. Testem hoc loco appellare etiam possumus Pelagium Papam hujus nominis secundum: nam videns, quod apud Siciliam, Romanæ Diœceseos provinciam, ad ætatem usque suam mos invaluerat, ut Subdiaconi matrimonium contraherent, illos gravi monuit decreto, *ut more Romanæ Ecclesiæ nullatenus suis Uxoribus miscerentur (a).*

S. Gregorius Magnus.

VI. Et absque ulteriori testimonio, id nos docet expressè, qui ipsi Pelagio proximè successit, S. Gregorius Papa Primus: Pelagii enim legem, novâ lege confirmans, sanxit, ut Siciliæ Subdiaconi, qui rebus Ecclesiæ vacare vellent, *ad similitudinem Sedis Apostolicæ (b)* miscendi se cum Uxoribus nullâ omninò licentiâ potiantur. Et de Ecclesiastico Siculorum habitu, & Missa potissimum agens: *Undè* (inquit) *id habent, nisi quia hoc à Matre sua Romanâ Ecclesiâ perceperant (c)?* Et in Epistola Felici Episcopo Messanensi *(d)* inscripta, quam renuentibus nonnullis Viris doctis, ejusdem S. Gregorii legitimum esse fœtum, eruditè sustinent Monachi Mauritani *(e)*, ita Episcopos Siculos alloquitur: *Hoc vos ritè tenere debetis, quod nos ab antecessoribus nostris traditum accepimus.* Sed

(a) *Apud S. Gregorium lib.* 1. *Ind.* 9. *Epist.* 44. aliàs 42. *Et lib.* 4. *Ind.* 12. *Epist.* 36. aliàs *lib.* 3. *Epist.* 34.
(b) *Citat. Epist.* 36.
(c) *Lib.* 9. *Epist.* 12. aliàs *lib.* 7. *Epist.* 64.
(d) *Lib.* 14. *Epist.* 17. aliàs *lib.* 12. *Epist.* 32.
(e) *Not. ad eandem Epistolam.*

Sed his de prima capitis parte præmissis, operis ratio postulat, ut alteram percurramus.

VII. Quod itaque attinet ad Missæ, & Officii apparatum, Canonem Missæ, quinto ineunte Seculo, Scholasticus quidam literis aptavit; de cujus scripto, ejusque in Romana, Siculaque Ecclesia usu ipse idem S. Gregorius (a) differit: nonnullis enim in Sicilia de missæ formula à se ordinata querulè murmurantibus, Johanni Syracusarum Episcopo rationem reddit, ad illum missæ apparatum Siculos, edito Apostolicæ Sanctionis præcepto, ut redirent, incitasse, à cujus regulis eò longiùs recessisse eos vidit, quò proximiùs hæsisse oporteret: cùm valdè inconveniens sit, ut à primæva Apostolorum traditione discederent, Missæ formam, quam acceperant à Veteribus, quamque custodire debuerant, negligendo, & quam Scholasticus composuerat, & de qua ambigere nullo modo debuerant, sequendo. Qui senescente eodem Seculo quintò claruit Gelasius Papa Primus, integrum Missarum Ordinem digessit, ejusque Missales Libri decem, & novem extitisse olim in Abbatia Centulensi mox videbimus.

Romanis, ac Siculis fuerunt post IV. Seculum Liturgiæ scripto proditæ.

VIII. Johannes Diaconus (b) fideli nobis refert testimonio Ordinem Gelesianum multis codicibus dispositum in unius libri volumine Sanctum Gregorium coarctasse, de Missarum solemniis multa subtrahendo, nonnulla adjiciendo, pauca immutando. Ex antedicta D. Gregorii Epistola patet etiam divinam Liturgiam, à Scholastico concinnatam, in Siculorum quoque

Missæ ordinario S. Gregorius in Siculorum gratiâ plura addidit.

(a) *Cit. Epist.* 12.
(b) *In vita S. Greg. Magni lib.* 2. *cap.* 12.

quoque gratiam ipsum S. Gregorium ornasse: Huic itaque non autem Scholastico, aut Gelasio gloria tribuitur, quòd extrà Pentecostes tempora *Alleluja* cantetur; quòd deprecationis voces *Kyrie eleison*, *&* *Christe eleison* alternatim à Clericis, & à Populo dicantur, non quemadmodum Ecclesia canit hodiè, nempè ter *Christe*, sexies *Kyrie*; sed *totidem vicibus etiam Christe eleison*, quoties *Kyrie eleison*; eidem etiam adscribitur, quòd Dominica Oratio mox post Canonem recitetur; & postremò quod prolixas orationes ex eadem Scholastici forma dici solitas in quotidianis Missis omninò praeciderit; propterea ut his exonerati Sacerdotes, ad contemplandas voces *Kyrie eleison*, *&* *Christe eleison* mentem commodiùs intenderent.

SS. Agathae, & Luciae nomina Missae Canoni adscripta.

IX. Illud quoque S. Gregorio Sicula debet Ecclesia, quòd celeberrima Martyrum, Virginumque Agathae, & Luciae nomina quotidiano Missae Canoni adscripserit. Qua de re adest praeclarum S. Aldhelmi Britannorum Episcopi (*a*) testimonium; nam in ea, quam de Virginitatis laudibus concinnavit Lucubratione pulchrum satis in antedictas Martyres Agatham, & Luciam texens elogium, illud utrique commune esse voluit; quatenus eas ipse minimè sejungeret, quas & una Siculorum Provincia genuisse simul gratulatur, & unus S. Gregorius in quotidiano Missae Canone copulasse paritèr cognoscitur, *hoc modo in Catalogo Martyrum ponens: Felicitate, Anastasia, Agatha, & Lucia.*

X. Haec,

(a) *De Laudib. Virginit. cap.* 23.

X. Hæc, & alia sanè quàm plura, auctore S. Gregorio Magno, in majus Ecclesiæ Siculæ decus, instituta cognoscimus: ex quibus illud quoque commendatione dignum videtur, quod ad Ecclesiasticum Episcoporum, Diaconorum, & Subdiaconorum habitum spectat: tres enim Episcopos Siculos, Johannem Panormitanum (a), Donum Messanensem (b), & Johannem Syracusanum (c) honorificentiâ usus Pallii prosequutus est, illos admonens, ut quod, ad sacerdotalis officii honorem, accepisse se gaudent, id morum, atque actuum probitate, ad gloriam Christi, adornare festinent; de licentia Diaconorum Catanensium, qui in Ecclesia *Compagis*; seu Sandaliis utebantur, magnum conquestum faciens (d), id calceamenti genus per totam omninò Siciliam nulli tunc temporis, *nisi solis tantummodò Diaconis Ecclesiæ Messanensis* deferre permissum asseverat; gravi demum decreto instituit, *ut Subdiaconi lineis in tunicis procedant* (e); de quorum sanctitate valdè sollicitus, præcepit, quemadmodum suprà pressè observavimus, ut eorum nullus ordinetur, *nisi qui se victurum castè promiserit* (f): ab initio enim & deinceps per aliquot Secula, numerato inter minores ordines Subdiaconatu, annexa ei non erat continentia; quocirca S. Gregorius antecessoris sui Pelagii Papæ II. sanctionem de servando cœlibatu, sana mente interpreta-

Pallium Episcopale.

De Compagis Diaconorum.

Subdiaconorum tunicæ, & cœlibatus.

(a) *Lib.* 13. *Ind.* 6. *Epist.* 37. aliàs *lib.* 11. *Epist.* 44.
(b) *Lib.* 6. *Ind.* 14. *Epist.* 9. aliàs *lib.* 5. *Epist.* 8.
(c) *Eod. lib.* 6. aliàs *lib.* 5. *Epist.* 18.
(d) *Lib.* 8. *Ind.* 1. *Epist.* 27. aliàs *lib.* 7. *Epist.* 28.
(e) *Lib.* 9. *Epist.* 12. aliàs *lib.* 7. *Epist.* 64.
(f) *Lib.* 1. *Epist.* 44. aliàs 42. *Et lib.* 4. *Epist.* 36. aliàs *lib.* 3. *Epist.* 34.

tatus, Siciliæ Episcopis mandavit, ut eos deinceps ad Subdiaconatus munus promovere detrectent, qui priùs non fuerint continentiæ voto adstricti; atque ut ii, qui Uxoribus copulati jam reperiebantur, unum ex duobus eligant: aut scilicet se à conjugio prorsùs abstineant, aut nulla ratione ad Altaris ministerium accedere præsumant: non minus enim eidem S. Gregorio durum visum est, ut qui continentiæ usum non invenit, ipse castitatis votum emittere compellatur, quàm ut Ecclesiastico ipse ministerio fungeretur, qui à sua se Uxore continere noluit.

XI. Gregorianorum Missalium maxima olim Catholico in Orbe existebat copia; & præ Gregorianis qui seculo quinto scripti erant Gelasiani Missales libri numerosiores fuerunt. Sanè ex Gregorianis tres, ex Gelasianis verò decem, & novem ad Centulense, sive S. Richerii monasterium anno Domini 831. spectabant. Nobis notitiam hanc sugerit ejusdem Cœnobii Chronicon (*a*), ubi de libris agit, qui Altaris ministerio deserviunt, ibi: *Missales Gregoriani tres; Missales Gelasiani decem, & novem*. Hocce Chronicon in Spicilegio Dacheriano (*b*) publicam vidisse lucem eruditorum jam latet neminem. Imò utriusque Pontificis Gelasii, & Gregorii tempestate ad Liturgiam celebrandam, recitandamque Psalmodiam Codicibus scriptis Romanam Ecclesiam non caruisse, adeò certum est, ut veritate ista nihil certiùs sit; nam extant nostra hac ætate passim edita duo *Sacramentaria*, Gelasianum, & Gregorianum unà cum aliis ejusdem S. Gre-

(a) *Lib.* 3. *cap.* 3.
(b) *Tom.* 4.

S. Gregorii Libris *Antiphonario*, & *Responsali*: horum librorum usum in Sicula quoque Ecclesia ad octavum usque Seculum viguisse, ex eo facilè censeo, quòd Siculi, ut diximus, reverebantur instituta Romana, quòdque divina Sanctorum Siculorum Officia in Libris iisdem continerentur.

CAPUT VI.

Romanâ quoque linguâ, per id tempus, celebrabatur Divina Synaxis.

I. EX hactenus dictis, inferiùsque dicendis nulli dubium esse debet, apud Ecclesiam Siculam à Seculo V. ad VIII. Romanam quoque linguam invaluisse: hoc tamen illo ulteriùs comprobari potest argumento, quòd Scripturæ, quæ Seculo quinto Ecclesiasticam Siciliæ rem, quoquo modo tangunt, latinitate gaudent: sic itaque tres Epistolæ illæ de fundis, eorumque redditibus in Sicilia ad Ravennatem spectantibus Ecclesiam (*a*); quarum una post Pyrri Tribuni recessum, Sisinnio administratori inscripta est; altera hominibus in fundis illis degentibus; tertia Eleutherioni, & Zosimo conductoribus præcipuis; item S. Leonis Magni Epistola ad omnes Siciliæ Episcopos, *de disciplina rituum Ecclesiasticorum*, & aliæ ad Paschasinum Lylibœtanum Episcopum, & ab eodem Paschasino ad ipsum S. Leonem; Justini etiam, sive Justiniani in Sicilia Episcopi ad Petrum Episcopum Antiochenum, cognomen-

Ecclesiastica Siculorũ Monumenta V. Seculo latinis literis scripta

F to

(a) *Apud L. Antonium Murator. Tom. 2. Rer. Ital. Scrip. pag. 199. & seqq.*

to Fullonem, Epistola; quam, & genuinam esse, & non græcè, sed latinè scriptam, eruditè sustinet Guilielmus Cave (a); atque demum Gelasii Papæ Primi ad Siciliæ Episcopos decreta, *de facultatibus Ecclesiæ in Clericos, ac pauperes distribuendis, alendisque Peregrinis, atque captivis*; itemque *de præscriptionibus diæcesium, bonorumque Ecclesiæ in annos triginta*.

Seculo item VI. & VII. apud Ecclesiam Siculam usus latinæ linguæ invaluit.

II. Hæc sufficere planè videntur, quò ne de Græcanitate sententiæ fides indulgeatur: si vis autem illam ulteriore telo prorsus conficere, ad subsequentia accedere tempora, ne graveris, signantèr ad sexti Seculi finem, & septimi initia: ætate enim istâ una & bis centum Epistolæ tibi obviam procedunt, partim à Siculis ad S. Gregorium, partim à S. Gregorio ad Siculos, vel de rebus Siculis ad exteros Viros latinè etiam scriptæ, quibus nominatior illa, quam ad Syracusarum Episcopum scribit S. Doctor (b), rationem reddens contrà querulè murmurantes, quòd Græcorum morem æmulatus, vocem non latinam *Kyrie eleison* in Missæ formula dicere decreverat: nam si græco tunc sermone divinam Siculi celebrabant Synaxim, non scandalo fuisset, Ecclesiastica vox græca *Kyrie eleison*; nec Siculis efficax fuisset ejusdem S. Pontificis per eandem Epistolam increpatio illa: *Nam vestræ Ecclesiæ, numquid traditionem à Græcis acceperunt?*

Græce linguæ usum Siculi ante VIII Seculum retentant.

III. Nec animum deturbat nostrum, quod longè antè octavum Christi Seculum græca lingua in Sicilia fortassis sit effecta communis. Id per

(a) *Hist. Liter. Scriptor. Eccles. ad Ann.Chr.* 484.
(b) *Lib. 9. Ind. 2. Epist.* 12. aliàs *lib. 7. Epist.* 64.

pervicaciter non imus inficias, imò potiùs concedimus ultrò: nam ficuti græca lingua, advenientibus Colonis Romanis, invectâ latinâ, atteri cœperat; ita latina lingua, Græcis iterum Siciliâ potitis, prævalente rursùs græcâ, pessum iit. Fert hoc humanarum rerum conditio, ut viciffitudinem patiantur linguæ vulgares, utpotè cùm dominantis Nationis sermonem, & mores, ejus benevolentiam aucupaturi, Provinciales semper affectent; nec diffiteri nostra venit in mente, græco sermoni Siculorum Episcoporum unum, aut alterum non secus, ac Laicos, sese devovisse, quemadmodum fertur de Syracusanis Præsulibus, Gregorio XXXIX, & Theodosio XLIV; quorum unus Byzantii græcis literis incumbens, composuit *Troparia, quæ in nativitate Christi recitantur, & in Epiphania*; alter concinnavit *Troparia, quæ canuntur in vesperis jejuniorum*, ut ex antiquo Syracusanorum Episcoporum Catalogo referunt Christophorus Schobar (*a*), & Roccus Pirrus (*b*); at nullo tamen pacto, aut toti Populo, aut uni Episcopo in Ecclesiis græcanitatem intromittere fas fuit. Sanè Romana Ecclesia cujus disciplinâ Sicilia utebatur, & legibus, vigil semper fuit, quò nè Latini in Sacris Græco uterentur sermone: verebantur enim Romani Pontifices, qui, & Siciliæ immediati Metropolitani, ne cum græca lingua, græci unà mores latinum in Populum irreperent: quocirca S. Gregorius Papa Primus latinæ Fœminæ sibi græcè scribenti respondere detrectavit, hanc Narsæ Patricio ra-

In Ecclesiis latina lingua vicit græcam, tametsi in Foro græcæ latina cederet.

(a) *Catalog. Episcop. Syracus.*
(b) *Notit. Eccl. Syracus.*

rationem reddens (a): *Domnæ Dominicæ salutes meas dicite: cui minimè respondi, quia cùm sit latina, græcè mihi scripsit.*

IV. Ceterum velim advertas, hæc non ita strictè dicta à nobis esse, quasi in Sicilia vestigium Ecclesiasticæ Græcanitatis nullum omninò tunc viguisset: nobis enim simile vero videtur in Sicilia, Romani Patriarchatus Provinciâ, peculiarem aliquam extitisse Ecclesiam, in qua græca lingua, rituque pro Græcis rerum dominis sacra fierent; maximè in primariis Urbibus, quæ Sedes erant Prætorum, aliorumque Magistratuum, qui Imperatoris Constantinopolitani nomine Siciliam regebant: hoc falsum non esse, ejusdem S. Gregorii Magni testimonium satis idoneè probat (b): *Veniens* (inquit) *quidam de Sicilia mihi dixit, quod aliqui amici ejus, vel Græci, vel Latini, nescio, quasi sub zelo Sanctæ Romanæ Ecclesiæ de meis dispositionibus murmurarent.*

CAPUT VII.

Forma Divinæ Liturgiæ, ac Ecclesiasticæ Psalmodiæ à V. ad VIII. Seculum Romæ, atque in Sicilia adhibita.

I. Quoniam usum celebrandæ Missæ, ac Psalmodiæ a Romano minimè diversum apud Siculos invaluisse demonstravimus, instituti nostri ratio exigit, ut qualis fuerit Romanus hic mos, vel leviter tangamus. Non enim

(a) *Lib.* 3. *Ind.* 12. *Epist.* 32. aliàs *lib.* 2. *Ind.* 11. *Epist.* 64.
(b) *Lib.* 9. *Ind.* 2. *Epist.* 12. aliàs *lib.* 7. *Epist.* 64.

enim quo primis quatuor Seculis, ipſo ſubindè ordine in Romana Eccleſia celebrata eſt Divina Liturgia: nam ut primùm Cœleſtinus Romani Pontificatus habenas moderaturus accepit, nihil duxit antiquius, quàm ad ornatum Myſterii, primævo Miſſæ apparatui aliqua addere: ei itaque debetur, ut ſucceſſivis indè temporibus non ab Epiſtolæ recitatione, ut antea, ſed à modulatione Pſalmorum inchoaretur actio; quemadmodum abſque ulteriore teſtimonio refert Auctor libri Pontificalis *(a)*. Libeat ejus hic recudere verba: *Hic conſtituit, ut* 150. *Pſalmi David ante Sacrificium pſallerentur antiphonatim, quod antè non fiebat, niſi tantùm recitabantur Epiſtola Pauli, & Evangelium, & ſic Miſſæ fiebant*. Quænam in his verbis contineatur ſententia, præcipitanter definire non audemus; ſi tamen Amalario *(b)* noni Seculi Scriptori credimus, de aliquibus tantùm verſibus, non autem de integris omninò Pſalmis interpretanda ea ſunt: *Nos* (inquit) *ita intelligimus, ut ex omnibus Pſalmis excerperet Antiphonas, quæ pſallerentur in officio Miſſæ; nam antea inchoabatur Miſſa à Lectione*; cui concinit Walafridus Strabo *(c)*: *Antiphonas* (ejus verba exſcribo) *ad Introitum dicere Cœleſtinus Papa inſtituit, ſicut legitur in geſtis Pontificum Romanorum, cùm ad ejus uſque tempora Lectio una Apoſtoli tantùm, & Evangelium legerentur*.

Miſſæ forma poſt IV. Secul. prolixior, quàm antea.

II. Ma-

(a) *In vita Cœleſt.*
(b) *De Eccleſiaſt. offic. lib.* 3. *cap.* 5.
(c) *De Reb. Eccleſ. cap.* 22.

II. Majora ſuper hanc rem præfari poſſem; & forſitan deberem; verùm qui S. Gregorii Sacramentarium, Antiphonarium, ac Reſponſalem Librum notis illuſtrata prælo aptarunt, antiquum ordinem Romanum Miſſæ, ac Pſalmodiæ integrè exhibentes, incommodo nos relevant, ne diſquiſitioni huic diù immoremur. Non incurioſum tamen, neque importunum fore confidimus, ſi quem ex antedictis Libris excerpſimus ordinem Pſalmodiæ, & Miſſæ in feſto S. Luciæ adhibitum, recudere curemus: nam ex uno hoc antiquitatis Monumento in laudem Virginis noſtræ non incomptè concinnato, cognoſcimus planè antiquam ejus Miſſam, & Officium eadem fermè eſſe, ac hodierna Romana: Miſſa enim, ut vidimus in Antiphonario, & Sacramentario, conſtabat Introitu, Collecta, Graduali, ſeu Reſponſorio, Offertorio, Oratione Secreta, Antiphona, quæ *Communio* vocatur, & Oratione *ad complendum*, quæ nunc dicitur *Poſtcommunio*. De vocibus *Kyrie eleiſon*, & *Chriſte eleiſon*, ſimul & de Canone cum Oratione Dominica in fine, tempore S. Gregorii in Eccleſia Sicula recitari ſolitis, jam diximus ſupra. Pſalmodia autem nocturna, ſimul ac diurna, ut Reſponſalis Liber repræſentat, aliter, quàm quatuor primis Seculis, abſolvebatur: non enim Pſalmorum modò, verum & Antiphonarum, Reſponſoriorum, & Verſuum recitatione gaudebat.

III. In hujuſmodi Officio illud eſt non indiligenti obſervatione dignum: Orationem *Exaudi* pro Diva Sicula à S. Gregorio compoſitam, in toto Orbe Catholico aſſignatam inde eſſe pro Vir-

Virginibus omnibus non Martyribus propriam non habentibus; quemadmodum Orationem: *Deus, qui inter cetera potentiæ tuæ miracula*, quam pro altera potissimum Diva Sicula Agatha eumdem S. Gregorium concinnasse constat, in natalitiis Virginum, ac Martyrum Officio proprio non gaudentium, hodie recitat Ecclesia.

OFFICIUM, ET MISSA

SANCTÆ LUCIÆ V. ET M.

A S.GREGORIO MAGNO COMPOSITA.

Ex Libro Responsali

„ In Vigilia Sanctæ Luciæ Virginis ad Vesp.

„ ANtiph. Orante Sancta Lucia, apparuit ei
„ Beata Agathes, & consolabatur ancillam
„ Christi. *Responsoria unde supra.*

„ *Resp.* Lucia Virgo, quid à me petis, quod
„ ipsa poteris præstare continuò? Nam & Ma-
„ tri tuæ fides tua subveniat, & ecce salva est;
„ quia jucundum Domini in tua Virginitate ha-
„ bitaculum præparasti. ℣. Sicut per me Civitas
„ Cathanensium sublimatur à Christo, ita per
„ te Civitas Syracusana decorabitur. Quia ju-
„ cundum. ℟. Rogavi Dominum meum Jesum
„ Christum, ut ignis iste non dominetur mihi.
„ Et impetravi à Domino inducias martyrii mei.
„ ℣. Pro eo ut me diligerent, detrahebant mihi:
„ ego autem orabam. ℟. Grata facta est à Do-
„ mino

„ mino in certamina; quia apud Deum, & apud „ homines glorificata eſt. In conſpectu principum loquebatur ſapientiam, & Dominus omnium dilexit illam. ℣. Erecta namque in virtutis (*) tormenta deriſit. Et Dominus. ℣. Adjuvabit eam.

* virtute.

„ Antiph. in Matutinis Laudibus.

„ *Antiph.* Orante Sancta Lucia, *ut ſupra* „ *Ant.* Lucia Virgo, quid à me petis, quod ipſa „ poteris præſtare continuò Matri tuæ? *Ant.* Per „ te, Lucia Virgo, Civitas Syracuſana decorabitur à Domino Jeſu Chriſto. *Ant.* Soror mea „ Lucia, Virgo Deo devota, quid à me petis, „ quod ipſa poteris præſtare continuò Matri tuæ? „ *Ant.* Benedico te, Pater Domini, *ut ſupra.* „ *Ant.* Ego rogavi Dominum meum Jeſum Chriſtum, ut ignis iſte non dominetur mihi, ſed „ credentibus in Domino timorem auferam paſſionum. *Ant.* Tanto pondere eam fixit Spiritus Sanctus, ut Virgo Domini immobilis permaneret. ℣. Diffuſa eſt gratia.

„ In Evangelio.

„ *Antiph.* Columna es immobilis, Lucia „ Martyr Chriſti, quia omnis plebs te expectat, „ ut accipias coronam Regni, allel. *Ant.* In tua „ patientia poſſediſti animam tuam, Lucia Martyr Chriſti. Odiſti quæ in Mundo ſunt, & coruſcas cum Angelis. Sanguinem proprium inimicis fudiſti. *Ant.* Ego cognovi virtutem „ Domini mei Jeſu Chriſti, ſecurè contemno „ minas tuas.

Ex

Ex Libro Sacramentorum.

„ Idibus Decembris

„ Nat: Sanctæ Luciæ Virginis.

„ Exaudi nos, Deus salutaris noster: ut si-
„ cut de Beatæ Luciæ festivitate gaudemus, ita
„ piæ devotionis erudiamur effectu. Per.

„ Super oblata.

„ Quæsumus, virtutum cœlestium Deus;
„ ut sacrificia pro Sanctæ tuæ Luciæ solemnitate
„ delata, desiderium nos temporale doceant ha-
„ bere contemptum, & ambire dona faciant cœ-
„ lestium gaudiorum. Per.

„ Ad complendum.

„ Læti, Domine, sumpsimus Sacramenta cœ-
„ lestia; quæ, intercedente pro nobis Beata Lu-
„ cia Martyre tua, ad vitam nobis proficiant
„ sempiternam. Per Dominum.

„ Alia.

„ Intercessio nos, Domine, quæsumus, San-
„ ctæ Luciæ Martyris tuæ votiva confoveat: ut
„ ejus sacrata natalitia, & temporaliter frequen-
„ temus, & conspiciamus æterna. Per Domi-
„ num nostrum.

Ex Libro Antiphonario.

„ In Natali Sanctæ Luciæ.

„ *Antip.* Dilexisti justitiam, & odisti ini-
„ quitatem: propterea unxit te Deus, Deus tu-
„ us, oleo lætitiæ præ consortibus tuis. *Psal.*

G „ Eru-

„ Eructavit cor meum verbum bonum: dico ego
„ opera mea regi. ℣. Dilexisti justitiam, & odi-
„ sti iniquitatem. ℣. Propterea unxit te Deus,
„ Deus tuus, oleo lætitiæ præ consortibus tuis.
„ Allel. Diffusa est gratia in labiis tuis: prop-
„ terea benedixit te Deus in æternum. *Off.* Offe-
„ rentur regi Virgines: proximæ ejus offeren-
„ tur tibi in lætitia, & exultatione, adducen-
„ tur in templum regi Domino. ℣. 1. Eructa-
„ vit cor meum. ℣. 2. Specie tua. *Ad com.* Dif-
„ fusa est gratia in labiis tuis. *Psal. ut supra.*

CAPUT VIII.

Græco ordine, & lingua ab VIII. Seculo ad medium XI. celebrata est Siculorum Synaxis.

1 VEnimus jam nunc ad tertiam ætatem, quæ duobus intercurrentium annorum clauditur terminis: primus est, cùm Græcorum Imperator Leo Isauricus paullò post initia VIII. Seculi, Gregorii Papæ Secundi moderatione abusus, Ecclesiam nostram à legitimi Capitis jurisdictione divulsit, & in adulterinæ Matris potestatem redegit; quando scilicet à Romana alienavit Cathedra, & ad Constantinopolitanam attraxit Ecclesiam; alter est, cùm Principum Nortmannorum virtute, circà medium undecimi Seculi ad pristinam Romani Pontificis potestatem, excusso Saracenorum jugo, redux venit Sicilia. Hoc enim interjecto tempore exutâ prorsùs Latinitate, Græcanitatem Ecclesiasticorum librorum nostra induit Sicilia, eodem fermè pacto, quo & cetera à Græcis accipere satagit:

quæ

quæ porrò rerum Græcanicarum Siculis tunc temporis usui non fuit?

II. Desudemus diù non oportet, ut caussa patefiat, quamobrem idiomatis, ritusque Latinitatem Sicilia improviso repudiare consilio non dubitarit: nam Leonis Isaurici tyrannide à Romana Diœcesi Provincia nostra divulsa, Constantinopolitano Patriarchæ contribuit; cui, interdictis Romano Pontifici Siciliæ juribus, proprios in eam ritus introducere sollicitudo fuit *(a)*; quod eò faciliùs evenit, quò jam ad Græcanitatem inclinatior Gens Sicula erat. Sanè per hæc tempora linguâ græcâ locutos promiscuè Siculos, vel me tacente, tota contestatur antiquitas: ex hac enim ætate undique apparent Græcanitatis vestigia: nam Scripturæ, Numismata, Marmora, & cætera id genus Monumenta, nisi græca ex prolapsæ vetustatis ruderibus effodiuntur.

Sicilia Leonis Isaurici tyrannide à latina Ecclesia divulsa, Græcæ contribuit.

III. Et licèt quamdiù latini duraverint Episcopi ritum, linguamque græcam in sacris inducere Populus nequierit; ubi tamen Ecclesiasticam Siciliæ Politiam Constantinopolitanus usurpavit Primas, versa, & mutata in pejorem partem sunt omnia: is enim, quò Siculos magis sibi devinceret, Syracusanum Episcopum, qui cæteris ingenio, dicendique arte, non verò pietate, rectèque credendi studio præstabat, Metropolitico prosequutus est honore. Cujus diœcesis reliquos omnes, vel certè plures Siciliæ Episcopos fore jussit; quemadmodum in Notitia Episcopatuum, & Metropoleon sub Leone Imperatore, cognomento sapiente, concinnata, testatum reliquit antiqui-

Syracusæ à Patriarcha græco fit Metropolis.

G 2

(a) *Chr. Lup. T.* 1. *p.* 1. *de Symb. Nicæno c.* 6. *pag.* 198. *&* *T.* 3. *p.* 3. *differt. de* VII. *Synod. Gen. c.* 8. *pag.* 125. *& seq.*

tiquitas; quod & prodidit in lucem Nilus Doxopatrius Scriptor de rebus Siculis optimè meritus, in ſuo de quinque Thronis Patriarchalibus Commentario, quem juſſu Rogerii Regis Panormi ſcribere orſus eſt *(a)*.

Syracuſanus Antiſtes græcam linguam in ſacris intromittit.

IV. Ubi itaque ad tàm honorificam dignitatem Syracuſanus evectus eſt Præſul, ut Græcis magis, ac magis blandiretur, Siculos ab Eccleſiaſtica alienare Latinitate non eſt veritus: id probat expreſsè membranaceus Syracuſanorum Epiſcoporum Codex, qui pro mediæ hujus ætatis Hiſtoria non quidem contemnendus eſt, utpotè qui multis ab hinc retrò annis exaratus eſſet. Hic nobis cenſuram infligere compeſce, veluti hujus Catalogi auctoritate abuſis: etſi enim Chriſtophorus Scobar *(b)* doceat nos, in ejuſdem antiqui monumenti verbis eam contineri ſententiam, Stephanum Latinitatis Auctorem, deſtructoremque Græcanitatis, non verò contra fuiſſe: *Cæpiſſe* (ait) *Eccleſiam Syracuſanam ſub Stephano Epiſcopo latinè pſallere, cum antea græcè cantaret*. cui ultrò adhæret Maurolycus *(c)*; at pluſculùm conjecturæ ſuæ, quàm veritati Schobar indulſit: is enim in communi errore de græca Siculorum Pſalmodia à fidei initiis exiſtens, credere fermè non potuit ſub Stephano Epiſcopo Eccleſiaſtica Officia ex Latino in Græcum mutata: hinc noluit cum aliis ab eodem errore non alienis, Codicem falſitatis notâ afficere; ſed benigniorem ſeligens interpetrationem per incurioſi

Ama-

(a) *Græco-Latinè edidit Stephanus Moynius Variar. Sacr. Tom. 1. pag. 221.*

(b) *Catalog. Epiſcop. Syracuſ.*

(c) *Apud Pirr. Not. Eccl. Syracuſ in Stephano Epiſcopo.*

Amanuensis oscitantiam primigenia Codicis verba credidit transposita; eaque in editione sua invertit, vocem *græcè*, pro *latinè*, & *latinè*, pro *græcè* supponens; qua de re monitos nos fecit Octavius Cajetanus (*a*), qui & Syracusanus, & de observandis Ecclesiæ suæ membranis haud indiligens. Rocchus Pirrus, & ipse de inspiciendo Codice isto quoque sollicitus, dicens (*b*): *Ego vidi illum*, paria cum Cajetano de eodem insincero Schobare, ejusque Assecla Maurolyco videtur sentire (*c*): *Unde* (inquit) *id hauserint nescio*. Testes hujusmodi Cajetanum, & Pirrum pro nobis hîc dare oportuit; ii enim nobis fortunatiores, in manuscriptos Ecclesiæ Syracusanæ Codices, quibus igne jam absumptis præsens hæc caret ætas, oculorum aciem injicere meruerunt.

V. Et sanè Schobar eò minus meretur veniam, quò magis neminem fugit, sub Stephano Episcopo, & deinceps ad Nortmannorum ætatem græcam linguam in Syracusana, aliisque Siciliæ Ecclesiis communiter valuisse: hoc etenim interjecto tempore, non alia, quàm hac lingua Orationes pro suggestu ad Populum habitæ sunt; & nonnisi quàm græcè compositi Ecclesiasticæ Psalmodiæ Hymni, divinæque Liturgiæ Preces; ascetici quoque, & dogmatici Tractatus; exterorum etiam ad Siculos, & Siculorum ad exteros Epistolæ; quorum aliqua, sed ad rem contestandam sat superque idonea, serva-

Ab VIII. Seculo ad medium XI. omnia penè in Sicilia græcè & dicta, & scripta.

(a) *Isagog. ad Hist. Sicul. cap. 42. n. 11.*
(b) *Notit. Eccl. Syrac. in Eulalio V. Episc.*
(c) *Ibid. in Stephano XLVII. Episcop.*

vatâ temporum ferie, hîc depromere non dubitamus.

VI. Occurrunt nobis ex ipso eodem seculo octavo inter alia Orationes quatuor ad religiosum Siciliæ populum græcè habitæ: duæ scilicet Syracusis in solemnitatibus SS. Marciani, & Zosimi ab Anonymis Oratoribus; una Tauromenii in die festo S. Pancratii à Gregorio Byzantino Monasterii Paguriensis Monacho; quarta demum Catanæ, urgente solemni die S. Leonis Thaumaturgi à Leone Centuripino.

VII. Nonum Christianæ Religionis Seculum nobis Siculos exhibet sanè quam multos de sacra eruditione græca optimè meritos. Horum primus se offert Petrus Siculus, cujus exstat Historia *de vana, & stolida Manichæorum Hæresi*. Secundus Gregorius Cerameus Tauromenii Archiepiscopus, cujus supersunt *Homiliæ in Evangelia Dominicalia, & Festa totius anni*; etsi hunc nonnulli cum Theophane confundant, ac binominum hominem putent. Tertius Johannes Siculus, qui composuit *Chronicon usque ad tempus quo Michaeli Teophili filio successerit Basilius Macedo*; quod manu exaratum ad Vaticanam hodiè spectat Bibliothecam. Quartus S. Joseph Hymnographus, cujus nomen trecenti minimum Canones in Ecclesiasticis Græcorum Libris præseferunt, præter alios manuscriptos in membranis Monasterii S. Philippi Fragalatis, & Monasterii S. Salvatoris Messanæ, quorum pluribus suam de Sanctis Siculis satis celebrem Historiam ornavit Octavius Cajetanus. Postremus Theodosius Monachus, cui debemus Opusculum *adversus vituperatores vitæ monasticæ*, & per

perquàm eloquentem, ac luctuosam Epistolam *de excidio Syracusarum* Leoni Archidiacono inscriptam, in qua inter alia refert à se, & Episcopo Saracenorum quemdam græcâ sciscitasse linguâ, ubinam essent *Ecclesiæ sacra vasa*. Quæ verba, ut eruditè observat Cajetanus (a), argumento sunt, ut magis, magisque confirmetur græcæ linguæ communis per id temporis in Sicilia usus.

VIII. Decimum Seculum, undecimique medium minus quidem habent, quam vel proficere, vel officere sententiæ nostræ possint: hac enim ætate maximâ Siciliæ parte Saracenis potitis, maximum rei Ecclesiasticæ inflictum est vulnus: nam etsi eorum nobis non probetur opinio, qui sub Saracenis rerum dominis Christianam interiisse Religionem credunt; tamen nec illis assentimur, qui difficillimis illis temporibus Majores nostros solemni, ut antea, apparatu sacris vacasse precibus asseverant. Ut ut res se habeat (de qua loco suo redibit sermo) interea illud nobis à veritate non abhorrere videtur, Siculos ad rem sacram iisdem libris Græcis post Saracenorum adventum usos, quàm quibus antea: utpotè cum iis tyrannide jactatis, Ecclesiæ statum conservare, vel certè meliorem reddere fas non esset.

Siculi Saracenorum tyrannide jactati, grecâ linguâ utuntur.

IX. Accedit his, quod qui, imperitantibus Saracenis, Siculos in Christi fide continendi caussâ ordinati sunt Episcopi, non latini, sed græci fuere: quorum ex numero clarior extat Panormitanus, quem memorat Gaufridus Mala-

(a) *Tom. 2. Vitar. Sanctor. Sicul. Animad. ad eandem Epistolam pag.* 105. *n.* 20.

laterra (a) testis coævus, & oculatus in sua de Principibus Nortmannis Historia: Dux (inquit) Robertus, Comesque Rogerius adepti Panormum *Archiepiscopum, qui ab impiis dejectus in paupere Ecclesia S. Cyriacæ, quamvis timidus, natione Græcus, cultum Christianæ Religionis pro posse exequebatur, revocantes restituunt.* Nec officit, quòd Albertus Piccolus (b) contendat explodenda ex sincero Gaufridi opere hujusmodi verba esse, utpotè centum ab ætate sua annis (scripsit enim anno 1623.) ibi licentius intrusa: nam de injusta hac censura multum disserendi incommodo nos relevavit Rocchus Pirrus (c). Addam solummodò quod Pirri notitiæ excidit, scilicet verba hæc retulisse Simonem Leontinum, qui Gaufridi historiam anno 1358. in vernaculam vertit linguam, cujus operis præsenti hac ætate plura extant exemplaria. Ex his aliud alio plus habet vetustatis, omnium tamen, ni fallor, illud antiquissimum, quod asservatur apud Catanensem Canonicum Innocentium Roccaforte, cujus perspecta omnibus, & cognita satis eruditio est.

XII. Panormitano alii sanè, quàm multi ritu, sermoneque Græci commodè, ac meritò adjunguntur Episcopi, quorum non infrequens Ecclesiastica in historia mentio occurrit; quod eò accuratiùs attendamus oportet, quò à Pirro, aliisque Scriptoribus Siculis animadversum jam non fuit. *Porrò Rocchus Pirrus Episcoporum*

(a) *Hist. Nortman. lib.* 1. *cap.* 45.
(b) *De Antiq. Jur. Eccl. Sicul. cap.* 7.
(c) *Not. Eccl. Panorm. in Nicodemo Episc.*

rum Siculorum Catalogum texens, Græcos non memoravit, vel quia ordinarios non existimavit, vel quia pauci ei occurrerunt, cùm tamen dubitandum non sit, quin fuerint in magno numero; eruditissimus Antonius Pagius (*a*) hanc in Pirrum inflixit censuram.

De Humberto Archiepiscopo Siciliæ

XI. Ignorantiæ, aut malæ fidei vitio nobis vertat nemo, quòd Humberti Archiepiscopi Siciliæ non simus recordati, quasi ignoremus, vel ignorare simulemus, quod refert Lanfrancus (*b*) illius temporis Scriptor, hunc scilicet Antistitem latinum ad pastorale munus evectum esse priusquam Siculis ex Nortmannorum adventu, dissipatâ Saracenicæ impietatis nocte, faustus, atque salutiferus dies splendesceret: idest, ut exponit Pirrus (*c*), Anno Christi 1052. nam jure hocce de Episcopo Latino magna nobis sollicitudo non fuit: is enim, ni mea fallat opinio, hujusmodi Archiepiscopatus honorifico tantùm nomine, reali numquam exercitio potitus est: quandoquidem Humberti Romanæ Ecclesiæ haud ignota virtus ejus in Siciliam profectionem, aut impedire videtur, aut certè retardare: is enim Romanæ Ecclesiæ *Conciliis*, & *Consiliis* (ut sunt Lanfranchi verba) *semper aderat*, & *præerat*: anno itaque 1050. interfuit, ac quinto se loco subscripsit Synodo solemnis Canonizationis S. Gerardi Tullensis Episcopi Romæ celebratæ, quam post Johannem Mabillonium (*d*) edidit Justus Fontani-

H nus

(a) *Critic. Baron. Ann. Chr.* 1152. *n.* 10.
(b) *Comment. adversùs Berengar.*
(c) *Not. Eccl. Panorm. in Humberto Archiep.*
(d) *Secul. V. Benedict. pag.* 594.

nus (*a*) ; anno 1054. ad Constantinopolitanum Imperatorem pro concilianda Græcos inter, & Latinos pace, Apostolicam suscepit legationem (*b*). Ergo ex duobus his annorum intercurrentium terminis (intra quos Humbertum apud Siculos *parum temporis impendisse*, censet Pirrus) planè constat, eum Provinciam nostram aut eminùs salutasse, aut breviùs invisisse. Sive itaque nihil, sive parum temporis in Sicilia insumpserit Humbertus, certum est, eo Auctore, Ecclesiasticam immutari Græcanitatem nequivisse.

Theophanis Ceramei Homiliæ græco ordine, & lingua conscriptæ.

XII. Præterea nonnisi, ac Græcis libris tunc usos Siculos, probant planè Theophanis Ceramei Tauromenitani Archiepiscopi Homiliæ (*c*) inter Missarum solemnia in Sicilia habitæ, quæ sunt Εἰς τὴν ἀρχὴν τῆς Ινδίκτου, ἤτοι τοῦ νέου ἔτους (*d*), *De Indictione, sive anni principio*; Κυριακῇ πρὸ τῆς ὑψώσεως τοῦ τιμίου, καὶ ζωοποιοῦ Σταυροῦ (*e*) *Dominicâ die ante festum exaltationis pretiosæ, & vivificæ Crucis*; Τῇ κυριακῇ τῆς ὀρθοδοξίας, περὶ τῶν ἁγίων εἰκόνων (*f*) *Dominicâ Orthodoxiæ, de sanctis Imaginibus*; Εἰς τὰ ἕνδεκα ἑωθινά (*g*) *In undecim Evangelia matutina*; atque Εἰς εὐαγγέλια κυριακά, καὶ ἑορτὰς τοῦ ὅλου ἐνιαυτοῦ. *In Evangelia Dominicalia, & Festa totius anni*, non alio disposita ordine, quàm quo in Ecclesiasticis Græcorum Libris: idest, ut unius primùm Evangelistæ Textus in τμήματα *tmemata*, ut ajunt, sive

(a) *Cod. Bullar. Canoniz. pag.* 7.
(b) *Apud Baronium Ann. Ch.* 1054.
(c) *Edit. Græc. Lat. Lutetiæ Parisiorum Ann.* 1644.
(d) *Homil.* 1.
(e) *Homil.* 3.
(f) *Homil.* 20.
(g) *Homil.* 28. *& seqq.*

five lectiones divisus, diebúsque applicatus ad finem usque legeretur, deindè alterius, posteà tertii, atque demùm quarti; ex his Johannis lectio à magna Paschæ Dominica assumitur; Matthæi à Feria II. post Pentecostes; Lucæ à Feria II. quæ Dominicam post exaltationem vivificæ Crucis excipit; Marci demum à primo S. Quadragesimæ die. Quem morem apud Siculam invaluisse Ecclesiam, ipse Cerameus Homiliarum serie, ut diximus, innuit non modò, verum & satis verborum asseverat apertè. Pergit enim hoc modo (a): *Quoniam hodiè in Ecclesia Evangelium ex Luca cæptum est recitari (sic enim faciendum Patres jam ab initio censuerunt, ut Johannis quidem Evangelium legeretur ab ipso reviviscentis Christi claro die usque ad eum, quo descensus Sancti Spiritus celebratur: & exinde inchoata quæ scripsit D. Matthæus, unà cum anni fine terminarentur: deinceps verò à magno Luca de magnis mysteriis institueretur Ecclesia, divino Præconi Marco jejuniorum tempore relicto) age jam quæramus, quid sit Evangelium.*

XIII. Id etiam absque ulteriori testimonio planè confirmant Evangeliorum Codices non uni, græcas inter membranas Monasterii S. Salvatoris Messanæ in vetustatis obsequium diligenter asservati, Codex potissimùm antiquissimus 26. in folio pergrandi, charactere semiunciali pulcherrimè scriptus, qui diversum ab eo, quem notavimus, non præsefert ordinem.

XVI. Tandem ad rem contestandam valet

(a) *Hom. 5. in principio.*

Sancti Siculi græcis Fastis adscripti.

etiam, quod ex Sanctis Siculis, qui tertiam hanc ætatem illustrarunt vix, & ne vix quidem unus est latinis Divorum Fastis adscriptus; contrà verò datur omnibus in Græcorum Menologio Ecclesiasticæ memoriæ laus: imò & in Anthologio, magnisque Menæis propriæ Acoluthiæ honor. His addere non graveris plurium Sanctorum Odes, integros etiam Canones in Ecclesiasticis Græcorum Libris excusa, quæ Siculis deberi Scriptoribus, & ipsa Græcorum Ecclesia non diffitetur.

CAPUT IX.

Divinorum Officiorum græcus Ordo alius in Sicilia quàm Constantinopoli adhibitus.

I. Retenta Ecclesiasticorum Librorum Græcanitate, unum occurrit non incurioso obliterandum silentio, scilicet Græco-Siculis, ad ordinandas Liturgias, horariasque Preces, aliud à Constantinopolitano Typicon, sive Officiorum Directorium usui fuisse; quod vel ex ipsa Acoluthiæ forma jam habemus, undè pateat.

Troparium, & Contacium diversa in Sicilia, quàm Constantinopoli.

II. Quamobrem Siculis in Menologiis aliter, ac in Constantinopolitanis disposita fuisse, quæ principio Officii exhibentur, *Troparium*, & *Contacium*, nemo ivit inficias, qui cum manuscriptis Siculis, & edita contulerit Constantinopolitana. Troparium idem est, ac Oratio pro toto diei Officio, & Missâ: Contacium Oratio altera post sextam Odem recitanda. Ducam in exemplum S. Pancratii Martyris Tauromenitani solem-

solemnitatem; in ea enim, ut ex editis cognoscere libris fas est, Troparium Constantinopolitani tali recitabant principio Ἐξ αὐτοῦ τοῦ Κυρίου πεφωτισμένος *Ab ipso Domino illuminatus*, & Contacium Τὰ ἡδύσματα τῆς μελουργοῦς σου γλώττης ἐστι. *Suavissima modulantis tuæ linguæ carmina*. Ex manuscripto verò Codice 108. Bibliothecæ Monasterii S. Salvatoris Messanæ utramque Siculorum Orationem aliter concinnatam esse constat jam planè. Quippè Troparium exorditur ita: Τῷ Ἀποστόλῳ Πέτρῳ κατ' ἴχνος (*) ἑπόμενος. *Apostoli Petri* (*) κατ' ἴχνος. *sequens vestigia*. Contacium autem Ἱεράρχης ἔνθεος, καὶ ποδηγέτης ἑσπερίου λήξεως. *Pontifex divinus, & occidentalis partis ductor*.

III. Στιχηρὰ προσόμοια *Versus similares*, æquasi scilicet syllabarum numero compositi, & simili ad Vesperas tono decantandi, teste Continuatore Johannis Bollandi Daniele Papebrochio (a), differentiam portant: cùm *ex ritu Ecclesiæ Constantinopolitanæ solum tres versus ponantur de Sancta* (Agrippina), *& duo de Deipara: quando ex proprio Siculis ritu inventi sint quinque de illa, nulli de Diva*. Hæc Papebrochius; cui tamen ne adsentiamur, claro movemur argumento: apud enim Siculos hunc quinque versuum similarium usum invaluisse, vix suo de S. Agrippinæ testimonio probari potest: quotquot enim ex antiquitatis naufragio manuscripti supersunt Codices ad unùm demonstrant, Majores nostros nihilo secus, ac Constantinopolitanos, de Sanctis tres recitare versus consuevisse. Concedimus haud inviti non unos ex Codicibus his

Vesperarum item versus similares.

(a) *Tom. 4. Actor. mensis Junii die 23. de S. Agrippina.*

his quatuor aliquando, aut etiam quinque versus Sanctis proprios exhibere; ex his tamen tres solummodo sunt similares; qui verò supersunt, non similares, sed Troparium Contaciumque, ut diximus.

Versus quoque Deiparæ.

IV. Tametsi non similaribus Sanctorum versibus, certè tamen aliis Deiparæ Virginis differentia insuit: nam post tres versus de Sanctis, totidem de Feria, inde Doxam de B. Maria Virgine Constantinopolitani ad Vesperas recitabant; Siculi verò non recitatis de Feria versibus, neque Virginis Doxâ, tribus versibus primis de Sancto totidem de ista succedere faciebant; qui ritus adhuc invectâ Seculo undecimo iterum in Siciliam Latinitate, invaluit apud Monachos Græcos, qui tunc & deinceps in ea claruere; prout nos docet Typicum S. Bartholomæi fundatoris magni Monasterii S. Salvatoris in isthmo portus Messanæ, quod ad ætatem usque nostram diligenter asservatur in ejusdem Monasterii Bibliotheca Cod. 132: oportet, inquit, scire, quòd in quotidiano Vesperarum Officio totius anni sex Sticharia psalluntur Τοῦ κατὰ τὴν ἡμέραν Ἁγίου Γ̅, καὶ τῆς Θεοτόκου Γ̅. *Sancti eo die occurrentis tria, & Deiparæ tria.* Qua tamen lege non comprehendebantur Vesperæ Sabbatorum, solemnitatum Dominicalium, Immaculatæ Deiparæ, ac aliquorum Sanctorum, quorum integrum Menologia exhibent Officium.

Canones etiam matutinales.

V. Non dissimile discrimen Siculos inter, & Constantinopolitanos, quà Canones matutinales spectat, intercessisse deprehendimus: Canonem enim à Græcis ad honorem S. Pancratii in Sicilia recitatum, sed ab edito in Menæis omninò di-

diversum, post Cajetanum nostrum *(a)*, publicavit Godefridus Henschenius *(b)*, qui & eum habere græcum non potuisse, vehementer conqueritur; verum illum Nos Henschenio fortunatiores, in antedicto Codice 108. Bibliothecæ S. Salvatoris nacti sumus, quem fideli transcriptum diligentiâ, ac accuratiori illustratum versione, ad nos hodie habemus; exstat in Codice 128. ejusdem Bibliothecæ ad diem 30. Octobris Canon S. Marciani Episcopi, & Martyris Syracusani; hunc non vidit antedictus Cajetanus; cujus tamen diligentiæ non excidit *Canonis fragmentum*, *ex manuscripto Græco Condicario*, (ut ipse *(c)* loquitur) *vetustisque membranis Monasterii S. Philippi Fragalatis in Comitatu S. Marci Messanensis diœcesis desumptum*; ex eadem Bibliotheca Fragalatensi, multos quoq; alios veluti abditos Antiquitatis thesauros ipse Cajetanus Canones effodit; & ne omnimu recordatus, prolixus sim, unum affero S. Fantini Confessoris, quem ipse primùm publici juris effecit *(d)*, & in Bollandi continuatione *(e)* Johannes Pinius nuper recusit; quo Canone, & reliquis omnibus superiùs laudatis prorsus carent Ecclesiastici Constantinopolitanorum libri antiqui non modò, verum & hodierni.

VI. Si hæc de Canone, quid de Synaxariis, sive Sanctorum Elogiis post sextam ejusdem Canonis Odem ex more legendis? Non eadem Siculis, Sanctorum quoque Synaxaria.

(a) *Tom. 1. Sanctor. Siculor. pag. 15.*

(b) *Continuat. Bolland. Tom. 1. Actor. mensis Aprilis die 3. de S. Pancratio Episc & Martyr.*

(c) *Cit. Tom. 1. Sanct. Siculor. in Vita S. Marciani.*

(d) *Loc. cit. in Vita S. Fantini.*

(e) *Act. Sanct. mensis Julii die 24. de S. Fantino Confess.*

culis, æque ac Constantinopolitanis olim fuisse Divorum Sinaxaria ex antiquissimo Codice Siculo Bibliothecæ Monasterii S. Salvatoris Messanæ sub n. 102. cum vetustis Constantinopolitanorum libris collato, quinquaginta minimùm probare possemus exemplis, quæ tempori suo, & loco reservare maluimus, quàm cummaximè referre, & prolixiores videri. Fortius quòd ad contestandam rem nostram, sufficere dubium non sit vel unius antedicti S. Pancratii Sinaxarium, diversâ plane formâ, diversâ quoque die à Constantinopolitanis, Siculisque recitatum. Porrò S. Pancratii Elogium, illudquè brevius in Constantinopolitana adhibitum Hymnodia repræsentat Semestre Hyemale Menologii Basilii Imperatoris die 9. Februarii; Elogium autem in Sicilia recitari solitum, quod & præ antedicto prolixius exhibet idem Synaxariorum Messanensis Codex die 9. Julii. Diversitas hæc fuit in caussa, quamobrem Græci Officiorum Compilatores, alterum ordinem æmulantes, & ab altero non abhorrentes, utrumque Synaxarium paullò interpolatum in Menæis hodiernis utraque referrent die.

S.Marciani Officium in M.SS.Siculis.

VII. Et absque ulteriori probatione assertioni nostræ, de vario Ecclesiasticorum librorum usu, idem Messanensis Codex 128. fidem conciliat, qui ad 30. Octobris diem non modò Canonem, cujus suprà meminimus, verùm & integrum S. Marciani Episcopi, & Martyris Syracusani Officium repræsentat; quando in antiquis Constantinopolitanorum libris, ac signanter in antedicto Basilii Menologio, ne solum quidem nomen ejusdem S. Marciani apparet; imò & in prolixioribus, quibus Græci hodie utuntur, Codicibus, ne-

neque integrum legitur Officium, ſed Officii minima pars.

Græca Siculorum Liturgia diverſa à Conſtantinopolitana.

VIII. In Miſſarum quoque celebratione à Conſtantinopolitana Eccleſia diſtinguebatur Sicula; ne tamen hoc ex noſtra tantum cojectura aſſeverare videamur, facit, quòd Sanctorum ſolemnitates non unæ, quæ, intermiſſo ordine currenti, particulare poſcunt Evangelium, illud non idem ſemper apud Siculos, quàm apud Conſtantinopolitanos habebant. Sanè Miſſa S. Procopii celebris apud Græcos octava die Julii, ex proprio Siculis ritu Evangelio gaudebat ex Johanne 15. 17. *Hæc mando vobis, ut diligatis invicem*; & S. Panteleonis Miſſa qui die 27. Julii præcipuo colitur honore, ex Matth. 10. 16. *Ecce ego mitto vos, ſicut Oves in medio Luporum*; quemadmodum cognoſcere fas eſt ex Theophane Cerameo Tauromenii Archiepiſcopo (a); quando Eccleſiaſtici Orientalium libri fideli nos erudiunt hiſtoriâ, quod ſolemnitas poſtrema Evangelium obtinuerit primum, & ſolemnitas prima Evangelium ex Matth. 10. 37. *Qui amat Patrem, aut Matrem pluſquàm me, non eſt me dignus*; vetus item Evangeliorum Codex Siculus Bibliothecæ S. Salvatoris Meſſanæ ſub n. 26. in folio membranaceo pergrandi, charactere ſemiunciali pulcherrimè ſcriptus, in feſto S. Sabilæ die 4. Menſis Septembris ipſum idem Evangelium non legit, quod & Conſtantinopolitani: *Omnis ergo, qui confitebitur me coram hominibus*. Matth. 10. 32. ſed illud: *deſignavit Dominus & alios ſeptuaginta duos, & miſit illos*

(a) *Homil.* 56. & 58.

binos ante faciem suam. Luc. 10. 1. & in solemnitate adorationis Sanctæ, ac vivificæ Crucis die 10. ejusdem exhibet Evangelium: *Qui amat Patrem, aut Matrem plusquàm me, non est me dignus*. Matth. 10. 37. contrà verò ex ritu Constantinopolitano legitur Evangelium: *Collegerunt Pontifices, & Pharisæi concilium*. Johan. 11. 47.

IX. In designandis Epistolis post Evangelia de more legendis, Siculam inter & Constantinopolitanam Ecclesiam simile intercedit discrimen; id cognoscitur planè ex Apostolo, seù Epistolarum Codice 83. ejusdem Bibliothecæ in quarto membranaceo exarato; ubi, ne omnia memoremus, pro S. Hieromartyre Babila, & sociis ejus, designatur Epistola ex 2. ad Timot. 3. 16. *Omnis Scriptura divinitùs inspirata, utilis est ad docendum*; pro S. Sozonte die 7. Septembris Epistola ex Act. Apostol. 15. 35. *Paulus autem & Barnabas demorabantur Antiochiæ*; & pro S.Charitone die 28. ejusdem Epistola: *Mementote præpositorum vestrorum*. ad Hebræos 13. 7. cùm ex ritu ipsi Ecclesiæ Constantinopolitanæ proprio, S. Babilas postulet Epistolam: *Sancti per fidem vicerunt regna*. ad Hebr. 11. 33. S. Sozontes Epistolam: *Factum est autem, ut Petrus dùm pertransiret universos*. Act. Apost. 9. 32. Sanctus verò Charito Epistolam: *Qui dixit de tenebris lucem splendescere*. 2. ad Corinth. 4. 6.

Eædem solemnitates diversis quidè diebus in Sicilia, quàm Constantinopoli celebratæ.

X. Equidem, ut diverso ritu, ita diversis quoque diebus plures Sanctorum solemnitates Constantinopolitani, Siculique celebrabant, quibus præsentem hanc lucubrationem oneremus, non oportet; utpotè cùm de ipsis ad tempus rever-

reverſurus ſit ſermo; nè omninò tamen taciti pertranſire velle videamur, ſufficit memorare, hoc, poſt obſervationes varias, hiſce verbis Bollandianos ſocios præmonuiſſe *Siculorum Sanctorum plurium cultus inſtitutus Conſtantinopoli fuit aliis fere diebus, quàm quibus ipſimet Siculi eos colendos à Majoribus acceperant* (a).

XI. Ex Librorum Græcorum uſu illud Eccleſia noſtra ſenſit incommodum, quod Sanctorum Siculorum perquam multi, in Græcis jam Libris recepti, *Latinis extra Siciliam omnibus manſerant ignoti*, imò & Siculis ipſis latinorum inde librorum uſum retentantibus, donec Græcorum Menologium Eruditorum Orbi Sirletus latinitate dederit, ex quo *auctum à Baronio Romanum Martyrologium*. Hoc prius multo, quàm nos, obſervarunt iidem Socii Bollandiani (b).

Sanctorum Siculorũ multi quare latinis Faſtis non adſcripti.

CAPUT X.

Ritus, ac linguæ græcæ in Eccleſia Sicula poſt attritos Saracenos veſtigia.

I. Quæ de Græcanitate digeſta modò ſunt, quæque de Latinitate digerenda mox erunt, nolumus ita intelligas, quaſi erectâ cum Saracenorum excidio iſtâ, cum Nortmannorum triumpho illa prorſus remanſerit interempta; nam etſi roboratâ, Rogerii ope, Si-

(a) *Act. Sanctor. menſis Junii tom.* 4. *ie* 23. *de S. Agrippina* § 1. *n.* 5.

(b) *Act. Sanctor. menſis Maii Tom.* 2. *die* 10. *de SS. Alph. Phil. & Cyr.* §. 1. *n.* 1.

Siculi sub Normannis instruuntur græcè.

(*) Ιωάννου.

(*) Συρακούσης.

Siculorum Ecclesiâ, latini Episcopi sacra latinè celebrarent; at Populus tamen in latino eloquio ineruditus patrio sermone græco instruebatur: hoc verum esse probat Ιοάννου (*) τοῦ Τζίτζου ὑπόμνημα εἰς τὴν παρθένον μάρτυρα τοῦ Χριστοῦ Λουκίαν τῆς Σαρακούσης (*) πόλεως *Johannis Tzetzii in Virginem Christi Martyrem Luciam Syracusanæ Urbis monumentum*, circa medium duodecimi Seculi in ipsa Syracusarum Urbe, prius multò suo jam decoratâ Præsule latino, græcè recitatum, cui principium: Ἄλλαι μὲν ἄλλαι πόλεις. *Aliæ sunt, atque aliæ Urbes*. Hæc antiquitatis Tabula, quæ lucem adspexit nunquam, scripta per manum Danielis Monachi anno Mundi 6816. Christi verò 1308. (Siculi enim Christum natum credebant anno Mundi 5508.) asservatur Messanæ in Bibliotheca S. Salvatoris Ordinis S. Basilii Codice 42.

Clerus græcus Nortmānorum tempore in Sicilia.

II. Populus non modò, verùm & Presbyterum non uni, adhuc ordinatis Præsulibus latinis, pristinam sibi Græcanitatem non statim abdicarunt; quocirca anno Christi 1082. Rogerius Comes Troynensi subjecit Episcopo (a) *omnes Presbyteros Episcopatus tàm latinos, quàm græcos*; & anno 1093. Tancredus ejusdem Rogerii vestigia premens, in Syracusani Antistitis potestatem redegit (b) *Presbyteros, & Clericos omnes tàm græcos, quàm latinos*.

III. Credendum id maximè est pro temporibus, locisque illis, quibus, post Nortmannorum in Insulam adventum, græci præfuere Episcopi: nàm qui, exactis Saracenis, ad reparandum

(a) *Diploma Regium apud Pirr. Not. Eccl. Troynens.*
(b) *Diploma Regium apud eund. Not. Eccl. Syracus.*

dum Religionis noſtræ ſtatum, Chriſtianumque nomen extollendum, impigrè laborarunt Antiſtites, etſi majore ex parte latini fuerint, ut inferiùs manifeſtè patebit, duo tamen reperiuntur ritu, ſermoneque græci: alter eſt Nicodemus Panormitanus, de quo hæc tradidit Malaterra (a) illius temporis ſcriptor: *Natione Græcus, cultum Chriſtianæ Religionis pro poſſe exequebatur*; alter eſt Theophanes Tauromenitanus, cujus inſcriptæ nomine LXII. Lutetiæ Pariſiorum prælo traditæ ſunt Homiliæ εἰς Εὐαγγέλια κυριακὰ, καὶ ἑορτὰς τοῦ ὅλου ἐνιαυτοῦ. *In Evangelia Dominicalia & Feſta totius anni*; ambo ſub Saracenorum tyrannide crudeliter ejecti; ambo ſub Nortmannorum principatu piiſſimè reſtituti; quibus alium reverà ritum, quàm græcum uſui non fuiſſe, vel ipſæ Theophanis Homiliæ exploratum reddunt, potiſſimum ſexta ſupra vigeſimam in ſolemnitate Palmarum, quæ Ἐλέχθη δὲ ἐνώπιον τοῦ Ρ'ηγος Ρ'ογερίου. *Dicta eſt coram Rege Rogerio*; quemadmodum interpretantur Leo Allatius (*b*), Antonius Pagius (*c*), Guilielmus Cave (*d*), & Caſimirus Oudin (*e*), ſi adhærere iis malis potiùs, quàm ei, qui ipſum Theophanem ex Græco in Latinum vertit, ſapientiſſimiſque notis illuſtravit Franciſcus Scorſus (*f*), cui valdè perſuaſum eſt, Rogerio Rege Theophanem multum ſeniorem fuiſſe, utpotè qui Seculo nono

Nicodemus, & Theophanes Siciliæ Epiſcopi, ritu græci.

(a) *Hiſtor. Nortman. lib. 1. cap.* 45.
(b) *Diatrib. de Simeonum ſcriptis pag.* 68. *et ſeqq.*
(c) *Critic. Baron. Tom.* 4. *Ann. Chr.* 1152. *n.* 8. *et ſeqq.*
(d) *Hiſt. Liter. Scriptor. Eccleſ. Ann. Chr.* 1040. *verbo* Theophanes.
(e) *Commentar. de Scriptor. Eccl. Tom.* 2. *Ann. Chr.* 1140.
(f) *In Homil. Theoph. Ceram. proœm.* 2. §. 6.

nono sub Basilio, & Leone Imperatoribus claruerit.

IV. Successivis quoque temporibus cùm altas jam radices in Siculorum Ecclesiis latinus Gallorum ritus defixerat, in principalioribus Urbibus, Panormi potissimùm, ac Messanæ Clerum græcum cum Rectore sibi proprio viguisse, Ecclesiastica perhibet Historia. Porrò anno Orbis conditi 6672. Christi verò 1164. *Christodulus de Calos Protopapas Civitatis Panormi* interfuit, ac se subscripsit cuidam alienationi bonorum, quam inter Monumenta Historica Mansionis Ss. Trinitatis (*a*) editam habemus; sub ejusdem Seculi finem, idest anno Mundi 6698. *Altissimo* (ut sunt Instrumenti verba) *Reverendissimo, ac Sanctissimo Archiepiscopo Civitatis Panormi, Domino Gualterio* dimidium totius Collis *Billione* Basilius quidam vendidit *cum licentia Sacratissimi Protopapæ Civitatis Panormi, Domini Constantini*: hoc Sacræ Antiquitatis Documentum græcis literis manu exaratum, extat in Archivio Cœnobii Monialium S. Salvatoris Panormi; sequenti item Seculo literis traditum est Diploma Honorii Papæ III. ubi (*b*) sancitur, *ut Ecclesiæ Sanctæ Mariæ de Amirato solùm per Rectorem, & Clericos græcos serviatur*; eodem Seculo jam adulto, anno scilicet Mundi 6748. Christi 1240. Guilielmo Canonico Collegiatæ S. Petri Sacri, & Regii Palatii Panormitani hortum, consentiente Conjuge sua, vendidit Matthæus *Sacerdos, & Re-*

Protopapas Panormi.

(a) *Cap. 5. pag. 42.*
(b) *Apud Pirr. in Auctario Eccles. Panormit. Cap. de Monialium Cœnobiis.*

& Rector Cleri Græcorum. Venditionis Inſtrumentum aſſervatur inter membranas græcas ejuſdem Regiæ Cappellæ.

V. Meſſanæ pariter viguit olim; & noſtra etiam viget ætate Protopapæ dignitas, unà cum Clero ſuo græco; cujus Alumnus eſt S. T. D. D. Joſeph Vinci, Vir morum probitate, ac græcis, quas nos docuit, literis optimè præditus; ſed hocce de Protopapa eò libentiùs diſſerere prætermitto, quò magis jam in Eccleſiaſticis Siculorum Tabulis, editiſque Scriptorum Libris, ejus frequens occurrit memoria. Vide ſis Rocchum Pirrum *(a)*, Placidum Samperi *(b)*, Dominicum Macri *(c)*. Protopapas Meſſanæ.

VI. Græcis his, & Albanenſes illi adjungi meritò, ac commodè poſſunt, qui, Turcis Occidentalem Macedoniæ partem aggreſſis, in noſtram hanc Inſulam, deſertis patriis laribus, tranſmigrarunt; non quidem Regionis noſtræ amœnitate, ut Chalcidenſes olim, illecti; ſed ut Chriſtianæ Religionis dogmata, & ritus, quæ in ſua ſervare Terra nequibant, in noſtra ſaltem religioſiùs cuſtodirent. Loca autem ubi hæc deductæ ſunt Græcorum Coloniæ, ſunt: in Panormitana Diœceſi *Medium Juſſum*, in Monteregalenſi *Plana*, in Agrigentina *Palatium Adriani*, & *Contiſſa*. Græci iſti propter ſuſcipiendos Ordines, obtento Antiſtitis ſui teſtimonio, græcos adeunt Epiſcopos; qui verò abſque Ordinarii dimiſſoriis literis, vel ab Epiſcopis Schiſ- Græci Albanenſes in Siciliam tranſfretati.

(a) *In Auctar. Eccleſ. Meſſaneuſ. Cap. de Clero, et Miniſt. Eccl.*
(b) *Iconolog. Virginis Deiparæ Meſſan. cap.* 16.
(c) *Hierolex. verbo* Protopapas.

Schiſmaticis ad ſacros Ordines ſe promoveri præſumpſerint, ab exercitio Ordinum ſe abſtineant neceſſe eſt; ſin minus, efficiuntur irregulares; poſt autem canonicam ordinationem græcis Epiſcopis curæ non ſunt, cùm ad eorum ritus obſervandos, informandoſque mores, viſitandi, ac corrigendi poteſtas penes Diœceſanos reſideat Epiſcopos, prout de iis, qui Meſſanam incolunt, Græcis, adverſus Pamphilium Archiepiſcopum Græcum anno 1556. in Romana Curia deciſum refert Rocchus Pirrus *(a)*.

Monachorum Cœnobia Græco-Sicula.

VII. Præter Secularem Clerum Græcum, multa in Sicilia extabant olim Monachorum Cœnobia pſallendi ritu græca: quorum partim noſtra adhuc perſeverant ætate; partim temporum injuriis prorſus interierunt. Omnium notitiam nanciſci quiſquis vult, adeat qui de his omnibus ſingularem tractationem inſtituit, Rocchum Pirri *(b)*. Et ſanè in horum Monaſteriorum gratiam vir ille ſapientiſſimus Cardinalis Beſſarion, ut ipſemet profitetur *(c)*, breve ex omnibus S. Baſilii Regulis Compendium græcè, latinè, ac italicè concinnavit; quod, ut poſtea Græcis in Sicilia degentibus uſui eſſet, operam ſe dediſſe refert Julius Antonius Cardinalis Præneſtinus, ſive S. Severinæ *(d)*.

Sanctimonialium in Sicilia Monaſteria græca.

VIII. Sanctimonialium quoque Monaſteriis, in

(a) *Not. Eccleſ. Meſſanenſ. in Johanne Andrea de Mercurio XXXIII. Epiſc.*
(b) *Siciliâ Sacrâ lib.* 4. *par.* 1.
(c) *Proœm. Conſtit. Monach. Baſilienſ. Congreg. Italiæ*
(d) *Ibidem.*

in quibus divina Psalmodia græcâ persolvebatur linguâ, olim abundabat Sicilia; quorum ex numero unum est S. Salvatoris Ordinis S. Basilii Urbis Panormi, cui Alexander Papa VI. anno 1501. ut ritum latinum, omisso græco, amplecteretur, facultatem fecisse constat. In eo enim ad hanc usque asservatur ætatem antiquus Precum Liber græcè scriptus in quarto, quem Reginæ Constantiæ in usu fuisse, fama est. Messanæ sex fuere hujusmodi Monialium Cœnobia græca, quæ ab obedientia græcorum Abbatum distracta, Monachis latinis Clemens Papa IV. *(a)* anno 1268. subjecit; ex his unum illud *S. Mariæ de Scala*, alterum *Ascensionis*; tertium *S. Annæ*; quartum *S. Annæ de Scholario*; quintum *S. Barbaræ* sub Clemente Papa VI. Latinitatem induens, virtute Bullæ datæ Neapoli v. Idus Septembris, Pontificatus sui anno VIII. sextum demum *S. Salvatoris* olim *Philantropi* dictum, quod tardiùs Græcanitatem amisit; non enim multis ab hinc annis divinarum precum tributum latinè persolvere inchoavit; ejus siquidem perbrevem notitiam texens Pirrus superius laudatus *(b)*, Sanctimoniales, inquit, *nostra etiam ætate græcè psallunt*.

(a) *Auctar. Eccles. Messan. cap. de Monial. Cænobiis.*
(b) *Ibidem.*

CAPUT XI.

Ecclesiastici Libri Græco-Siculi Schismaticorum erroribus non fœdati.

I. SUscepto instituto maximè congruere videtur, ut illud silentio haud percurramus, quod Majores nostros apud posteros æternâ gloriâ donavit. Nam etsi Siculi, atque Constantinopolitani uno confœderabantur regimine, non eodem tamen fœdebantur scelere; nec Constantinopolitanæ Ecclesiæ fuit Sicula impiæ discipula falsitatis, tametsi illi Sacerdotalis filia fuerit dignitatis: quamobrem Ecclesiastici Siculorum Libri, quamvis Græci, à Græcorum tamen Schismaticorum erroribus immunes semper extiterunt. Porrò sacræ eruditionis Cultores eximii congnoscunt planè quantis Ecclesiastici Orientalium Libri fœdissimis dehonestentur erratis; quantis Græcam eorum fidem egregiis ornent encomiis, quantis orthodoxam Latinorum Ecclesiam acerrimis prosequantur injuriis.

Græca Siculorum Ecclesia à Constantinopolitanæ erroribus abhorret.

II. De singulis recensendis nec magna nobis, nec minima solicitudo fuit; non enim nimium ad nauseam usque vacavimus, ne doctas hoc de instituto Lucubrationes Georgii Scholarii, sive Gennadii *(a)*, Leonis Allatii *(b)*, Angeli Mariæ Cardinalis Quirini *(c)*, & Guilielmi Cave *(d)* ab Eruditorum manibus prorsus excutere velle videremur; nec autem curam deponere

(a) *Apolog. pro Oecumen. Synod. Florent.*
(b) *Differt. de Libr. & Reb. Eccl. Græcor.*
(c) *Diatrib. ad Vetus Offic. Quadr. Græc. Orthodox.*
(d) *Differt. 2. de Libr. & Offic. Ecclef. Græcor.*

nere qualemcumque potuimus, ne proprio id instituto deesse videretur, quod tanti est, ut præteriri sine culpa non possit. Omnes itaque errores in Triodio potissimum intromissi, adversus quos ipse præcipuè Allatius latè invehitur, ad octo Capita sequentia contrahimus: 1. Pœnarum Inferni finem aliquando esse futurum, atque Damnatorum animis proficuas esse preces, quæ Deo gratis effunduntur ἵνα (ut sunt Triodii verba) τῷ αἰωνίου πυρὸς αὐτὰς ῥύσηται, *ut eas ab igne sempiterno liberet*. 2. Justos, Damnatosque certis in locis detentos, finalis Judicii diem expectare, ex quibus οἱ μὲν τῇ ἐλπίδι χαίροντες, οἱ δὲ τῇ τῶν δεινῶν προσδοκίᾳ λυπούμενοι. *Illi spe gaudent, hi tormentorum expectatione mœrent*. 3. Damnatorum pœnas esse incorporeas, ac tenebras dicere, & τὸν ἀπὸ Θεοῦ μακρυσμόν, *à Deo elongationem*. 4. alterum Domini adventum μετὰ τὸν τῶν ἑπτὰ χιλιάδων χρόνων παρέλευσιν ἔσε, *post septem annorum millia exacta futurum*. 5. quòd pessimi quique viri, qui Græcorum adversus Latinos caussam egerunt, in secunda Quadragesimæ Dominica, quæ ὀρθοδοξίας, idest *rectæ fidei*, dicitur, Sancti, & Orthodoxi enuncientur. 6. quòd Gregorius Palama, quo nemo acriùs in Spiritum Sanctum, ac Romanam Ecclesiam machinas texuit, excellentiori afficietur sanctitatis elogio, præ Nazianzeno, Nysseno, Basilio, Chrysostomo, Athanasio, ceterisque Ecclesiæ græcæ culminibus; quocirca illum vocant στῦλον τῆς ἐκκλησίας ἀκράδαντον, *columnam Ecclesiæ inconcussum*; imò quò ne Sanctissima Virgine videretur minor, obtinuit Hymnum nonnihil interpolatum Officii *Acathisti*, sic dicti quòd ob re-

Græcorum Schismaticorum errores præcipui.

verentiam Deiparæ, cujus laudes continet, nunquam in eo recitando sedeatur. 7. quòd Apostolis in fermentato corpus suum Christus tradiderit, quòdque consecratio in azymo, tanquam mala, omninò sit rejicienda: Ergo (inquit idem Triodium) αἰσχυνθήτωσαν οὖν οἱ τῇ θυσίᾳ ἄζυμον προσφέροντες, *Confundantur qui in Sacrificio azymum offerunt*. 8. tandem, quòd Deipara in Christi passione affectibus tantæ. Virginis fortitudini indignis ultrò indulserit, atque doloris impatiens, laceratis crinibus, genas unguibus dilaniaverit, percussoque immoderatè pectore, voces more vilium muliercularum, lacrymosè extulerit.

Ab his Siculorum libri prorsus alieni.

III. Verum ab istis, & ceteris id genus erroribus, alieni prorsus sunt græci Siculorum Libri antiqui simul, ac recentiores, nihil in se ad unum continentes, quod pias aures offendat; id ipsum dicit non modò, verum & planè demonstrat Franciscus Combefis (a), sumpto argumento ex homiliis perquàm doctis Gregorii Ceramei Tauromenii in Sicilia Archiepiscopi, ex quibus una (b) dicta est in antedicta τῇ κυριακῇ τῆς ὀρθοδοξίας περὶ τῶν ἁγίων εἰκόνων. *Dominica Orthodoxiæ de Sanctis Imaginibus*; agens siquidem ipse Combefis, de solemni ejusdem Dominicæ festo, in quo Schismatici suos maximè errores ventitando, eorum sibi Auctores, & Antesignanos celebrant, horum, ait, *nullum vestigium in Gregorio Ceramo*; Combefisio testis accedit qui ipsum Gregorium cum Theophane ejusdem cognomenti, ejusdemque Ur-

(a) *Biblioth. Patr. Concion. Tom.* 1. *verbo* Gregorius Cerameus *pag.* 14.

(b) *Homil.* 20.

Urbis Archiepiscopo confundens, utriusque homilias sub unius nomine Græco-Latinas in lucem emisit, Franciscus Scorsus: differens enim (a) de hujusmodi homiliarum doctrina doctrinæ Patrum consentanea, primùm Romanæ Ecclesiæ plurimum ex ea adversus duodecim Calvinistarum falsitates accedere utilitatis demonstrat; tùm noxios Græcorum Schismaticorum errores exponens; nihil in antedictis homiliis esse asseverat, vel quòd illos manifestè contineat, vel quòd ad tuendos saltem eosdem deduci apertè possit: *quin etiam sunt dicta nonnulla, ex quibus Catholica dogmata confirmari possint*.

IV. Nemo sibi persuadeat, eorum mihi non probari consilium, qui aliquibus Episcopis Siculis schismatis notam imponunt: non enim eò imprudentissimis partium studiis ducimur, ut id perviccaciter eamus inficias, quo nihil verius esse lacrymabilis illa probat Historia schismatis Photiani in VIII. Oecumenico Concilio, Constantinopolitano IV. relata. At quid inde? Non autem flagitium unis Episcopis proprium, & singulare, tanti est, ut Ecclesiæ nostræ gloriam aut prorsus extingueret, aut paullum minueret; sed, ut eruditè observat Rocchus Pirrus (b), *ipsis dumtaxat vitio vertendum erit, non Ecclesiæ, vel Urbibus, quibus præfuerunt*. Enim verò ex iis ipsis Præsulibus quatuor, Euthymio Catanensi, Gregorio Messanensi, Zacharia Tauromenitano, & Gregorio, cognomento *Asbesta*, Syracusano, de quorum religiositate ipsi Pir-

Quales Episcopi Siculi Photio adhærent.

Euthymii Catanensis pœnitentia.

(a) *In Hom. Theoph. Ceram. proœm* 3. §. 1.
(b) *Disquisit.* 1. *de Patriarch. Sicil.* §. 7. *n.* 1.

Pirro videtur dubitandum, Primus quò impensiùs faverat Photio, eò vehementiùs paullò post favisse pœnituit, coram antedicta VIII. generali Synodo supplicem pœnitentiæ libellum ad impetrandam veniam offerens, & in gratiam Ecclesiæ Romanæ recipi enixissimè deprecans; qui in Sessione secunda à Concilii Patribus cum sola manus impositione receptus, nullum ulteriùs erroris vestigium posteritati reliquit; quin potiùs veræ, rectæque fidei professionem sæpiùs emittens, Sectarios, eorumque schisma iteratis anathematum vinculis non secus, ac viri sanctissimi, qui Romana dogmata constantissimè tutati erant, innodat; ergo quæ proximè celebrata est Sessio tertia, secundum editionem latinam ex interpretatione Anastasii testis oculati, & coævi (a) ipsum Euthymium inter Antistites, qui Synodo interfuerunt cum laude memorat, inquiens: *Considentibus autem & Deo amicissimis Episcopis.... Euthymio Deo amicissimo Metropolitâ Catanæ,.... Niceta Deo amicissimo Episcopo Cephaludii*: quæ verba & aliæ, quibus ipse Euthymius præfuit, repræsentant Sessiones, idest 5. 6. 7. 8. & 10.

Item & Gregorii Messanensis.

V. Messanensis, exto ejusdem surfuris fuerit, ac Catanensis (quod adhuc incompertum ego habeo) non aliter tamen, quàm iste, quod commisit mox infectum esse voluit; eadem enim Sessio 3. simul & 4. 9. & 10. ad quas proscribendi schismatis gratia convenerat, eum aut nunquam errantem, aut certè resipiscentem demonstrant.

VI. Quod

(a) *Tom.10. Concilior. postremæ editionis col. 514. & seqq.*

VI. Quod ad Gregorium Syracuſarum, & Zachariam Tauromenii attinet, quorum voluntas pervicax fuit, & obſtinatior, ipſis in antedicta VIII. Synodo generali unà cum Photio ſchiſmatis auctore primario depoſitis, & exauctoratis alii extemplò ſuffecti ſunt Epiſcopi Romano Pontifici obedientiſſimi: alter fuit vir ille religioſiſſimus Sophronius Syracuſarum Antiſtes, qui, Saracenica direptione Urbe vaſtata, pro Chriſtianæ Religionis veritate tuenda tàm gravia paſſus eſt, ut celebrioribus illius ætatis Martyribus eum comparare non dubitet qui rem ſuis inſpexit oculis, Theodoſius Monachus *(a)*; nam etſi Pirrus *(b)* Epiſcoporum Syracuſanorum Hiſtoriam texens, medium inter Gregorium, & Sophronium conſtituat Theodorum à S. Ignatio Patriarcha Conſtantinopolitano in locum Gregorii *Asbeſtæ* jam depoſiti conſecratum; attamen Theodorum hunc, nemo Syracuſarum Epiſcopum exiſtimat, qui non ignorat, quòd Gregorii depoſitio, quæ Romani Pontificis aſſenſu rata habenda erat *à Sede Apoſtolica non ſuſcepta, remanſit infirma*, ut loquitur Nicolaus Papa I. ad Michaelem Orientis Imperatorem ſcribens *(b)*; Epiſcopus alter fuit Gregorius Cerameus Tauromenitanus, de cujus recta fide celebre cum Combefiſio, & Scorſo ſcripſimus elogium, ex quibus poſtremus ipſum Cerameum à Romano Pontifice, vel certè à S. Ignatio Patriarcha, ſedatis jam per Synodum VIII. Photia-

Gregorio Syracuſano depoſito Sophronius ſufficitur.

Gregorius Cerameus in locum Zachariæ Tauromenitani electus.

(a) *Epiſt. ad Leonem Archidiac. de expugnatione Syracuſ. Urbis.*

(b) *Lib. 3. Notit. 2. Eccleſ. Syracuſ. ad annum* 866.

(c) *Epiſt. 9. ad Michael. Orientis Imperat.*

tiani schismatis turbis, consecratum eruditè sustinet, seque summa cum fiducia toti Catholicorum Orbi testem profert, ne unum quidem in ejusmodi Ceramei homiliis minutiùs, & scrupulosiùs, quàm instituto fortassis convenerat suo, examinatis, apparere schismatis ullius vestigium, potissimùm *quod attinet ad subjectionem ad Romanam sedem; sed potiùs plurima expressa argumenta communionis ad illam* (a).

VII. Possem Scriptoribus aliis rem planè confirmare; sed si pauci, aut si plures, aut quotquot erunt, curæ nobis esse non debent: omnibus enim auctoritate, atque antiquitate unus Innocentius Papæ III. ita præstat, ut jam & si magna ii dixerint, non magna tamen dixisse videantur. Quis enim in testimonio de recta Siculorum fide perhibendo cum Romano Pontifice est æquandus? Quis cum Scriptore perquàm vetusto, & penè coævo conferendus? Is autem non in ultimis laudum illud Siciliæ fuisse refert (*b*), quod *inter universas, & singulas Regiones, in quibus nomen colitur Christianum ferè semper promptiùs, & devotiùs in Ecclesiæ Romanæ devotione permansit*.

Innocentii Papæ III. de Siculorum religione testimonium.

VIII. Hactenus exposita tempus illud respiciunt, quo Ecclesia Sicula per Imperatores Orientales à Matre sua Romana Ecclesia distracta, Constantinopolitano Patriarchatui subjugata est, græco ritu, & linguâ in Ecclesiis communiter utens; nunc de tempore altero dicamus, quo, exactis Saracenis, ad Romani Pontificis potestatem reversa est, usum Græcanitatis in sacris quadante-

(a) *In Homil. Theoph. Ceram. proœm. 2. §. 7.*
(b) *Tom. 2. lib. 2. Epist. ad Reginam Siciliæ* Constantiam.

Græco-Siculi etiam post exactos Saracenos, Latinis uniti.

dantenùs adhibens. Et ſanè poſtquam recepta à Nortmannis Sicilia fuit, ſalutaribus Romanæ Eccleſiæ mandatis Græco-Siculi adeò paruerunt, ut nullâ prorſus ſchiſmatis maculâ notari quæant; ad hujus rei fidem conciliandam abſque ulteriori teſtimonio vel unus ſchiſmaticus homo, Theodorus Balſamo (*a*) ſufficere videtur: ipſe enim, ſeneſcente duodecimo Seculo, in id impietatis proruit, ut Siciliæ conditionem deploraret, propterea quòd illa ad poteſtatem Romani Pontificis reverſa, ſchiſmaticæ factionis ſuæ erroribus, ac hæreſibus auctoritatem ulteriùs non adderet, ſubjungens καὶ εὔχομαι ἵνα καὶ αὐτὴ ἐπανέλθῃ εἰς πρότερα δίκαια, *& precor, ut & ipſa redeat ad priſtina jura*. Deus avertat tale omen, quo miſer homo ſuis interceptus erroribus, non bona, ſed dira ſibi, & univerſæ Eccleſiæ Dei precatur.

Protopapas Meſſanēſis Florentinę Synodo interfuit.

IX. Quamobrem celebratæ ſub Eugenio Papa IV. Synodo Florentinæ ad unionem in fide, & ritibus Græcos inter, & Latinos ſtabiliendam interfuit, ac ſe ſubſcripſit Græcorum Protopapas Meſſanenſis Siculus, quo neminem fortiùs, neminem acriùs adverſus Schiſmaticos unionem defendiſſe traditur (*b*). Hujus Protopapæ ſubſcriptionem in omnibus Conciliorum editionibus deſiderari, non diſſimulo; id tamen geſtæ rei fidem non derogat: ut enim admonent poſtremæ Collectionis Conciliorum Curatores (*c*), *ultima Seſſione celebrata, multi priuſquàm hujuſmodi ſubſcriptio fieret diſceſſerunt*. Viget noſtra adhuc

L ӕta-

(a) *In Expoſit. Can. 2. Concil. Nicæni.*
(b) *Apud Placid. Samper. Iconolog. Virg. Mariæ lib. 1. cap. 16.*
(c) *Tom. 18. Concilior. par. 1. col. 531.*

ætate in ipsa Messanensi Urbe tàm sanctæ unionis memoria, dùm Protopapæ, ejusque Clero græco non parum in Ecclesiasticis solemnitatibus tribuatur honoris, præcipuè in die Pentecostes; quæ honorifica demonstratio, teste Dominico Macri (*a*), ideo die ista Græcis Siculis impertitur, ut magis, ac magis renovetur memoria *unionis eorum cum Latinorum dogmatibus, præcipuè in materia processionis Spiritus Sancti*. Eâdem penè phrasi tantam, talemque Siciliæ gloriam ab hominum oblivione vindicat Nicolaus du Mortier (*b*), dicens: Protopapæ dignitatem unam ex iis, quæ in Ecclesia Constantinopolitana olim erant, Messanæ in Sicilia remansisse, ac præesse Græcorum Ecclesiæ, quæ quòd semper cum Ecclesia latina conjuncta fuerit, *Catholica* dicta est: *Fidelis maximè in processione Spiritus Sancti à Filio tuenda*.

X. Memoranda itaque Ecclesiæ Siculæ gloria est, quòd in concinnandis Ecclesiasticis Libris unum semper, eundemque à Romana Ecclesia præscriptum canonem examussìm observaret, atque Græcæ Ecclesiæ rationem rationis omnis expertem, & quàm execrabilem æmulari nunquam desideraret: non enim cùm in Romanorum erat potestate, Costantinopolitanorum sequuta est errores; nec cùm Costantinopolitanorum premebatur dominatu, Romanorum deseruit leges; sed & Romanæ subjecta diœcesi, & tyrannicis manibus ab ea divulsa, atque demùm ad jus pristinum, excusso jugo, restituta, magnam semper curam adhibuit, quo nè ex omnibus Græcorum erroribus vel unus in suos rei Sacræ Codices irreperet.

XI. Ce-

(a) *Hierolex. verbo* Protopapas.
(b) *Etymolog. Sacræ Græco-Latinæ pag.* 545.

XI. Ceterum quam in Sicilia Ecclesiæ græcæ cum latina unionem anteacta inspexerunt Secula, hanc præsentia quoque inspicere gaudent: porrò Græci omnes, qui postremo in Siciliam transmigrarunt, atque in diem transmigrant, veterem Christianæ veritatis concordiam novo societatis fœdere confirmant, Oecumenicis Conciliis, Florentino potissimùm, & Tridentino obsequentes; hinc ad Ecclesiasticos Schismaticorum Libros, quos defectu sanioris editionis, adeant, oportet, pristino nitori suo, abscissis mendis, restituendos toti incumbunt. Sed quoniam tot in his sunt expurgatione digna, ut cognosci probè non possint, nisi ab homine ut rituum, sic linguæ illius Gentis callentissimo; icircò Ecclesias Græco-Siculas nostri visitantes Præsules zelantissimi, multum diligentiæ insumere solent, ut Ecclesiastici Codices subtiliùs examinentur judicio Virorum græcâ simul, ac latinâ eruditione pollentium; quibus signanter sollicitudo est de Triodio præ cæteris Libris, ut observavimus, gravioribus fœdato erratis; cui aliquando rudes, & indocti Sacerdotes inconsideratè studuerunt, & quidem studerent adhuc, si sapientiores Viri vel vetus non emendarent, vel novum emendatum jam Bononiæ anno 1724. illis legendum non proponerent. Ex Viris istis de Christiana, ac Literaria Republica optimè meritis unus est omnium sermonibus, & scriptis honestandus, Pater Georgius Gozetta, Panormitanæ Congregationis Oratorii Presbyter, qui nullum non movet lapidem, unde dissolutis schismatis vinculis, Latinis contribulam Gentem græcam sanctæ unionis fœdere firmissimè ad-

Siculorum diligentia in emendandis Græcorum Libris.

adſtringeret. Ejus curâ duplex in Oppido *Planâ* erectum eſt Collegium: alterum Virorum, Mulierum alterum, qui juvenili utriuſque ſexus ætati honeſtatem vitæ, morum probitatem, cœlibatus excellentiam, & gravi inſinuant præcepto, & utili ſuadent exemplo. Cui illuſtri viro illud quoque debet Sicilia, quòd cùm hæc molimur, græcum Clericorum Seminarium hac erigit in Urbe, ubi ſeptendecim modò pueri literas diſciplinam, & mores patrios Schiſmaticorum erroribus prorſus defæcatos addiſcunt.

XII. Tanta fuit Siciliæ cura, ut aliquid in græca ſua Gente de inita jam cum latina Eccleſia concordia non immutetur; nec ſegniorem præſtitit diligentiam, quo nè aliquid in ſanam eorum mentem impurum, aut erroneum furtim introducatur, eorum præcipuè vafritiâ, qui Schiſmaticorum erroribus perditiſſimè addicti, ex Orientali plaga in noſtram hanc Inſulam navigant. Nulla enim ætas criminum fuit expers, & bonos malis permixtos olim tulit, fertque hodie Eccleſia: quocirca Meſſanæ, ubi potiſſimùm appellere illis conſuetudo eſt, viget Conſtitutio quinque corroborata Synodis, Antonii Lombardo *(a)*, Andreæ Maſtrilli *(b)*, Simeonis Caraſa *(c)*, Joſeph Cicala *(d)*, & Joſeph Migliaccio *(e)*, ut omnes Presbyteri, Clerici, Hieromonachi, bonarum artium Magiſtri, Docto-

Græci in Siciliam navigantes, fidei profeſſionem emittere tenentur.

(a) *Part.* 1. *cap.* 15.
(b) *Part.* 1. *cap.* 1.
(c) *Part.* 2. *cap.* 13.
(d) *Seſſ.* 2. *Tit.* 2. *decret.* 6.
(e) *Seſſ.* 3. *Tit.* 2. *decret.* 11.

ctores, & Medici quartâ post eorum adventum die solemnem fidei professionem coram Protopapa, ad præscriptum Gregorii Papæ XIII. græco idiomate emittant.

XIII. Afferamus hic Decreta ex Synodo Cosmæ Cardinalis de Torres Archiepiscopi Montis Regalis excerpta pro Libris Græco-Siculis, juxta Romanæ Ecclesiæ sensum emendandis, quibus Tractatus hic noster illustrior redditur *(a)*.

DECRETA SYNODICA SICULA

CONTRA GRÆCORUM ERRORES.

„ PRavos errores, vanas superstitiones, & „ detestabiles hæreses, Catholicæ fidei pla„ cita evertentes, a recentioribus Hæreticis in „ Græcorum libris insertas proscribere cum de„ beamus ex officio nostro Pastorali; nè si „ curiosè nimis gratis oculis inspiciantur ingen„ tem pariant legentium animis interitum, & „ ruinam; sub pœna excommunicationis latæ „ sententiæ præsenti Decreto prohibemus reci„ tari in Triodio, seu Officio Quadragesimali „ Synaxarium, quod recitari consueverat post „ lectionem, seu Odam sextam Sabbati ante „ Dominicam Sexagesimæ (quo die fit solemnis „ Defunctorum omnium Commemoratio) in quo „ habetur vetus illa Arii hæresis Hieronymi „ temporibus nata, & nupera Calvinistarum, „ purgatorias pœnas respuentium, asserentiumque animas non statim ac corporibus exuuntur

(a) *Part.* 1. *Tit. final. de* Italo-Græcis *cap.* 11. *&* 12.

„ tur in cœlum recipi, vel æternis mancipari
„ pœnis, sed post peractum Universale Judi-
„ cium. Mandamus insuper sub eadem pœna
„ paginas omnes dictum Synaxarium continen-
„ tes, rescindi, ac penitus avelli.

„ PRohibemus etiam sub eadem excommu-
„ nicationis pœna recitari in posterum Of-
„ ficium impii Gregorii Palamæ Archiepiscopi
„ Tessalonicensis, recitari solitum Dominica II.
„ Quadragesimæ, & acclamationes quasdam in
„ laudem ipsius, & damnati Photii Patriarchæ
„ Constantinopolitani, ac detestationes in scri-
„ bentes, vel contra nefarium eundem Pho-
„ tium loquentes, recitari solitas Dominica pri-
„ ma Quadragesimæ completo matutino, & Sy-
„ naxarium Xantopoli recitari solitum post le-
„ ctionem, seu Odam Sextam Feriæ VI. ma-
„ joris hebdomadæ, in quo habetur antiquus
„ Græcorum error, damnantium celebrantes in
„ Azymis, & Officium Johannis Pharisaici, Jeju-
„ natoris, & hypocritæ, quem Innocentius III.
„ Summus Pontifex excommunicatum testatur
„ objisse; & tam dicta Officia, quam acclamatio-
„ nes, & detestationes ipsas aboleri, & tan-
„ quam impias expungi tam à Triodio ipso,
„ quam ab aliis Græcorum libris, in quibus
„ inferuntur, præcipimus sub eadem excom-
„ municationis latæ sententiæ pœna.

CA-

CAPUT XII.

Ritus Gallicanus cum Nortmannis in Siciliam invectus.

I. TEmpus eſt jam, ut de quarta ætate non nihil dicamus, quæ à Principum Nortmannorum in Siciliam adventu initium trahens, ad Pontificatum uſque S. Pii V. protenditur. Quippè poſt medium undecimi Seculi, Deo auſpice, Robertus Dux, Comeſque Rogerius è Gallia in Siciliam venerunt, ac exactis vicatim Saracenis, brevi ad ſupremum uſque jus, in Siculos dominati ſunt; quibus nihil magis cordi fuit, quàm collapſum Chriſtianæ Religionis ſtatum veluti poſtliminio reſtituere. Sed intelligentes ſine devotæ militiæ Ducibus id commodè fieri non poſſe, ad inſtituendos Epiſcopos animum adjecerunt, ut à Latino ii Patriarcha, & reciperent conſecrationis honorem, & non reſpuerent Sacerdotii Leges; inauguratis itaque his Præſulibus, morum, ſermoniſque Latinitas Siculorum Eccleſiis rurſus uſui fuit, ſed juxtà Gallorum, quorum obtemperabant nationi, ordinem, & ritum. Per hæc ſiquidem annorum curricula aliis ad rem ſacram Libris, quàm Gallicanis, uſa minimè eſt Sicilia; hoc verum eſſe, ſuadet, multiplici etiam rationum apparatu ſuſtinet Continuator Johannis Bollandi, Daniel Papebrochius (*a*), eruditè ſuccenſens perperàm aſſerentibus, *Gallicani Breviarii uſum primùm in Sicilia in-*

(a) *Act. Sanct. menſis Junii Tom. 4. die 23. de S. Agrippina Virg. & Martyr.* §. 2. n. 12.

introductum à Gallis sub Carolo Andegavensi S. Ludovici Fratre illuc ingressis anno 1267.

II. Sed quid opus est Exterorum rationibus id, quod dicimus, confirmare, cùm nobis domestica suppetant argumenta, quibus utramque fieri paginam, non dubium est? Occurrunt enim passim per Siciliam, qui multorum manibus teruntur, manuscripti Codices; hi secundum ecclesiasticam Gallorum disciplinam concinnati, ætatem inviso Caroli Andegavensis dominatu antiquiorem præseferunt; quocirca non dum in Siciliam sub eodem Carolo Galli venerant, & jam Ecclesiastici Gallorum Libri invecti in eam erant. De recensendis Codicibus his magnopere non sumus solliciti, cùm vel unius Panormitanæ nostræ Ecclesiæ membranæ planè sufficiant, nè intra ingenii aleam res deinceps poneretur: extat inter alia, vetus Missale Gallicanum in quarto pergrandi, & penè palmari, characteribus, pro ea ætate, affabrè efformatis; incipit a Dominica prima Adventus, & deinceps per 252. folia discurrens, Dominicas alias, & Festa totius anni complectitur. Hocce Missale altero Gallorum adventu antiquius esse, qui negat, Sacræ eruditionis omninò sit expers, oportet, cum multa ante annum 1267. (quo Sicilia in dominium Caroli Andegavensi venit) & publicâ abrogata auctoritate præseferat, & Pontificio instituta decreto omittat: exhibet enim (a) Missam *Judicii Aquæ frigidæ* - *Judicii Aquæ ferventis* - *Judicii ferri Calidi &c.* In quibus, qui innocenter in crimen aliquod vocabantur per can-

Antiqui in Sicilia Libri Gallicani.

Leges *paribiles* olim in Sicilia.

(a) *Pag.* 221. *& seqq.*

candens ferrum, ac per calidam, frigidamque aquam haud se lædi præfidentius promittebant, si quo minus, sese criminis convictos jam declarabant; quæ leges *paribiles* (ut vocant) satis ante Regem Carolum Andegavensem, urgente Imperatoris Regis nostri Friderici Constitutione, (*a*) in Sicilia sublatæ omninò erant. Contrà verò omittit Missam Corporis Christi, quam Urbanus Papa IV. anno 1262. ab omnibus celebrari sanxit; item Missas plurimorum Sanctorum prius multo, quàm Siciliam Galli secundò adierant, solemnis Canonizationis honore affectorum, idest S. Dominici, S. Antonii de Padua, S. Francisci Assisis, S. Thomæ Cantuariæ, S. Bernardi Claræ-Vallensis, & aliorum, quorum nec nuda quidem nomina apparent vel in solemnitatum Ordine, vel in majoribus Sabbati Sancti Litaniis, quas in vetustatis obsequium loco suo integra cum fide publici juris efficere speramus.

Leges istæ Friderici Cōstitutione sublatæ.

III. Deinceps quos gubernaculis Ecclesiæ Siculæ Nortmannorum pietas, attritis Saracenis, voluit præsidere, Antistites, vel omnes, vel plures certè, ut post Gaufridum Malaterram (*b*), gentica perhibet historia, Galli fuerunt, veluti Robertus Troynensis primùm, Messanensis inde Præsul, Ansgerius Catanensis, S. Gerlandus Agrigentinus, Stephanus Mazariensis, & Rogerius Syracusanus: consequens est, Clerum Siculum ei adhæsisse ritui, qui instituenti, dominantique Nationi proprius erat, sin minus, in fidei tantum unione, non in celebratione quoque

Siculorum Ecclesiis à Nortmannis Gallicani dantur Episcopi.

M que

(a) *Constit. Regni Sicil. lib.* 1. *tit.* 31. *pag.* 175.
(b) *Hist. Nortman. lib.* 4. *cap.* 7.

que Officiorum esset Galliæ copulata Sicilia; quod veriori sacræ antiquitatis notitiæ minimè congruit: jam enim à Seculo octavo illud in religionem Gallis venerat, *ut non esset dispar ordo psallendi, quibus erat compar ardor credendi; & quæ unitæ erant unius Sanctæ Legis sacrâ lectione, essent etiam unitæ unius modulationis veneranda traditione; nec sejungeret Officiorum varia celebratio, quas conjunxerat unicæ fidei pia devotio*. Luculentum hoc testimonium desumptum à nobis est ex Tractatu de Sanctis Imaginibus contra Synodum Græcorum (*a*), quem à diversis compositum Auctoribus, Adriano Pontifici Imperator Carolus Magnus examinandum misit.

Nortmanni à Græcorum ritu, ac more abhorrent.

IV. Postea si Ecclesiastica Gallorum disciplina usui tunc Siculis non fuisset, Græcam dubio procul fuisse, dicere deberemus; atque ita in Sacrificiis non azymi, sed fermentati usum apud Ecclesiam Siculam invaluisse, necesse esset; quod tantùm à veritate abhorret, quantùm Nortmannos Siciliam advectos à fermentati disciplina alienos fuisse, jam planè constat: memorat enim Malaterra Scriptor coævus (*b*), Urbanum Papam II., & Comitem Rogerium Anno 1085. Troynæ convenisse, ad id occasionem paterna illa increpatione præbente, quâ Constantinopolitanum Imperatorem ipse Pontifex commonuerat, quòd Christianis Latinis præciperet *in Sacrificiis more Græcorum fermentato uti*: additque: *quod nostra religio omninò non habet*.

V. Ulte-

(a) *Lib.* 1. *cap.* 6.
(b) *Hist. Nortman. lib.* 4. *cap.* 13.

V. Ulterius, quo amabò tempore in Siciliam Gallici Libri (quorum multitudo nostrâ adhuc prostat ætate) primùm invecti sunt, si non cum Nortmannis à Gallia illuc transmigrantibus? Sanè bis tantum Siculorum dominati sunt Galli, quorum dominatus alter invisus omnibus, atque brevis, primus perquàm gratus, atque diuturnus, alter, cùm rei divinæ summa cum tranquillitate Sicilia studeret, & Ecclesiastici ei Libri non deessent, primus cùm Siculorum *rudibus Ecclesiis* (ut cum Gregorio (a) Papa VIII. loquar) *noviter ad fidem, vel venientibus, vel redeuntibus*, aut nullus prorsus, aut nulli proximus completus ritus esset; eo vel maximè quod Nortmanni è Gallia advecti, jam Latinitatem ubique inducere magnoperè prægestiebant: unde Marcus Buamundus Roberti Wiscardi filius, quotquot Jerosolymis sub finem Seculi undecimi reperit Monasteria, quæ, ejectis Dei cultoribus, Barbari impiè spoliarant, referente Ordorico Vitali Scriptore Nortmanno, & coævo (b), non Græcis, sed Latinis Monachis assignavit, & Clericis, *ut secundum Latinitatis usum divinæ majestati servitium persolverent*. Ex omnibus Jerosolymitanis his Monasteriis illud nominatissimum, quod *S. Mariæ de Latina* nomine insignitum est, cui duplex ejusdem nominis Monasterium ipsius Buamundi Patruus, Comes Rogerius in Sicilia religiosissimè subjecit, prout insinuant diplomata re-

Nortmanni de suo ubique ritu invehendo solliciti.

Ecclesiæ Siculæ Cœnobio Jerosolymitano *S. Mariæ de Latina* subjectæ.

(a) *Bull. Eccl. Pavor. Anno* 1082.
(b) *Hist. Eccles. lib.* 10. *Ann. Chr.* 1099.

regia à Roccho Pirro laudata (a). Imò præter Obedientias (ut Monumentorum vocabulo utar) ipsis eisdem Monasteriis proprias, alias Jerosolymorum Monasterium Latinum in Sicilia Ecclesias habuit filiales, quas enunciat Benedicti Papæ IX. Bulla (b) à paucis observata, à nemine excussa, in quam nos Pirro hac in parte fortunatiores, oculos injecisse præfiscinè gloriamur: Scripturis enim donorum omnium, & munerum, quibus antedictum Monasterium Christiana pietas locupletaverat, confirmationem adjungens firmissimam inquit: *Item in Sicilia Ecclesiam S. Philippi de Argirion* (*) *cum Cappellis ob eadem Ecclesia dependentibus, & omnibus juribus, & pertinentiis suis; Ecclesiam S. Crucis de Rosa Cambra, cum omnibus juribus, & pertinentiis suis; Ecclesiam Sancti Laurentii de Siclo, cum omnibus juribus, & pertinentiis suis; Ecclesiam S. Nicolai de Xiacca* (*), *cum omnibus juribus, & pertinentiis suis; Ecclesiam Sancti Petri de Vaccara, cum omnibus juribus, & pertinentiis suis; Ecclesiam Sancti Philippi de Capitio, cum omnibus juribus, & pertinentiis; Ecclesiam Sanctæ Mariæ de Eremitis in Politti* (*), *cum omnibus juribus, & pertinentiis suis; Ecclesiam Sancti Petri de Cave, cum omnibus juribus, & pertinentiis suis; Ecclesiam Sanctæ Mariæ de Latina Messanæ, cum omnibus juribus, & pertinentiis suis.*

(*) Agyrio.

(*) Sacca.

(*) Politii.

VI.

(a) *Not. Eccles. Catanens. de Civitate Agyræ* §. 7.
(a) *Extat inter Monumenta Monasterii S. Margaritæ Politii.*

VI. Adjungi his commodè ac meritò poteſt argumentum alterum, quo magis, magiſque confirmatur Gallorum in Siciliam ſub Carolo Andegavenſi adventu nihil novi in Eccleſiaſticos noſtros Ritus invectum fuiſſe: exploratum enim eſt, ſatis ante ejuſdem Regis Caroli ætatem, morem pulſandæ Campanæ ad hoſtiæ elevationem introductum in Gallia jam fuiſſe; quandoquidem Guilielmus Pariſienſis Epiſcopus, qui duodecimum Chriſti Seculum illuſtravit, ſanxit (a): *Ut in celebratione Miſſarum, quando Corpus Chriſti elevatur, in ipſa elevatione Campana pulſetur*; & Matildi Anglorum Reginæ Ivo Carnotenſis eodem fermè tempore gratias egit pro datis Eccleſiæ B. Virginis Campanis, quæ pulſantur (b) *quando illa ſalutaris hoſtia pro nobis redimendis in Ara Crucis oblata, per novi Sacerdotis miniſtros in Domini menſa quotidie conſecratur*. In Sicilia autem nullum piæ hujus ceremoniæ invenimus veſtigium, quod antiquius ſit ſextodecimo Seculo; quando Syracuſarum Præſul Hieronymus Bononius (c) ſtatuit, ut ſuæ Diœceſis Rectores *morem introducant, ut quoties elevatur Corpus, & Sanguis Domini Jeſu Chriſti in majori Miſſa pulſentur Campanæ de Campanili*. Si enim Majores noſtri dum eſſent ſub Caroli Andegavenſi dominatu Gallicanum Ritum accepiſſent, abſque dubio & morem hunc adoptaſſent, qui tunc in Gallia obtinebat.

Mos pulſandæ Campanæ ad hoſtiæ elevationem.

CA-

(a) *Tom. 7. Concilior. Binii par. 1. c. 14.*
(b) *Epiſt. 142.*
(c) *Synod. Syrac. Tit. 2. cap. 14.*

CAPUT XIII.

Imago Ritus Gallo-Siculi ; ejusque varia interpolatio.

I. Ecclesiasticum Ritum Gallicanum à Nortmannis Siciliam accepisse, exposuimus hactenus: restat nunc pars disquisitionis obscurior, quæ reverà, & qualis fuerit hujusmodi Ritus ratio. Sed quoniam piaculum est non facili expiatione dignum, rem tam gravem, solâ ingenii divinatione prosequi: consulenda itaque sunt venerandæ eruditionis Monumenta, ut ex iis imago saltem antiquæ illius disciplinæ, quæ indiligenti funerata silentio jacet, è suo veluti tumulo excitaretur. Ante hoc tamen Lector advertat, velimus, nos haud agere de Missa ante tempora Pipini, & Caroli Magni in Galliis usitata, quam olim exposuit S. Germanus Parisiensis Episcopus, quamque illustrarunt Viri maximè inclyti Johannes Cardinalis Bona *(a)*, Joseph Cardinalis Thomasius *(b)*, Johannes Mabillonius *(c)*, & Petrus le Brun *(d)*: cùm Eruditorum neminem lateat, eosdem Pipinum, & Carolum in abrogandis Gallicanis, Romanisque propagandis Ritibus sedulam diligentiam adhibuisse: quod & ipsemet nos docet Princeps religiosissimus Carolus Magnus *(e)*; sed quòd tantùm

(a) *Rer. Liturg. lib.* 1. *cap.* 12.
(b) *Liturgia Gallic. edita Romæ anno* 1680.
(c) *Liturgia Gallic. Parisiis anno* 1685. *edita.*
(d) *Explicat. Ceremon. Missæ Tom.* 2. *Dissert.* 4. *art.* 1. *& seqq.*
(e) *Tract. de Sacr. Imag. lib.* 1. *cap.* 6.

tùm simplicem Missam Romanam illis interpolatam Orationibus indagare conemur, quas recepit in Gallia, ac in Siciliam transvecta, retinuit.

II. Enim verò Missæ Ordinem invenimus in antiquo Codice membranaceo in quarto Panormitanæ nostræ Ecclesiæ, quem propè finem Seculi undecimi, sive initio duodecimi scriptum esse, haud tenui quidem conjecturâ prospeximus supra *(a)*. Ordo iste neque Panormitanæ, nec alterius Ecclesiæ Siculæ titulum præsefert, quare omnes, opinor, non adhuc suis gaudentes novitatibus, illi communiter studuerunt. Quamobrem imperiti ejus Antiquarii licentiam non laudo, qui alteri ejusdem ferè antiquitatis Missali in folio pergrandi ejusdem Ecclesiæ titulum manu recentiori inscripsit: *Missale Antiquum S. Panormitanæ Ecclesiæ*. Ne quid autem hìc desit, quod ad Operis illustrationem pertineat, antiquum hunc Ordinem Missæ nondum editum in calce præsentis Tractatus publicæ notitiæ submittere speramus, simul cum altero recentioris Missæ Gallo-Siculæ Ordine ex tribus Missalibus Libris *juxtà morem Gallicorum, ac Ecclesiæ Messanensis* excerpto, qui propterea quòd antedicti Libri præ manibus non sint, non omnibus, sed paucis tantummodò patet. Ex hoc duplici Ordine apparebit qualis fuerit vetus Missæ forma è Gallia sub Principibus Nortmannis in Siciliam advecta, & qualem indè aucta precationibus, novam interpolationem sit passa.

Ordo antiquæ Missæ Gallo-Siculæ.

III. Ad

(a) *Cap.* 12. *n.* 2.

Antiquus Codex Siculus Psalmodiæ Gallicanæ.

III. Ad formam Psalmodiæ quod attinet; dum vetustos Codices ad propositum mihi scopum pertinentes in celebrioribus Insulæ nostræ Tabulariis perquirerem, factum est, ut in Cathedrali Messanensi unum antiquissimum reperirem membranaceum in folio notis musicis ornatum, qui vel stilo indice cum serie, ac charactere, eandem penè, quàm Panormitani Missales Libri, antiquitatem præsefert. Suscepti operis excellentia ad sui illustrationem postulare videtur, ut sicuti ex Missalibus illis Liturgiæ apparatum, sic ex Codice isto Psalmodiæ formam exhibeamus; verum quòd dierum, festorumque varietas diversum exigat Precum Ordinem, idcirco id nonnisi adimplere posse intelleximus, quàm principalioribus expositis ceremoniis passim per Tractatum, & potissimùm infrà (a), ubi de generalibus antiquæ nostræ Psalmodiæ Ritibus agendum erit.

Ordo divinorum Officiorum in Sicilia interpolatus.

IV. Principum itaque Nortmannorum curâ, & industriâ Ecclesiasticæ Gallorum Disciplinæ Majores nostri studere occeperunt; sed ut id, cui studebant, eis esset ornatius, cum advectis è Gallia ritibus, natas in Sicilia ceremonias commiscuerunt: & ita patrii, exterique Codices adeò invicem confusi sunt, ut temporum decursu à Gallicanis Sicilienses, & à Siciliensibus Gallicani ordine, ac nomine distingui minimè potuerint; nam etsi multis hujusmodi Libri rationibus sicilissarent, attamen neque Gallicanum nomen relinquere, nec Siciliensē ordinem adsciscere potuerunt. Sed quoniam nova hæc Libro-

(a) *Cap. 15. per tot.*

brorum confusio, præ antiquæ genio ætatis non improbæ, sed satis probæ mentis indicium erat; hinc ex qua nos Codicum interpolatione lethalem hodie recipere culpam dolemus, ex ipsa Majores nostri lætam olim accipere gloriam gaudebant. Imò ille Sacrificia divinæ laudis abundantiori absolvere studio præfidentius credebat, qui eò propiùs novitati adhæsisset, quò ab antiquitate recessisset longiùs. Et sanè Breviarii Gallo-Siculi reformandi (ne omnes memorem, qui id genus studio vacarunt) noster devotus Presbyter Matthæus Caldo ter provinciam subiit. Prodiere ejus reformata Breviaria Venetiis Ann. 1512. 1527. & 1536. (non enim alia vidi). Ex his antiquius ad se habet Canonicus D. Antoninus Mongitore, cujus optimo cum elogio totus recordatur Eruditorum Orbis, cujus etiam similis dignitas mihi indigno, dissimilique inest Sacerdoti; alterum, quod Tauromenii (ubi nostra sortiti fuimus incunabula) se olim vidisse refert Franciscus Scorsus *(a)*, æquo nos jure nacti sumus; recentioris verò editionis duplex conservatur exemplar, unum hîc Panormi apud Patres Collegii Soc. Jesu, alterum Agrigenti in Bibliotheca Seminarii Clericorum.

Breviaria Gallo-Sicula sæpius emendata.

V. Martyrologium Usuardi, quod Siculis fuisse in usu in manu scriptis Annalibus suis refert Petrus Ranzanus *(b)* tanta quoque, talique licentia sæpius emendatum in Sicilia est, ut ex correctionum varietate non in melius, sed in deterius immutatum sit. Hoc fuit in caussa, quamobrem ad illud secundum opinionem suam,

Martyrologium pluries in Sicilia reformatum.

N po-

(a) *Not. ad homil. 57. Theoph. Ceram. n. 11.*
(b) *Tom. 6. lib. 28. Ann. Chr. 253:*

postremò emendandum; animum intenderit Franciscus Abbas Maurolycus, qui hac de correctione sua, quam Romanis, Siculisque communem esse voluit, Patres Tridentinæ Synodi, scriptâ Epistolâ (a), alloquitur ita: *Ægrè ferebam ego Martyrologii Libellum, qui quotidie in Choro legitur, tamdiu incorrectum tolerari, collectisque vetustis exemplaribus, multa locorum, atque hominum vocabula correxi: multa, quæ ad temporum, vel Historiæ notitiam faciebant aliunde sumpta supplevi: nonnullorum Sanctorum memoriam, aut ex Scriptorum monumentis, aut ex fida relatione cognitam adjeci*. Unde aliud Usuardi Martyrologium est, quod ab Alienigenis undecimo Seculo acceperunt Siculi, aliud quod à Siculis sextodecimo Seculo acceperunt Alienigenæ, quia eædem non sunt Sanctorum solemnitates, quibus Ecclesiasticus Siculorum ritus, advecto Romano, finivit, ac quibus, attrito Græco, primùm inchoavit. Antiquam Martyrologii Siculi ideam, qui jam habet ex Maurolyco novam, videre optans, adeat Martyrologium membranaceum Anno 1254. exaratum, quod extat Catanæ in Bibliotheca Monasterii Sancti Nicolai de Arena, cujus nuper eruditè satis, & summâ cum Patriæ suæ gloriâ, atque Exterorum utilitate texuit historiam humanissimus vir ejusdem Monasterii Alumnus, Pater D. Vitus Maria Amicus, qui maximâ mihi conjunctus est amicitiâ.

VI. Imò, etsi unum eundemque omnes Siciliæ Episcopi retinerent Precum Ordinem, diver-

---

(a) *Edita ad calcem ejus Hist. Sican.*

versas tamen singuli concinnarunt Sanctorum Orationes, integra etiam Officia. Id caussam dedit, quare unaquæque Diœcesis Sacrarum Precum Codices sibi proprios disponeret. Porrò in Cathedralis nostræ Thesauro servatur Breviarium membranaceum summa venustate, characteribus elegantissimis, ac gentilitiis insignibus Simonis Bononii Archiepiscopi ipsius ejusdem Ecclesiæ, cui ante Vesperas Sabbati Dominicæ Primæ Adventus hæc inscriptio: *Anno Domini 1452. Decimo octavo mensis Martii primæ Indictionis. Incipit Breviarium secundùm consuetudinem Panormitanæ Ecclesiæ.* In antedicta Bibliotheca Collegii Societatis Jesu, aliud, isto fortassis antiquius, extat Breviarium, seu Diurnum paginis 559. scriptum *secundum consuetudinem Majoris Panormitanæ Ecclesiæ.* In ejusdem Ecclesiæ Thesauro duos reperimus Codices membranaceos in quarto, continentes *Capitula per totum annum secundùm consuetudinem Majoris Pnnormitanæ Ecclesiæ, tàm Dominicalia, quàm Festiva.* Item & Codicem alium etiàm membranaceum in folio, cui titulus: *Collectarium* (Collectarum, seu Orationum Liber) *secundùm consuetudinem Majoris Panormitanæ Ecclesiæ, tàm diebus Ferialibus, quàm Festivis.* Nobis argumento isto operam dantibus aliud Breviarium membranaceum non incomptè exaratum indulsit observandum D. Jacobus Longo olim Tribunalis Concistorii Sacræ Regiæ Conscientiæ Præses, nunc Tribunalis Regiæ Monarchiæ Judex, eruditionis merito Vir verè clarissimus. Hocce Breviarium, expleto jam Calendario Gregoriano, sic exorditur: *Incipit Bre-*

Varia in Sicilia, pro varietate Diœcesium, Breviaria.

viarium secundùm modum, & consuetudinem Majoris Ecclesiæ Messanensis. Tauromenii in Bibliotheca Patrum Ordinis Prædicatorum asservatur etiam *Breviarium secundùm usum Clericorum Secularium Majoris Ecclesiæ Messanensis*. Et ne nimius sim, reliquos id genus Codices silentio prætereo, unum solummodo memorans Missalem Librum membranaceum in folio Ecclesiæ S. Michaelis Archangeli Civitatis Nicosiæ, cui Anno 1346. postremam manum posuit Clericus Philippus de Gurga.

VII. Ad Monachos quoque, & Moniales transiit licentia hæc, quibus Ecclesiasticos concinnare Libros magna sollicitudo fuit. Sanè vidimus Psalteria duo, totidemque Hymnaria *Monastica ad usum Congregationis Monachorum Siculorum regularis observantiæ S. Benedicti*, edita Venetiis Ann. 1535. & 1571. Imò non unum omnibus, sed unicuique Monasterio unum sibi proprium Breviarium erat: nàm extat Panormi in Bibliotheca Congregationis Oratorii Manuale Psalmorum, & Antiphonarum, instar Breviarii, membranaceum in octavo *ad usum Monasterii S. Mariæ Magdalenæ Civitatis Coriglionis* (*), quod Anno Christi 1433. *Presbiter Amatus de Fucarino ad petitionem Venerabilis Abbatissæ* composuit.

(*) Corilionis.

Qualibet Ecclesia Precum Ordinem sæpius reformavit.

VIII. Utinam ne progressa res ulterius esset, sed tanta paulatim, talisque licentia irrepsit, ut vix dicere queam: nam unicuique Diœcesi Missæ Ordo, & Officii non semper fuit idem: *Missale Gallicanum juxta usum Messanensis Ecclesiæ* ter Venetiis aliter, quàm prius reformatum vidimus; primum Anno 1527. in 4. tum Anno 1534. in fol. demum Anno 1538. in 4.

Edi-

Editionem primam à nobis multum expetitam invenimus inter Libros, qui proſtabant venales, reliquas duas non multis retro annis lucratus eſt nobilis, eruditusque vir, arcta nobis familiaritate conjunctus, Abbas Franciſcus Caruſo, illius Johannis Baptiſtæ Caruſo Germanus Frater, cui bonarum artium nihil optimum Siciliæ eſt, quod ei totum non debeatur.

Singuli quoque Sacerdotes hanc ſibi licentiam arrogarunt.

IX. Sed ſi hæc Majorum ſimplicitas minori tolerari æquanimitate poſſe videatur, quid quod ſibi hunc Siculi ſtatuere modum non curaverint? Omnes enim Epiſcopi non ſolum, verum & ſinguli Sacerdotes, inſcio Romano Pontifice, proprio etiam Antiſtite, & privatos aſſumere ritus, & nova attexere Officia feſtinarunt; quod quantam, qualemque divini cultus perturbationem attulerit, notum jam omnibus eſſe poteſt ex Sacerdotali admonitione Cardinalis de Farneſio Archiepiſcopi Monteregalenſis in diœceſana Synodo Anno 1554. indicta (a), qui nimiam hanc orandi varietatem graviſſimè ferens, hortatur eos, qui *in Populi ſcandalum, ac divini cultus perturbationem* novitati ſtudebant, *ut ità novi Officii cupidine ducantur, quòd antiquum dicendi uſum nullo modo prætermittant*. Indè (b) ad coercendam novi Officii licentiam, ſanxit, *ut nullus tam in Civitate, quam Diœceſi ſub pœna excommunicationis novum Officium pro recitandis Precibus horariis, abſque Apoſtolica facultate Domino pſallat*. Imò Siculorum multi ſolemnitates non modò, verum & ipſum Miſſæ ordinarium, quod Ec-

(a) *Tit.* 10. *cap.* 10.
(b) *Cit. tit. cap.* 11.

Ecclesia ægrè ferebat diversum, licentius, quàm affectibus decebat suis, interpolarunt ita, ut paternâ meruerint admonitione increpari. Sic itaque pergit eadem Synodus Monteregalensis (a): *Plerique Sacerdotes ignorantes Ecclesiasticas Sanctiones, & omnia sibi licere credentes, cùm Missam celebrant multa intermiscere non verentur, quandoquidem Litanias ante confessionem: duo Evangelia: nunc dimittis: o Sacrum Convivium: tibi laus, & tibi gloria: ac multa alia in post communione addentes, quæ sine animi nostri dolore audire non possumus. Quapropter ne de cetero quisquam aliquid, præterquam in Missali est ordinatum, sub pœna suspensionis à divinis, quoties id fecerit, per mensem, nullo modo subjungere audeat perpetuo statuimus.* Hæc Monteregalensis Synodus, cui consonat Panormitana, Præsule Octavio Præconio Anno 1565. celebrata (b): *Insuper, quia ex ignorantia, vel ut appareant Populo singulares, vel ex indevota, aut stulta quadam devotione addunt in sacra Missa, quæ in Missæ ordinario non sunt; prout est ante sumptionem Sacramenti alta voce replicari Sanctissimum Nomen Jesu Christi, aut adoramus te Christe, & post Communionem diversas Antiphonas, vel Hymnos, & in singulis reversionibus ad Missale, in Nomine Patris, & Filii &c, & alia similia, quæ non sunt in ordinario sacro, cui nec addi, nec minui debet aliquid. Propterea mandamus omnibus, & singulis Presbyteris, ut diligentissimè studeant Missæ ordini.*

CA-

(a) *Tit. 9. cap. 27.*
(b) *Cap. de Celebrat. Miss.*

CAPUT XIV.

Missæ Gallo-Siculæ Ritus præcipui.

I. GEnerales Ritus Gallo-Siculos exposuimus hactenus; nunc ut in exhibendis Ceremoniis singularibus diligentia non desideretur nostra, ad particularem divinorum Officiorum observantiam descendamus. Sed antequam ad Ritus diebus singulis proprios mentem adjiciamus, operæ pretium est Ceremonias diebus omnibus communes, prævia referre disquisitione; quam in duas dividimus partes, ex quibus altera divinæ Liturgiæ formam, altera verò, apparatum Ecclesiasticæ Psalmodiæ aperiet.

II. Nobis Ritus ejusmodi singulari perquirentibus diligentiâ, ille primùm non incuriosa observatione dignus, occurrit, quo hodie delectari solent ii, qui ad solidam pietatem efformandam, historico more sacræ antiquitati mentem suam devovisse gloriantur: qualis est, ut Populus diebus festivis ad porochialem occurrere Missam non detrectet; quatenus admonitiones intra Missarum solemnia de more faciendas addiscere commodè posset. Disciplina hæc tanti Majoribus nostris fuit, ut, durante Missâ solemni, aliam in civitate celebrari minimè sustinerent *(a)*. Missa in Ecclesia Parochiali.

III. Sacerdos Missam celebraturus, Apostolici præcepti non immemor, se ipsum probare, & ad tantum disponere opus debet; quocirca laudabilis fuit Ecclesiæ Siculæ consuetudo, quâ Sa- Sacramentalis confessio ante Missam.

(a) *Synod. Montisreg. Ann.* 1554. *tit.* 9. *cap.* 3.

Sacerdotes, tametsi peccati non conscii, nisi sæpiùs sacramentalem confessionem adhiberent, ad tale celebrandum mysterium præpediti viderentur. Confessionem hanc *saltem bis in hebdomada* fieri debere, præscribunt decreta Synodalia (*a*) Ecclesiæ Montis Regalis. At paullò tamen indulgentior fuisse videtur Ecclesia Syracusana, quæ unica dumtaxat vice per hebdomodam confitentes Sacerdotes in Sanctionibus suis minimè reprehendit (*b*).

Sacerdotis præparatio. IV. Non confessione tantùm, sed & quorumdam Psalmorum, & Orationum recitatione fieri solebat Sacerdotum ad Missam præparatio. Quæ quanta & qualia fuerint Codicibus omnibus dilucidiùs explicat membranaceus Missalis Liber Panormitanæ nostræ Ecclesiæ sex centum, ut opinor, annis antiquior, qui non ipsi tantum Panormitanæ Ecclesiæ, verum & toti Siciliæ communis erat: præscribitur enim in eo, ut quivis Missam celebraturus sive Episcopus, sive Sacerdos esset, ab ea auspicaretur Oratione: *Exue me, Domine, veterem hominem*, quæ propterea quod ante *Teleten*, seu rem divinam recitaretur προτέλεια *protèlia* apud Veteres dicta fuit. Sequuntur indè ad lotionem manuum, & ad imponendum Amictum Orationes duæ; tùm septem Psalmi: scilicet Psal. 83. *Quàm dilecta tabernacula*; Psal. 84. *Benedixisti, Domine, terram tuam*; Psal. 85. *Inclina, Domine, aurem tuam*; Psal. 114. *Dilexi quoniam exaudiet Dominus*; Psal. 115. *Credidi propter quod locutus sum*; Psal. 129. *De profundis clamavi*; & Psal.

(a) *Cit. tit. 9. cap. 8.*
(b) *Synod. Syracus. Ann. 1553. tit. 3. cap. 2.*

Psal. 131. *Memento, Domine, David*; postea unica Oratio ad Albam, duplex ad Zonam, una ad Stolam, duæ ad Casulam, & una ad Manipulum; deinde Oratio Dominica cum Precibus; postremò Oratio perquàm prolixa: *Rogo te, Deus Sabaoth, altissime Pater sancte*.

V. Precibus his ad consecrationem perficiendam præparato Sacerdote, è Sacrario ad Altare dirigitur processio. De hujusmodi processione, ejusque ceremoniis, & ritu adeundus est antedictus Missalis Liber Panormitanæ nostræ Ecclesiæ, ubi Orationes præparatorias excipit ejusdem processionis ordo, duabus constans Antiphonis, totidemque Psalmis: Antiph. *Introibo in domum tuam Domine*. Psal. 25. *Judica me, Domine*. Antiph. *Introibo ad Altare Dei*. Psal. 42. *Judica me Deus, & discerne*. Sacerdotis ad Altare processio.

VI. Ad Altare ita psallendo cùm pervenerit Sacerdos, stans in infimo ejus gradu, divinæ Liturgiæ instituit initium. Non unis id in tota Sicilia absolvebatur ceremoniis, sed pro Ecclesiarum diversitate adeò diversis, ut si eas vellem cunctas referre, nimis in longum protraheretur oratio; verum ne omnibus curiosi Lectores cum damno careant, principaliores ex his, atque diligenti observatione dignas, hic subjunxisse neque inutile, nec ingratum fore speramus. Et sanè vetus Missale insignis Ecclesiæ Panormitanæ, sæpiùs à nobis commemoratum, propterea quod, Sacerdotem ad offerendum Sacrificium è Sacrario ad Altare procedentem, Psalmos cum Antiphonis recitavisse pro certo sumat, cùm ventum fuerit ad idem Altare, absolutè incipiendum ordinat à confessione, brevi verborum congerie di- Preces ante Altare.

ſpoſita, quam, nullis exhibitis Abſolutionum formulis, duplex comitabatur Oratio, ſcilicet; *Aufer à nobis*: Et *Conſcientiâ quidem trepidâ*. Sed tres antiqui Miſſales Libri Eccleſiæ Meſſanenſis initium Miſſæ, ritu planè diverſo, repræſentant; in his enim incipit actio à Verſu illo: *Adjutorium noſtrum in nomine Domini*; quem ſequuntur preces maximè plures cum confeſſione, & abſolutionibus. Ceterum Sacerdotem confeſſionem facturum, ex continenti genua ante Altare devotè ſubmittere debere, expoſtulat Syracuſana Synodus ſub Epiſcopo Hieronymo Bononio coacta (a): Ad Altare, inquit, Sacerdotes *poſtquàm acceſſerint. non priùs confeſſionem incipiant, quàm ad illud genua devote flexerint; poſtea verò eâ, quâ decet, reverentiâ à principio uſque ad finem Sacra Myſteria peragant*. Tandem in antiqua Synodo Eccleſiæ Montis-Regalis (b) ritum inchoandæ Miſſæ paullò expreſſiùs præſcriptum reperio; quandoquidem ordinatur, ut ad Altare Domini progreſſus Sacerdos, primùm meditari haud prætermittat, ex his ipſis, quæ illic tractantur, ne unum quidem vacare arcanis, ſed cuncta abundare myſteriis altiſſimis, tùm, ut quàm ſtudiosè poteſt, precibus cum Deo agat, ne quod ſuſcipit opus, divino adjutorio careret, dicens vulgatam illam Orationem: *Actiones noſtras, quæſumus Domine*: Quâ ſecretò recitatâ, *non ex abrupto, neque impræmeditatè, ſed devotè confeſſionem, (quæ Miſſæ præambulum eſt) cum Miniſtro viciſſim confitente, ac abſolutionem in verbo Chriſti pro ſe, & adſtantibus, in quorum* per-

(a) *Tit*. 3. *cap*. 1.
(b) *Tit*. 9. *cap*. 24.

persona respondet , cum fiducia cordis piè recipiente , auspicetur. Ejusmodi erat precum forma , cui Sacerdotes intra fines diœceseos Ecclesiæ Montis-Regalis pro initio Missæ studere debebant ; nihilominus ex his non uni , privatâ quadam devotione adducti, *Litanias ante confessionem* recitabant ; ad quorum coercendam licentiam , indictâ pœnâ suspensionis à divinis , operam dedit antedicta Diœcesana Synodus*(a)*. Hic tamen velim , advertas , morem hunc recitandi Litanias , nón quidem ante Altare , sed interim dùm post Epistolam cantatur à Choro Graduale , vel Tractus , seu Sequentia , viguisse olim in Ecclesia Latina : ut nos docet Missa Latina , quam ex Codice M. S. Cardinalis Chisii , Johannes Bona publicæ notitiæ submisit.

VII. Dum ad Altare intrat , qui officio præest , Sacerdos , ex tribus illis Missalibus Ecclesiæ Messanensis , quorum suprà mentionem fecimus , ipse idem Versus recitari debebat , ac qui ante Altare dictus primùm fuerat , quem indè subsequitur Antiphona , ritu Romano *Introitus* , Ambrosiano *Ingressa* dicta . Eorumdem Missalium verba in medium afferamus : *Ascendens Altare , dicat : ℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini* . ℟. *Qui fecit cœlum , & terram . Et incipiat Introitum* . Codex autem Panormitanus , ingresso jam Sacerdote ad Altare , dici præscribit Orationem sanè quàm prolixam: *Deus , qui de indignis dignos* . In hoc non solum , sed in eo quoque à Messanensi Ordine , Panormitanus variasse videtur , quod ex isto , Introitus post Oratio- Introitus

O 2 nem

(a) *Ibid. cap.* 27.

nem dicendus, Antiphonâ, & uno illo Psalmi Versu, qui ab antiquis Patribus *Hymnus glorificationis* dictus est, constaret; quandoquidem non addebatur *Gloria Patri*, & quæ post ipsum fieri solet, Antiphonæ repetitio; secundum quem ritum circa medium decimiquarti Seculi scriptum est Missale Nicosiense, quod opportunè mihi videre contigit, benignitate Viri, morum probitate, ac eruditionis merito præclarissimi, Francisci Testa, Cathedralis nostræ Canonici meritissimi. Dolendum est sanè hujusmodi Codici deesse quædam folia in principio, & multò plura in medio, magno ecclesiasticæ eruditionis detrimento, vel ab iniqua manu avulsa, vel hominum incuriâ deperdita.

Kyrie eleison, & Christe eleison.

VIII. Quod attinet ad *Kyrie eleison*, & *Christè eleison* pro imploranda illius ope, qui solis miseris misericors esse solet, cani solita, non abs re erit observare, hujusmodi deprecationis voces Siculam non adhibuisse Ecclesiam, usque donec Christiani Orbis habenas susceperit moderaturus S. Gregorius Magnus, cui, laudabilis de recitandis vocibus his disciplina, ut in Sicula quoque Ecclesia intromitteretur, placuisse constat. De hoc veritatem amantibus testimonium perhibet ipse idem S. Gregorius, Johanni Syracusarum Episcopo scribens (*a*); ex cujus verbis ad illustrandam, quam nacti sumus, provinciam, tria erui possunt: primum illud, quòd tunc temporis non ter solummodò *Christe*, sexies *Kyrie*, quemadmodum hodie; sed totidem vicibus *Christe*, quoties *Kyrie*, cantebatur: alterum, quòd antedictas voces non modò

(a) *Lib. 9. Epist.* 12. aliàs *lib. 7. Epist.* 64.

modò Clerus, verum & qui ad celebrandam Synaxim convenerat, Christianorum cœtus, cum illo præcinebat alternatim: tertium, quòd ritum à Græco diversum in hac quoque parte Siculi sequebantur: utpote cum ex Græcorum ritu, prætermisso *Christe*, solùm *Kyrie*, non alternatim, sed cantu directo, & veluti uno ore, unoque concentu pangeretur. Summum Virum loquentem audiamus: *Kyrie eleison autem nos neque diximus, neque dicimus sicut à Græcis dicitur: quia in Græcis simul omnes dicunt; apud nos autem à Clericis dicitur, & à Populo respondetur; totidem vicibus etiam Christe eleison dicitur, quot apud Græcos nullo modo dicitur.*

IX. Sed quoniam Sicilia tempore Leonis Isaurici, ut diximus (a), à Romana Cathedra divulsa, Constantinopolitano Patriarchatui contribuit, istius in Ecclesiis, & Sacris ritum sectando; hinc Græci concentus formam Ecclesia nostra induens, leges Gregoriani cantus omninò exuit. Verum quam in hac parte semel assumpsit Sicilia Græcorum disciplinam, haud semper retinuit: nàm ut primùm Provinciæ nostræ fines Saracenorum tyrannidem pessumdaturi, aggressi sunt Nortmanni, continuò investâ iterum Latinorum observantiâ, Græcus ritus in desuetudinem abiit. Cave tamen, dicas, morem cantandi *Kyrie* talem Nortmannorum tempore esse, qualis S. Gregorii ætate fuit: intromisso enim in Siculorum Ecclesia cum Principibus Nortmannis Gallorum ritu, non tot *Christe*, quot *Kyrie*, ut olim, sed tribus interpositis *Christe*, sex, ut hodie, *Kyrie* recitata

(a) *Cap.* 8.

ta esse, planè confirmant *Kyrie Regis Guilielmi*, quæ conservavit antiquitas in M. S. Codice Ecclesiæ Panormitanæ, cui hunc recentior manus titulum inscripsit: *Cantus diversi ad usum S. Panormitanæ Ecclesiæ*. Quid autem hìc sibi velit Regis Guilielmi nomen, nihil quidem certi, ut fatear, mihi in promptu est: nihilominus si rem tam priscam, & obscuram conjecturâ attequi mihi liceret, dicerem, Guilielmi nomen præfatis *Kyrie* affixum, nihil aliud præseferre, quàm iterum in Ecclesiis Siculis decantari cœpisse, Guilielmo Rege promovente, non quidem Primo hujus nominis Siciliæ Rege, quem *Malum* appellant; sed Secundo, qui naturam ab illo, non vitia accipiens, ad Christianam pietatem promovendam ita totus incubuit, ut *Boni* cognomen promeruerit: quandoquidem in sæpius laudato Missali Gallo Siculo Ecclesiæ Panormitanæ, quod Nortmannorum tempore recentiùs haud esse monstravimus (*a*), nullum omninò vestigium *Kyrie* apparet: istâ fortassis ratione, quòd pii Guilielmi ætatem, Codicis ætas præcesserit.

X. Hujusmodi *Kyrie*, additis postea ad invocationes singulas quibusdam ineptis, & ab Ecclesiastica gravitate alienis, clausulis, alteravit Majorum simplicitas. Quatuor ita interpolata reperimus *Kyrie*: primum quidem in antedicto Codice Panormitano ad usum Chori non incomptè concinnato, & in antiquis Messanensis Ecclesiæ Missalibus Libris, in quibus recitandum esse ordinatur *in Festis duplicibus Sanctorum*; ipsum idem *Kyrie* exhibetur in Missali Romano, Ponti-fice

(a) *Cap.* 12. *n.* 2.

fice Paulo III. Lugduni edito, in Elucidario Ecclesiastico Jodoci Clictovæi, & in Missali M. S. Bibliothecæ Vaticanæ Palatinæ, Cod. 501. quæ tamen illud decantari præscribunt *in Festivitatibus Christi Domini nostri* (a). Alterum repræsentant iidem Missales Libri Messanenses, ex quibus præcinendum erat *in Natali Domini, & in Festis usque ad Epiphaniam, & in Festis Beatæ Virginis*. Rubrica hæc Ecclesiæ Messanensi propria, aliis, quæ usum ejusdem *Kyrie* adhibebant, communis non fuit: quandoquidem sacræ Antiquitatis Monumenta, modò memorata, ipsum *Kyrie* tantùm attribuunt *Festis Beatæ Mariæ Virginis*. Reliqua, quæ supersunt, nullis præmunita Rubricis in uno solo Codice Panormitano, superiùs à nobis laudato, reperimus. Eadem *Kyrie* in medium afferamus.

Primum Kyrie.

„ Cuncti-potens genitor Deus, omnium Crea-
„ tor, eleison.
„ Salvificet pietas tua nos, bone Rector, eleison.
„ Fons, & origo boni, pie, Luxque perennis,
„ eleison.
„ Christe Dei splendor, virtus, Patrisque So-
„ phia, eleison.
„ Plasmatis humani lapsis Factor Reparator,
„ eleison.
„ Ne tua damnetur, Jesu, Factura, benigne,
„ eleison.
„ Amborum Sacrum Spiramen, nexus, amor-
„ que, eleison.
„ Procedens fomes, vitæ fons, purificans vis,
„ eleison. „ Pur-

(a) *Apud Bona rer. Liturg. lib. 2. cap. 4. n. 2.*

„ Purgator culpæ; veniæ largitor optime; of-
„ fenſas dele, Sacro nos munere reple,
„ Spiritus Alme, Deus Trine, & une, elei-
„ ſon.

Alterum Kyrie:

„ Kyrie; Virginitatis amator, Inclyte Pater,
„ & Creator Mariæ, eleiſon.
„ Kyrie, qui naſci volens de Sacra Virgine,
„ Corpus elegiſti Mariæ, eleiſon.
„ Kyrie, Septiformi repletum Pneumate, pectus
„ conſacraſti Mariæ, eleiſon.
„ Chriſte, unice de Maria genite, quem de
„ Virgine naſciturum Stirpis Davidicæ præ-
„ dixerunt Prophetæ, eleiſon.
„ Chriſte, uſiæ Gigas fortis gemine, pro ho-
„ mine homo, ſine virili ſemine prodiſti
„ de ventre Mariæ, eleiſon.
„ Chriſte, cœlitus Matris adſis laudibus, quas
„ pro viribus, corde, voce, actuque pſalli-
„ mus, proles pie Jeſu Mariæ, eleiſon.
„ Kyrie, Spiritus alme, amborum nexus, amor-
„ que, Cœleſtis gratiæ rorem infudiſti Ma-
„ riæ, eleiſon.
„ Kyrie, qui, incarnato de Mariæ Carne Chri-
„ ſto ſub noſtra ſpecie, ut Columba ap-
„ paruiſti, eleiſon.
„ Kyrie, ſimplex, & trine, Chriſmate ſano nos
„ reple, ut digno Carmine decantemus
„ laudes Mariæ, eleiſon.

Tertium Kyrie:

„ Kyrie, per quem ſubſiſtit omnis Creatura,
„ Pater Summe, eleiſon.

„ Ky-

„ Kyrie , Rex ineffabilis naturæ , nunquam
„ alterande, ſemper idem, eleiſon.
„ Kyrie , origo pacis , ac ſalutis , pax inde-
„ ficiens, ſalus mundi, eleiſon.
„ Chriſte , Genite Genitoris æterni , regnans
„ pariter, jure pari, virtute ſimili, lux de
„ luce, eleiſon.
„ Chriſte, Flos radicis Jeſſe , vitis vera , Rex
„ pie, lapſos qui potes relevare ope ma-
„ nus tuæ, nobis clemens, eleiſon.
„ Chriſte, lumen de lumine coæternum, coæque,
„ mortis perditor , vitam nobis tuo dans
„ funere jam delapſis, eleiſon.
„ Kyrie, Spiritus Alme, nexus, & amor utriuſ-
„ que, tuo nos lumine illuſtrando, eleiſon.
„ Kyrie , reple Septiformis nos munere , quo
„ nos repletos tibi junge, noſtris pectori-
„ bus illabendo, eleiſon.
„ Kyrie , Trine Rex , & une, preces noſtras
„ pius admiſte , ut gaudere tecum tuâ
„ Sede, mereamur, eleiſon.

Quartum Kyrie.

„ Summe Pater , à quo cuncta ſumunt eſſe,
„ eleiſon.
„ Qui univerſa juſſu formans momentaneo,
„ eleiſon.
„ . . . . qui per verbum mire creata digneris,
„ eleiſon.
„ Chriſte, Patri majeſtate compar , ad te cla-
„ mantibus dignare, eleiſon.
„ Sacra ſatus Virgine, inclyte Jeſu , te depo-
„ ſcimus devotè, eleiſon.
„ Sceptrum, tenens regni jure Paterno, Sacro

" cum Pneumate, Rex clemens, eleison.
" Divisor gratiarum Paraclite, oramus te,
" eleison.
" Salutarium infusor unctionum, Sancte Spiri-
" tus, eleison.
" Trinitas individua, Unitas Trina, semper
" veneranda, Kyrie, maculas nostrorum
" terge scelerum, à morte cunctos redi-
" mens, eleison, unà nunc conclamantes,
" Deus, eleison, eleison.

Hymnus Angelicus.

XI. Venimus jam nunc ad Hymnum *Gloria in excelsis*, quo nullus nobilior, excellentior, aut sublimior reperitur in Ecclesia, utpotè qui non humano primùm, sed Angelico concentu decantatus esset. Huic Hymno quasdam clausulas, quæ, ut veritatem candidè fatear, ecclesiasticam gravitatem non redolent, inseruit Majorum devotio; cujus generis in antiquis Ecclesiæ Siculæ Codicibus tres occurrunt, quorum unus in Officio primæ Missæ Natalis Domini adhibebatur, alter in qualibet Missa Beatæ Mariæ Virginis, tertius autem in solemni festo Conceptionis ejusdem: primus, ac postremus quòd aptius tempori suo locum invenient, hìc haud in lucem emisimus, ad alterius editionem tantummodò incumbentes, tum ex M. SS. Codicibus ad usum Chori Panormitanæ, ac Catanensis Ecclesiæ, tùm ex Missalibus Libris Messanensibus Venetiis publicatis.

Hymnus Angelicus.

" Gloria in excelsis Deo. Et in terra pax
" hominibus bonæ voluntatis. Laudamus te.
" Benedicimus te. Adoramus te. Glorifica mus
te.

" te. Gratias agimus tibi propter magnam glo-
" rjam tuam. Domine Deus, Rex Cœleſtis,
" Deus Pater omnipotens. Domine Fili uni-
" genite, Jeſu Chriſte. *Spiritus, & Alme Or-*
" *phanorum Paraclite*. Domine Deus, Agnus
" Dei, Filius Patris. *Primogenitus Mariæ Vir-*
" *ginis Matris*. Qui tollis peccata Mundi, mi-
" ſerere nobis. Qui tollis peccata Mundi, ſu-
" ſcipe deprecationem noſtram. *Ad Mariæ glo-*
" *riam*. Qui ſedes ad dexteram Patris, miſere-
" re nobis, quoniam tu ſolus Sanctus. *Ma-*
" *riam Sanctificans*. Tu ſolus Dominus. *Ma-*
" *riam gubernans*. Tu ſolus Altiſſimus. *Ma-*
" *riam coronans*, Jeſu Chriſte. Cum Sancto Spi-
" ritu in gloria Dei Patris. Amen.

XII. Sacerdos, ſimul ac Miniſtri, dum in Choro cantabatur Gloria, quibuſdam Orationibus, vel ex integro, vel ex parte recitatis, occupabantur. Ordo Miſſæ ex antiquo Codice membranaceo in quarto Panormitanæ Eccleſiæ duplicem Orationem exhibet, ideſt: *Deus, qui non mortem, ſed pœnitentiam deſideras peccatorum*. Et *Deus propitius eſto mihi peccatori*; Miſſale verò Eccleſiæ Meſſanenſis curâ, & ſtudio Franciſci de Stephano Aſſorini Siculi Anno 1534. Venetiis excuſum, unicam repreſentat prolixiſſimam: *Summe Sacerdos, & vere Pontifex*. Orationes, interim cùm cantatur Gloria, recitatæ.

XIII. Hymnum Angelicum ſequitur Collecta, ſive brevis illa Oratio, quam, Fidelium cœtu in unum congregato, alta voce præcinit Sacerdos; de qua illud ſingulare in Sicilia occurrit, quod ex decreto Synodico (a) Eccleſiæ Collecta.

(a) *Synod. Card. de Farneſio tit. 9. cap. 16.*

Montis-Regalis omnibus diebus Dominicis precandum in ſolemni Miſſa erat pro Civitate, ac Populo non modò, verum & pro Papa, Rege, & Epiſcopo, eorum poſt ultimam Collectam, etiam in Poſtcommunione additis nominibus. In Panormitana noſtra Eccleſia piam hanc conſuetudinem precandi pro Rege, habitâ intra Miſſarum ſolemnia particulari Collectâ, intromitti, ſanxit Synodus (a) Jacobi de Palafox, cujus Conſtitutionem hodiè tantùm ſervat Collegiata S. Petri Sacri, & Regli Palatii.

Acclamationes poſt Collectam.

XIV. Ritum hìc illum de Laudibus, ut vocant, poſt Collectam recitatis ſilentio præterire nequeo. Abſoluta enim Oratione, fieri conſueverant ſolemnes Laudes, ſeu Acclamationes publicæ, in Romana quidem Eccleſia Summo Pontifici, in reliquis verò Principi ſeculari propriæ, quibus Populus Deum precabatur, ut ei, qui in ſublimitate erat, indulgens eſſet, atque propitius: quandoquidem ritus iſte non ſolum obtinuit in aliis Chriſtiani Orbis Provinciis, ut videre eſt apud Johannem Cardinalem Bona (b); qui argumentum fuſiùs proſequutus eſt, atque apud Virum æquè eruditum, Johannem Mabillonium (c), qui haſce Laudes, Litaniarum inſtar, principatu Caroli Magni ſcriptas, typis demandavit; ſed etiam in Siculis noſtris Eccleſiis, & potiſſimùm in harum principe, Panormitana Metropoli viguit:

enim

(a) *Par.* 3. *cap.* 1. *n.* 8.
(b) *Rer. Liturgic. lib.* 2. *cap.* 5. *n.* 8.
(c) *Veter. Analector. Tom.* 2. *pag.* 687.

enim verò Laudes iſtas ſub Rege Friderico ſcriptas reperire mihi contigit in membranaceo ejuſdem Eccleſiæ Codice in folio, ad Chori uſum, notis muſicis ornato. Regis nomen Scripturæ ætatem reapsè demonſtraret, niſi tres occurrerent Siciliæ Reges Friderici nomine, unus Sveviæ Dux, ac Occidentis Imperator, alter Petri Aragonum, & Siciliæ Regis tertiogenitus, poſtremus Regis Ludovici germanus Frater, cognomento *Simplex*; nihilominus tertius, præ aliis, in his Acclamationibus nominari mihi videtur: nam ante eas Codex quandam exhibet Beatæ Virginis Sequentiam compoſitam à Fratre Thoma Bonjoanne Ordinis Prædicatorum, qui haud quidem ſub duobus primis Fridericis, ſed ſub tertio vixit. Sed jam tempus eſt, ut Laudes ipſas, in vetuſtatis obſequium, juris publici faciamus.

Acclamationes Regis Friderici.

„ Chriſtus vincit,
„ Chriſtus regnat,
„ Chriſtus imperat,
Reſpondente Choro: Exaudi Chriſte:
„ Domino noſtro Regi Friderico, Magnifico, &
„ Triumphatori, ac Invictiſſimo vita per-
„ petua, Exaudi Chriſte.
„ Salvator Mundi, Tu illum adjuva.
„ Redemptor Mundi, Tu illum
„ Sancta Trinitas, Tu illum
„ Sancta Maria, Tu illum
„ Sancte Michael, Tu illum
„ Sancte Gabriel, Tu illum

„ S. Ra-

„ S. Raphael, Tu illum
„ Sancte Joannes Baptista; Tu illum
„ Regi nostro Friderico, glorioso, & Trium-
„ phatori pax sempiterna, Exaudi
„ S. Petre, Tu illum
„ S. Paule, Tu illum
„ S. Stephane, Tu illum
„ S. Laurenti, Tu illum
„ Pacifico Rectori, & piissimo gubernatori Re-
„ gi nostro Friderico lux indeficiens, &
„ pax æterna, Exaudi
„ S. Sylvester, Tu illum
„ S. Maria Magdalena, Tu illum
„ S. Christina, Tu illum
„ S. Agatha, Tu illum
„ Christus vincit, Christus regnat, Christus
„ imperat, Exaudi
„ Ipsi soli honor, & gloria, virtus, & victo-
„ ria, per infinita secula seculorum. Amen.

Epistola. XV. Sequitur inde Lectio, quæ quòd ex Epistolis Pauli, ut plurimùm accipiatur, & *Epistola*, & *Apostolus* in antiquis Codicibus inscribitur. Vetus Missale Gallo-Siculum membranaceum in quarto, hìc Panormi in Ecclesiæ nostræ Thesauro asservatum, neque Epistolas, neque Evangelia exhibet, non quòd ab eorum legendorum communi usu ipsa una Ecclesia Sicula olim abhorreret: equidem illis haud caret Panormitanus alter paris antiquitatis Codex Liturgicus in folio membraneo; sed ea præcipuè ratione, quod Evangelia, & Epistolæ in separatis, ac distinctis Codicibus quandoque scripta erant, cujus generis in eadem Panormita-

tana Ecclesia, & passim in aliis, plures extant Codices M. SS. Illud hoc in loco non oportet omittere, quod in Codicibus istis Epistolæ, diebus potissimum solemnioribus, Lectio aliqua ex Prophetis semper præmittitur.

XVI. Ut perlectâ Epistolâ, Responsorium, seu Graduale cum *Alleluja* in Ecclesiâ Sicula caneretur, mos est antiquissimus: nam S. Gregorius Magnus asserit in Epistola sæpius citata ad Johannem Syracusarum Episcopum, quosdam propterea in Sicilia murmuravisse, quòd fecerat *Alleluja dici ad Missas extra Pentecostes tempora*; quæ verba nobis apertè testantur, *Alleluja* ex Gregoriano decreto extra tempora Pentecostes in Ecclesia Sicula frequentatum, satis ante ipsum S. Gregorium, Paschali saltem tempore ibi decantatum fuisse: & sanè ipse idem S. Pontifex in eodem loco auctorem præcinendi *Alleluja* se fuisse negat, inquiens: *Ut Alleluja hic diceretur ab Jerosolymorum Ecclesia ex B. Hieronymi traditione, tempore beatæ memoriæ Damasi Papæ traditur tractum.* Graduale.

XVII. De Prosis, seu Rythmicis modulationibus, quæ olim *Jubilationes*, nunc *Sequentiæ* nominantur, agamus. Harum usum in Ecclesia antiquissimum esse, exploratum est omnibus ex particulari Sequentiarum Volumine, quod Lituvardo Vercellarum Antistiti, labente Seculo nono, vel decimo ineunte, Notgerus S. Galli Monachus præsentavit, prout refert qui de rebus per ipsum Notgerum gestis historiam scripsit, Eccherardus (a). Non desunt qui Sequentiarum Sequentia.

(a) *Cap.* 16.

rum Ritum ad altiora tempora ſubſtollunt, vel Gelaſium Papam, vel Gregorium Magnum Auctores illarum facientes. Ut ut res ſe habeat, illud certè venire in dubium non poteſt, morem recitandi Sequentias in Siculis noſtris Eccleſiis tardiùs, præ quàm in aliis, obtinuiſſe: duo ſiquidem antedicti Miſſales Libri Gallo-Siculi Eccleſiæ Panormitanæ ſex fermè Seculis antiquiores, nullam omninò exhibent; imò Miſſale Nicoſienſe, Ludovico Siciliæ Rege, circa medium Seculi XIV. ſcriptum, illam tantùm pro Feſto Corporis Chriſti à S. Thoma Aquinate compoſitam, repræſentat, ex ritu ipſi Eccleſiæ Nicoſienſi proprio, non poſt Epiſtolam, ſed dicto etiam Evangelio, præcinendam.

XVIII. Verum enim vero, mortuo Siciliæ Rege Ludovico, ac Friderico ejus Germano Fratre acclamato, Proſas hujuſmodi non modò non rariùs, ſed etiam frequentiùs in Sicilia cantatas eſſe, cognoſcere quiſquis vult, adeat Codicem M. S. continentem cantus diverſos ad uſum Chori Panormitanæ noſtræ Eccleſiæ, principatu ipſius Friderici concinnatum; ubi treſdecim exhibentur feſtis B. Mariæ Virginis congruenter aptatæ; octo item aliæ, una Natalis Domini, Epiphaniæ altera, Reſurrectionis tertia, quarta Aſcenſionis, quinta Pentecoſtes, ſexta S. Chriſtinæ Virginis, & Martyris, S. Nicolai ſeptima, & S. Catharinæ Virginis octava. Qui verò ſexto decimo ſeculo Venetiis publicati ſunt Miſſales Libri *ſecundum conſuetudinem Gallicorum*, *ac Eccleſiæ Meſſanenſis*, Sequentiarum numerum plùs, pluſque in dies creviſſe, perſpicuum reddunt, cùm in ſingulis

fere

ferè Missis singulas non tantùm, verùm & plures aliquando exibeant : consulenda itaque est prima Missa Natalis Domini, tribus ornata Sequentiis.

XIX. Evangelicæ lectionis dignitatem ante oculos Majores nostri habentes, ullis aliquando diebus duplex Evangelium, nullo interposito cantu, recitare consueverunt; de hoc certam fidem perhibent antiqui nostri Evangeliorum Codices, ille potissimum membranaceus Ecclesiæ Agrigentinæ, quem hoc in Tractatu passim laudamus. Pia hæc consuetudo sensim in abusum transiit, dum Sacerdotes non pauci, ni duo in singulis Missis Evangelia legerent, devotioni haud se fecisse satis reabantur (a). Rursus ad Evangelium quod attinet, illud hìc nobis venit adnotandum, quod Feria IV. & Feria VI. præcipuè ex ritu Ecclesiæ Messanensis (b), etiam extra tempus Quatragesimale, habebant Evangelia propria; atque ita in qualibet hebdomada tria Evangelia legebantur, unum die Dominica, reliqua duo quartâ, & sextâ Feriâ; & si Festum duplex in Dominica occurrebat, ejus Evangelium non legebatur in fine Missæ, quemadmodum hodie, sed transferebatur in Feriam quartam, ejusdem Feriæ Evangelio omisso. (c) Evangelium.

XX. Munus legendi Evangelium jam inde ab antiquis Seculis in Sicilia Diaconis tributum esse discimus ex nostro Theophane Cerameo

Q (a), qui

(a) *Synodus Montisregal. Anni* 1554. *tit.* 9. *cap.* 27.
(b) *Missales Libri Eccl. Messanens. in hebdomad.* 1. *Adventus*, & *alibi passim.*
(c) *Breviarium Gallo-Siculum editum Ann.* 1527 *in Rubr. general.* §. 16.

(*a*), qui illa Evangelii verba, ubi per Johannem dixit Jesus : *Ego sum Ostium* populo exponens, ita Sermonis exordio finem imponit : *Age ergo divina Evangelii verba in medium proferamus, quæ tremendi mysterii Diaconus hodie legit.* Imo multò ante Theophanis tempora in Evangelio tuendo, ac recitando summum studium Diaconos Siculos adhibuisse, in genuinis primorum Martyrum Actis (*b*) perhibet Historia S. Eupli Diaconi Catanensis, qui Evangeliorum Codicem, quem, contemptis Diocletiani Edictis, & legerat, & exposuerat, collo ex Calvisiani jussu alligatum deferens, quarto ineunte seculo, Martyr occubuit.

Sermo, & Monitiones ad Populum.

XXI. Mos est antiquissimus ab ultimis temporibus costanti traditione ad nostram usque servatus ætatem, ut post Evangelium, qui Missæ officio præest sermonibus exhortatoriis Populum alloqueretur. Siculos in ritu isto observando diligentiam adhibuisse maximam, nullus revocat in dubium, qui præter memorati Theophanis Homilias, Decreta quoque Synodica de prisca Siculorum disciplina adierit. Porro Syracusana Synodus Anno 1553. celebrata, sacrosancti Concilii Tridentini cœpti jam, sed non dum conclusi salutare decretum sequuta, omnibus animarum curæ præpositis districtè mandavit (*c*), ut singulis diebus Dominicis, intra Missarum solemnia ad informandos Christianorum mores Evangelium exponerent, annunciarentque

(*a*) *Hom.* 47.
(*b*) *Apud Cotelerium Monument. Eccl. Græc. Tom.* 1. *pag.* 194. *& seqq.*
(*c*) *Tit.* 8. *cap.* 2.

que dies, quibus in hebdomada vel jejunare, vel ab opere manuum abstinere, jubet Ecclesia. Paullo expressior est Sinodus altera uno post anno in Ecclesia Montis Regalis coacta, quæ priusquam denunciationes istæ fierent, recitari præscribit (a) alta, & intelligibili voce latinè primum, vernaculâ inde linguâ Salutationem Angelicam, Orationem Dominicam, Symbolum Apostolorum, & decem Legis præcepta, ut omnes facilius ea addiscentes, frequentius dicere, & repetere possint. Angelica Salutatio illud præsefert observatione dignum, quòd posterior ejus pars, *S. Maria Mater Dei* &c. clausulam non continet, *nunc & in hora mortis nostræ*: quamobrem à veritate tantisper digredi videntur Baronius (*b*), & Bona (*c*), sacræ alioquin Antiquitatis indagatores diligentissimi, quibus persuasum fuit, Angelicæ Salutationi totum posterioris partis additamentum accessisse in Oecumenica Synodo Ephesina, ubi, exauctorato Nestorio, Beatissima Virgo unanimi Patrum consensu Θεοτόκος *Mater Dei* proclamata est: nam quidquid sit de particulis aliis, illam certè, quæ Siculorum libris deest, non nisi, ac Pontifice S. Pio V. additam volunt cordati nostri temporis Critici. Non est hìc silentio prætereundum, quod in antiquis Codicibus ad usum Chori, Panormitano in folio, & Syracusano in quarto prior pars Salutationis Angelicæ exhibetur, quibusdam interpositis versibus, interpolata, quæ loco Sequentiæ dicebatur ad Missam in festo Annunciationis Deiparæ, cujus tenorem referre oportuit

(a) *Post Tit. 27. pag. 136. & seq.*
(b) *Annal. Eccl. ann. Chr. 431. cap. 176.*
(c) *De Divina Psalmodia cap. 16. §. 2.*

tuit, ne pretiosam hanc antiquæ disciplinæ Tabulam perire sineremus.

„ Ave Maria, gratia plena, Dominus tecum: *Virgo serena*. Benedicta tu in mulieribus, *quæ peperisti pacem hominibus, Angelis gloriam*. Et benedictus fructus ventris tui, *qui Cohæredes ut essemus sui nos fecit per gratiam*.

Symbolum. XXII. Quando, quave occasione Symbolum in Missà Siculorum Ecclesia cantare cœperit, Eruditorum nemo, quod sciam, unquam docuit: verum hoc pari nos silentio non præterire, muneris nostri esse, intelleximus. Quoniam ritum à Romano haud diversum usque ad octavum seculum in Sicilia viguisse, apertè satis monstravimus (*a*), concludi videtur, tùm primùm Symboli cantum Ecclesiam nostram adhibuisse, cùm a Romana Diœcesi distracta, Costantinopolitano Patriarchatui contribuit, quod seculo octavo, per Leonis Isaurici violentiam evenisse, observavimus supra (*b*): nam id quoque Romanam inter, & Constantinopolitanam Ecclesiam intercedit discriminis, quod illa nullâ unquam hæreseos labe maculata, opus non habuit, ut Symbolum intra Missarum solemnia sæpiùs cantando, frequentaret; benè tamen ista, quæ ab hæreticæ spinæ cuspide pungi, ne vulnerari dicam, aliquando potuit: unde ceremoniam, de solemni ad Missam decantatione Symboli, in Ecclesia Græca antiquissimam agnoscunt S. Isidorus Hispa-

(a) *Cap.* 5. & 6.
(b) *Cap.* 8.

ſpalenſis Præſul *(a)*, Johannes Abbas Bicharenſis *(b)*, & alii plures, illam ad Imperatoris Juſtini Secundi tempora ſubſtollentes; in Romana vero Eccleſia ritum hunc undecimo Chriſti ſeculo antiquiorem eſſe, negat Berno Augienſis Abbas *(c)*, modum, quo ætate ſua (vixit initio Seculi undecimi) ritus iſte venit ad Romanos, accuratè deſcribens.

XXIII. Nihilominus Latina Siculorum Eccleſia, ut ego quidem arbitror, morem hunc citiùs admiſit: non quod aliquando ulla hæreſis fœce infecta fuerit, cùm in Catholica Fide ſemper permanſerit inconcuſſa; ſed ideò frequens Siymboli cantus neceſſarius viſus eſt ei, ut iſtâ Chriſtianæ profeſſionis teſſerâ, ſuos ab Arianis, Macedonianis, & aliis id genus hoſtibus infenſiſſimis facili diſtingueret, illos à Fidelium communione prorſus excludens, qui hanc fidei formulam continuò profiteri detrectarent. Veritatem nobis exponunt graviſſimi Patres S. Athanaſius *(d)*, & S. Baſilius *(e)*, & dilucidiùs, præ quàm illi, Socrates *(f)*, Sozomenus *(g)*, & Caſſiodorus *(h)*; ex quorum teſtimoniis invicem collatis, diſcimus, Legatos Concilii Lampſaceni, Euſtathium, Theophilum, & Silvanum, utpote de Ariana hæreſi maximè ſuſpectos, tametſi Li-

Symbolum quando Sicilia cantare inceperit.

(a) *In Chronico.*
(b) *In Chronico.*
(c) *Lib. de reb. ad Miſſæ offic. pertinentib. cap.* 2.
(d) *Tom.* 1. *Mauritanæ editionis par.* 2. *pag.* 891.
(e) *Tom.* 3. *ejuſdem editionis pag.* 307.
(f) *Hiſtor. Eccl. lib.* 4. *cap.* 12.
(g) *Hiſtor. Eccleſ. lib.* 6. *cap.* 11. & 12.
(h) *Hiſtor. Eccl. lib.* 7. *cap.* 25.

Liberii Summi Pontificis literas, quod Consubstantialitatis fidem fuerant professi, secum haberent, ad Catholicam in Sicilia communionem non prius admissos esse, quàm Nicena fide coram Provinciali Synodo iterum cofirmata.

XXIV. Et quidem magis, magisque hujusmodi veræ Fidei signo circa medium seculi quinti Siculis fuit opus, quando Ariana hæresis Siciliæ fines invadere tentavit, aditum ei patefaciente Genserico Wandalorum Rege, qui, testibus ipso S. Isidoro *(a)*, & Idatio *(b)*, ex Hispaniis cum ingenti exercitu in Africam primùm, tùm in Siciliam trajecit, Maximino Arianæ factionis duci, qui, ut in errorem, in quo ipse erat, Siculi deflecterent, totus incumbebat, auxilium præbens. Hoc nos, non ex nostra persuasione asserere, sed ex venerandæ Antiquitatis auctoritate defendere, satis idoneo probamus exemplo: nam Hispaniarum Ecclesiæ, & ipsæ Latinam alioquin disciplinam sequutæ, ab ipsis Wandalis, Gothis, & Svevis pervasæ, ac possessæ in officio Missæ *secundum formam Orientalium Ecclesiarum, Concilii Constantinopolitani; hoc est centum quinquaginta Episcoporum, Symbolum fidei* recitare consueverunt, ut sunt verba Synodi Tolethanæ tertiæ anno 589. celebratæ *(c)*.

XXV. Sed quoniam Sicilia quem primis Christianæ religionis seculis ecclesiasticum tenuit ritum, ipsum semper, constanterque non retinuit

(a) *Histor. wandal.*
(b) *In Cronico.*
(c) *Can. 2.*

tinuit; opportunè itaque quæri poteſt, an Symboli decantandi morem, quem ſemel aſſumpſit, unquam depoſuerit? Ter Eccleſiæ Siculæ impoſita eſt variandæ Diſciplinæ neceſſitas: ſemel ineunte Seculo octavo, cùm à Latina obſervantia longè diſcedens, Græcæ adheſit; iterum Seculo undecimo jam valdè adulto, quando Gallicanum Ritum, omiſſo Græco, ſtudioſè coluit; tertiò labente Seculo Decimoſexto, cùm poſt Bullam Pii Papæ V. divinorum Officiorum regulam ex Breviario Romano petiit. De variatione prima, ac poſtrema nihil, cui immorandum ſit occurrit, quia mos recitandi Symbolum ſicuti nunc non deeſt Latinis, ſic tunc non deerat Græcis, atque ita ejuſmodi morem Sicilia non neceſſe habuit intermittere; ſed alteri variationi exponendæ paulſum ſtudendum eſt. Ritum, qui à Gallis venit ad Siculos, Symboli cantu ornatum fuiſſe, ex eo certum mihi videtur, quod jam à tempore Leonis III. Pontificis apud Francorum Eccleſias mos cantandi Symbolum ad Miſſam, & quidem cum celebri ad Conſtantinopolitanam formulam additamento de Proceſſione Spiritus Sancti, invaluerat: liquet ex vulgata ejuſdem Leonis diſceptatione cum Caroli Magni Legatis, Bernario, & Adalardo. (a)

XXVI. In Symboli recitatione feſtivitatibus aſſignanda Galli maximè reſtricti, illud, teſte Ænea, Pariſienſi Epiſcopo noni Seculi Scriptore (b), tantùm cantabant Dominicis diebus: Fi- *Symbolum quibus diebus ex ritu Siculo cantabatur.*

(a) *Dialog. de Symbolo inter Leonem. III. & Legatos Caroli Magni.*
(b) *Tract adverſus Græcorum Photianas calumnias.*

Fides (inquit) *Catholica* , *quam die Dominica decantat ad Missam Universalis Galliarum Ecclesia* . Sed Siculi hac in parte Gallis indulgentiores gratum habuere , ut solemnitates omnes , modò quod ritu duplici essent ; Symboli recitatione gauderent . Verba antiqui Missalis Ecclesiæ Messanensis (*a*) subjiciamus : *Credo in unum Deum dicitur in Missa* . . . . *Messanensis Ecclesia* , *quæ Gallicanum servat Officium* , *ex Prælatorum institutione consuevit dicere in omnibus festis quo ad officium* , *&* *ceremonias duplicibus* . An ritus iste fuerit soli Messanensi Ecclesiæ proprius , vel Siciliæ omni communis , gratis divinare quis audet ? Leve est illud , quod ex altero Missali Libro Ecclesiæ Messanensis (*b*) observari licet , scilicet , dum canitur *Credo* ad Versum , *Et incarnatus est usque* , *Et homo factus est* , *genuflectitur* , *&* *pulsatur Campanella* .

Præfatio XXVII. Pergimus de Præfationibus tractare , quarum usus omnibus Siculorum Ecclesiis non semper fuit idem . Antiquum Missale Gallo - Siculum Panormitanæ Ecclesiæ in 4. iterum , ac sæpius memoratum , ultra receptas , & communiter approbatas novem Præfationes , perquàm multas , celebrioribus solemnitatibus proprias , exhibet : & sane singularibus Præfationibus gaudent ex eo Festa S. Stephani Proto - Martyris , S. Johannis Apostoli , SS. Innocentium , Circumcisionis Domini , Assumptionis Deiparæ , Nativitatis ejusdem , S. Michaelis Archangeli , omnium Sanctorum , Dedicationis Ecclesiæ , Na-

(*a*) *Editum anno* 1527. *in Rubr. General.*
(*b*) *Editum anno* 1534. *in Rub.* §. *penult.*

Natalis unius Apoſtoli, Natalis unius Martyris, Natalis plurimorum Martyrum, Dominica prima Quadrageſimæ, Dominica Palmarum, & Feria v. in Cœna Domini.

XXVIII. Johannes Cardinalis Bona (a) valdè perſuaſum ſibi habet, tot Præfationum uſum in toto Chriſtianorum Orbe duodecimum Seculum haud exceſſiſſe, illâ potiſſimùm fretus ratione: *Quod in Miſſalibus ſcriptis poſt annum* MCC. *illæ novem dumtaxat reperiuntur*. Sed vir alioquin eruditiſſimus, vel quod ad Siciliam attinet, graviſſimè errat: quandoquidem antedictum Miſſale Nicoſienſe Anno 1346. pulcherrimè ſcriptum, alias à novem communibus diverſas, repræſentat, præcipuè in ſolemnitate Aſſumptionis B. Mariæ Virginis, in die Dedicationis Eccleſiæ, & in feſto Cathedræ S. Petri. Certiſſimum tamen eſt, ſatis ante Concilii Tridentini Decreta, de Miſſali, & Breviario edendis, atque emendandis, Eccleſiam Siculam à vario, commutabili, & multiplici Præfationum uſu abhorrere cœpiſſe, novem dumtaxat illis communibus contentam: quippè Miſſale Gallo-Meſſanenſe Venetiis Anno 1527. publicatum de Præfationibus ſermonem inſtituens, inquit: *Scias quod novem ſunt ab Eccleſia approbatæ, & non amplius* (b).

XXIX. Qui modò à nobis memoratus eſt Johannes Cardinalis Bona (c) eruditè obſervat, omnes Sacramentorum Codices cum antiquos, — Crucifixi Imago ante Canonem.

R tùm

(a) Rer. Liturg. lib. 2. cap. 10. n. 3.
(b) In Rubr. in principio poſitis §. penult.
(c) Ibid. cap. 11. n. 1.

tùm hodiernos *Inter Præfationem*, & *Canonem* Christi Crucifixi Imaginem propterea pictam exhibere, ut Sacerdos in eam oculorum aciem injiciens, cruenti illius Sacrificii recordetur, quod in Ara Crucis semel oblatum, actione incruenta quotidie renovatur in Ecclesia. Verum in antedicto Missali Gallo-Siculo Panormitanæ nostræ Ecclesiæ non Imagini Præfatio, sed Præfationi Imago præponitur, & quidem quatuor ornata clavis, dum non uno duo pedes, sed distincto singuli perforati videantur, confirmans illam de quaternario clavorum numero traditionem, quæ in Gallicana viget Ecclesia, è cujus fontibus Ritus nostri maxima sui parte emanarunt. Eidem tamen Schemati deest suppedaneum, quod ne totum Christi Corpus à solis penderet manibus, ejus pedibus suppositum fuisse non uni putant.

Canon Missæ. XXX. Age nunc ad Canonem, qui totius actionis pars est nobilior, transeamus. *Incipit* (verba Card. Bona (*a*) exscribo) *ab oratione, Te igitur clementissime Pater, usque ad orationem Dominicam*. Orationem hanc, ut sacro Canoni annecterent Siculi, S. Gregorium Magnum mandata dedisse, post ejusdem S. Pontificis testimonium præstantissimum nemo potest ignorare: referens enim quorundam adversus se murmurationes, illud inter cetera querelarum caput enumerat (*b*), quod *Orationem Dominicam mox post Canonem* recitari in Sicilia sanxerat. Sed notanda sunt verba, quibus ordinatio-

(*a*) *Cit. lib. cap.* 11. *n.* 1.
(*b*) *Lib.* 9. *Epist.* 12. aliàs *Lib.* 7. *Epist.* 64.

tionis suæ patrocinium, defensionemque arripuit: *Orationem verò Dominicam iccircò mox post precem dicimus: quia mos Apostolorum fuit, ut ad ipsam solummodò orationem oblationis hostiam consecrarent. Et valdè mihi inconveniens visum est, ut precem, quam Scholasticus composuerat, super oblationem diceremus, & ipsam traditionem, quam Redemptor noster composuit, super ejus Corpus, & Sanguinem taceremus.* Hæc fusiùs transcribere libuit, quibus plura disciplinæ Siculæ monumenta utiliter discimus, scilicet, quòd Siculi ab antiqua consuetudine discedentes, loco Orationis Dominicæ in Missa, Canonem recitaverint: quòd S. Gregorius Apostolicæ traditionis vindex, ipsam Orationem Dominicam, absoluto Canone, recitari in Sicilia statuerit: quòd idem S. Pontifex maluerit à Siculis omitti recitationem Canonis, quàm ipsam non dici Orationem Dominicam: quòd Auctor Canonis fuerit Scholasticus quidam. Quid hìc velit Scholastici nomen, ex ipso S. Gregorio facili dignosci non potest: quod fuit in caussa, quamobrem Eterodoxi Misoliturgi erroribus suis perditissimè addicti, nugas de eo, & fabellas attexerent; sed sanioris mentis Scriptores multi Scholasticum pro uno ex iis Viris doctissimis accipiunt, qui ingenii elegantiâ pollentes, Christianorum Scholis præsidebant: hinc S. Hieronymus (*a*) Seraphionis elogium texens: *Seraphion* (inquit) *Episcopus ob elegantiam ingenii cognomen Scolastici meruit*. Ut ut res se

 ha-

(*a*) *Lib. de Vir. Illustr.*

habeat ; ambigi tamen haud poteſt ; ipſum S. Gregorium quod Eccleſiæ Siculæ dignitas ferebat attendiſſe, ponens in Sacro Miſſæ Canone inclyta Sanctarum Martyrum, Virginumque Agathæ, & Luciæ nomina, quemadmodum ex S. Aldhelmo Britannorum Epiſcopo obſervavimus ſupra (a)

Pulſatio Campanæ ad Hoſtiæ elevationem.

XXXI. Ritum pulſandæ Campanæ de Nolario, dum in Miſſa ſolemni Euchariſtia adoranda elevatur, in Eccleſia Sicula ſextodecimo Chriſti Seculo antiquiorem eſſe, nullo Sacræ eruditionis veſtigio confirmare poſſumus; quin potius circa medium ejuſdem Seculi morem hunc in Syracuſana Eccleſia (de aliis nihil compertum habeo) primùm obtinuiſſe, jam obſervavimus alibi, & opportunius monſtrare iterum non gravamur ex ejuſdem Eccleſiæ Synodo ſub Epiſcopo Hieronymo Bononio celebrata (b), quæ laudabilem hanc ceremoniam ideò in tota Diœceſi intromitti præcipit, ut qui majori Miſſæ intereſſe nequiunt, ad hoc ſaltem ſignum, ubi vis invenirentur, flexis genibus, Deum adorent, de collatis ſibi beneficiis gratias referentes.

Ablutionis Ritus.

XXXII. Non duplicem olim ablutionem Calicis, ſed illâ ex ſolo vino prætermiſſâ, alteram ex vino, & aqua tantummodò adhibebat Siculorum Eccleſia, ut videre eſt in Miſſalibus Libris Eccleſiæ Meſſanenſis initio Seculi ſextodecimi Venetiis publicatis: Verum eodem Seculo jam adulto, ex Conſtitutione Synodica

(a)

(a) *Cap.* 5. *n.* 9.
(b) *Tit.* 2. *cap.* 14.

(a) Octaviani de Præconio Archiepiscopi Panormitani Siculi doctiores facti, usum primæ etiam ablutionis admiserunt.

XXXIII. Restat ut de fine Missæ agamus: In vetustissimo Ordine Missæ Gallo-Siculæ ex M. S. Codice Panormitano, simul & in paullò recentiore ex antedictis Missalibus Ecclesiæ Messanensis nulla fit mentio benedictionis Populi: ex eo enim Sacerdos dictâ Oratione, *Placeat tibi S. Trinitas*, statim ab Altari recedit: ex istis autem post ipsam Orationem osculatur ipsum Altare, legens Initium Evangelii secundum Johannem, & quem Hermannus Contractus composuit Hymnum, *Salve Regina*, cum competenti Oratione. Synodus Ecclesiæ Montis-Regalis anno 1554. coacta (b), Hymnum hunc in Missa solemni à toto Choro recitari præscribit: ex qua etiam discimus populi benedicendi ritum tunc temporis admissum in Sicilia fuisse. Pergit itaque Synodus: *Volumus etiam, ut in majori Missa, postquam Sacerdos populo benedixerit, ac Evangelium Johannis dicitur, Chorus alta, & intelligibili voce dicat: Salve Regina cum versiculo, & unus ex Sacerdotibus subjungat Orationem Beatæ Virginis secundum temporis qualitatem*. Ex his nulli dubium esse potest, usum legendi Evangelium S. Johannis in fine Missæ satis ante tempora S. Pii V. apud Ecclesiam Messanensem; & Montemregalensem invaluisse, & in Panormitana Ecclesia tunc saltem non viguisse, quando

Quo Ritu Sacrificio Missæ imponebatur finis.

(a) *Synodus Panormitana Anni* 1565.
(b) *Tit.* 9. *cap.* 28.

do ejus Miſſalis Liber ſcriptus fuit. Hac non uniformi ratione eo minus Eruditi offendi debent, quò magis jam eos non latet, Initium Evangelii ſecundum Johannem in Miſſalis Romani recognitione noviſsima S. Pium Papam V. legi præcepiſſe *cùm antea certa ſine lege ex ſola conſuetudine à quibuſdam dici, ab aliis omitti pro cujuſque arbitrio ſoleret*; ut Johannes Cardinalis Bona (a) teſtis eſt, ſubjungens id S. Pontificem propterea lege firmaſſe, ut devotioni conſuleret Fidelium, qui idem Evangelium collo appenſum, inſtar amuleti, geſtare cupiebant, vel quando talis eis commoditas deerat, ſaltem poſt Miſſarum ſolemnia ſibi recitari faciebant.

XXXIV. Præcipuas Liturgiæ Gallo-Siculæ ceremonias expoſuimus hactenus, ſuper quas alia multa præfari poſſem, & forſitan deberem; verum de his nunc prælo aptandis magnopere ſolliciti non ſumus, cùm uno omnia aſpectu conſpici poſſunt in fine Tractatus, ubi duplicem Miſſæ Siculæ Ordinem perpetuæ memoriæ monumentis aptiùs conſignabimus.

CA-

(a) *Rerum Liturgic. lib. 2. cap. 20. n. 5.*

CAPUT XV.

De Singulis partibus Psalmodiæ Gallo-Siculæ.

I. ANtiquæ Psalmodiæ Siculæ partes singulas pro viribus ingenii mei, quod quàm exiguum esse sentio, Deo opitulante, expositurus, ordinem æmulor, quem ipse Psalmodiæ usus suggerit: atque ita ab Hymnis; quibus inter Preces omnes principem locum tribuit Ecclesia, exordiri mihi propono.

Hymni.

II. Ex multis, atque variis Hymnariis Siculis cùm editis, tùm manu exaratis, quæ nos provinciam hanc illustrantes, aliis hac in parte fortunatiores, nancisci potuimus, facili intelleximus Ecclesiam Siculam, legibus alioquin Gallicani ritus mancipatam, in decantandis Hymnis jus suum retinuisse: quamobrem Solemnitates maximè plures, quæ ex Gallicano ritu de Communi Hymnos mutuabantur, ex Siculorum disciplina Hymnis sibi propriis gaudebant. Imò uniformem semper rationem in concinnandis ipsis Hymnis Siciliam minimè observasse, vel ex uno tantùm Breviario Gallo-Siculo Matthæi Caldi jam habemus, unde planum fiat: porrò in ejus prima editione Anni 1512. ad Vesperas Sabbati ante Dominicam Septuagesimæ exhibetur Hymnus: *O lux Beata Trinitas*: quando in editione altera Anni 1527. repræsentatur Hymnus: *Alleluja dulce Carmen*, quem integrum loco suo, & tempore recudere in animo est.

Siculorum ritus in concinnandis Hymnis.

III.

Hymni ex Antiphonis, & aliis contexti.

III. Rursus ad Hymnos quà spectat, aliud habemus singulari observatione dignùm, Invitatorium, & Antiphonas sparsim per Officium exhibitas, simul junctas, ut plurimum instar Hymni esse, qui solemnitatis Officio quàm aptè responderet. Similis inerat regula Responsoriis post Lectiones præcinendis, quæ in unum collecta, formam alterius Hymni perfectè exprimunt. Juvat hìc antiqui hujus ritus specimen afferre ex ordine Officii in festo S. Marciani Primi Syracusarum Episcopi, celebris olim apud Ecclesiam Siculam Die 14. Junii.

Ad Vesperas Antiphona super Psalmos

„ Ex quo venit Syracusas Præsul Marcianus,
„ Cessit loco vitiorum conventus insanus:
„ Cessit Idolorum cultus, cessit honor vanus:
„ Signo Crucis propulsatur Spiritus profanus.

Antiph. ad *Magnificat.*

„ Gloriosi Marciani redeunt solemnia:
„ Psallat Chorus, sonet Hymnus, concrepet
„ melodia
„ Ad triumphum tanti Patris confluat Ecclesia:
„ Laudes promat, & erumpat in festiva gaudia.

Ad Matutinum Invitator.

„ Exultemus Deo Patri Spiritus concordiâ,
„ Qui in terris Marcianum præsulari gratiâ,
„ Et in Cœlis consecravit immortalitatis gloriâ.

Antiph. I.

„ Urbs lætare Syracusa laudibus uberrima,
„ Præsulatu Marciani facta celeberrima,

Antiph. II.

„ Plaude manu, psalle voce hujus in præconia,
„ Verbo cujus te adornant fidei mysteria.

Antiph. III.

„ Fonte Sacro te permundat, tabes cedit squalida:
„ Nam squalorem in decorem stola mutat can-
„ dida.

Antiph. IV.

„ Jam erumpit lux accensa igne Sancti Spiritus:
„ Jam elucet flammæ globus supra montem po-
„ situs.

Cla-

" Claret cunctis vir cœlestis soli Deo deditus ; Antiph. v.
" Non lucere nescit dies nulla nube obsitus.
" Eroganda quæ suscepit, verbi Dei semina, Antiph. vi.
" Latè spargit: sparsa rigant Paradisi flumina.
" Ad usuram dum commissa traditur pecunia, Antiph. vii.
" Duplicata reportantur talenti commercia.
" Miles Christi, quibus certat, arma sunt siderea: Antiph. viii.
" Scutum, fides, mucro verbum, salus est pro
" galea.
" Pugnam agit, palmam sperat, numerat stipendia Antiph. ix.
" Post laborem, quæ meretur fidei victoriâ.
" Dum æternæ viam vitæ docet vir eximius, Ad Laudes Antiph. i.
" Credunt viri Consulares Seleucus, & Gordius:
" Signo Crucis curat ægros, effugat Dæmonia: Antiph. ii.
" Et Imago Salvatoris salutis dat remedia.
" Friget error, fervet fides, silet Idolatra, Antiph. iii.
" In Dianæ formâ structa corruit Arthemia.
" Benedicant Patrem rerum cœlum, terræ, maria; Antiph. iv.
" In quo vincit Marcianus aquas, & incendia.
" Laus jucunda Salvatori resonet per secula, Antiph. v.
" Per quem florent Marciani Præsulis miracula.
" Admiranda Marciani præfulgent magnalia, Antiph. ad *Benedictus*.
" Cujus lingua os cœlestis, fons conditus gratiâ.
" Cujus pectus vas virtutis, plenum sapientiâ.
" Tanto Patri commendetur præsens hæc familia.
" Præsul ave, Marciane, præsulare speculum: In ii. Vesper. Antiph. *ad Magnificat*.
" Ave Pater, forma morum, virtutis signaculum:
" Confer opem, opem largire, pietatis oculum
" In nos verte: nos conserva, hunc tuere po-
" pulum.

Antiphonæ

IV. In cantandis Antiphonis Siculorum ritui minimè correspondet hodierna Romanorum disciplina, cum ex illa in Festis tantummodo

solemnibus, non verò in minus solemnibus, tametsi ritu duplicibus, ante, & post Psalmos integrè præcinendæ erant. Cantica autem *Benedictus* in Laudibus, & *Magnificat* in Vesperis gaudebant Antiphonâ *Triumphare*, id est ter fari, quia ter cantabatur. Similis ritus quoque obtinuit in Ecclesia Turonensi, diversâ tamen formâ, quàm in Sicula: ex ritu enim Turonensi, teste Edmundo Martene (a), Antiphona primùm dicebatur, absoluto Cantico antè *Gloria Patri*, secundò antè *Sicut erat*, tertiò tandem integro Versiculo recitato: quandò Sicilia recitare consuevit semel ante, & bis post Canticum. En antiqui Breviarii Gallo-Siculi verba (b): *Antiphona autem, quæ dicitur ad Magnificat ter dicitur, videlicet ante Magnificat, & post, deinde & iterum repetatur . . . : & sic etiam ad Benedictus*. Idem, diversis tamen verbis, legitur in antiquiore Breviario membranaceo Panormitanæ nostræ Ecclesiæ, ubi agit de Antiphona ad Benedictus in Officio Natalis Domini, ibi: *& dicatur ter*.

Antiph. ad *Bened.* & *Magnicat* ter dicta.

Psalmi

V. Quoniam ante Decretum S. Pii Papæ V. de vulgata Psalmorum Editione ubique recipienda, plures extiterint eorumdem Versiones latinæ, hinc suscepti Operis ratio exigit, ut legentium notitiæ excidere non fineremus, qualem ex Versionibus his Ecclesia Sicula admiserit. Ut autem ab incertis certa secernamus, illud tanquam exploratissimum haberi volumus, quod duæ potis-

Variæ Psalterii Versiones Latinæ.

(a) *De Antiqu. Eccl. Discipl. in Divinis celebr. Off. cap.* 4. *n.* 6.

(b) *Editum Anno* 1527. *in Rubr. General.* §. 22.

tissimum Versiones latinæ in cantu Ecclesiastico adhibitæ sunt, ambæ juxtà LXX. Interpretes, ambæ a S. Hieronymo editæ; una quidem Romæ circa Annum Christi 382. S. Damasi Papæ jussu, cui ad multum temporis adhæsit Ecclesia Romana, & ob id Romana nominata; altera verò Bethlehem post annum Christi 384. Paulâ Matronâ, ejusque filiâ Eustochio Virgine instantibus, quæ quòd statim obtinuerit in Galliis, Gallicana Editio dicta est. Posterior hæc Editio, utpotè quæ esset priore castigatior, hodiè S. Pii Papæ V. decreto, Romana Versione posthabita, in Ecclesia Latina communiter recepta est. Utraque publicam lucem sortita est in celebri Opere ejusdem S. Hieronymi *(a)* studio Monachorum Benedictinorum è Congregatione Sancti Mauri edito, & iterum separato Volumine curâ Josephi Cardinalis Thomasii *(b)*. Vitio nobis vertat nemo, quod non memoravimus tertiam ejusdem S. Hieronymi Versionem ad preces Sophronii, juxta Hebraicam veritatem studiosissimè elaboratam, quæ prodiit in antedicto S. Hieronymi Opere *(c)*, & seorsùm ab Opere cum notis Jacobi Benigni Bossuet *(d)*: nam Ecclesia Hieronymianam hanc ex Hebræo Versionem, Fidelium commodo consulens, quorùm memoriæ tenacius inhærebat vulgata juxta LXX. Interpretes, nullatenus in celebrandis Divinis Officiis acceptavit.

(a) Tom. 1. par. 2. pag. 1223. & seqq.
(b) Psalterium juxta duplicem Editionem Rom. & Gallic.
(c) Tom. 1. part. 1. pag. 838. & seqq.
(d) Lib. Psalmor. & Canticor. editus Venetiis 1733.

Gallicanam Psalterii Versionem Sicilia adhibuit.

VI. Restat nunc jam pars disquisitionis nobilior, quænam ex duabus his Versionibus usui fuerit Siculis. Et sanè ut antiqui nostri Codices digito indicant, Editione Gallicana in celebrandis precibus, jam inde à Seculo undecimo uti cœperunt Siculi, cum ritu Gallicano Gallicani quoque Psalterii lectionem admittentes, eodem fermè pacto, quo ab initio ad Seculum usque octavum, Psalterio Romano, Romanæ disciplinæ addicti; usi fuerant. De tempore, quod octavum inter, & undecimum Seculum intercurrit hìc non loquimur, cùm apud Siculos tunc non Latinæ, sed Græcæ Psalmodiæ usus invaluerit.

VII. De Gallicana Versione retinenda Siculos magis magisque solicitos fuisse, absque ulteriori confirmatione, id planum reddit, quod de Monachis S.Benedicti Congregationis Siculæ perhibet Historia: ii enim cum Casinensibus uniti, quò nè illis in psallendi quoque ordine, Gallicanæ Versionis obliti, copulati viderentur, semel, atque iterum prælo tradiderunt ipsam Gallicanam Versionem, inscriptam: *Psalterium Monastichum ad usum Congregationis Monachorum Siculorum, Regularis Observantiæ S.Benedicti* (a).

Romana Psalterii Versio in Ecclesiastico Siculorum cantu obtinuit.

VIII, Verùm quia Psalmos, Psalmorumque versus in Introitibus Missæ, Gradualibus, Tractibus, Offertoriis, ac Communionibus, necnon in Invitatorio Officii, eiusque Antiphonis, & Responsoriis non ad exemplar Versionis Gallicanæ, sed antiquæ Romanæ exhibeant antedicti Ecclesiæ Siculæ Libri, exponenda hujus rei caussa

(a) *supra cap.* 13. *n.* 7.

ſa eſt, nè in ſtudio Sacræ Eruditionis minus verſati ſilentio noſtro graviter offenderentur. Sciendum eſt ſanè quod Galli, à quibus ritus ſuos mutuàti ſunt Siculi, Eccleſiaſticum Romanorum cantum æmulati, ad illum in Eccleſiis ſuis intromittendum curâ potiſſimum, & induſtriâ Regum piiſſimorum Pipini, & Caroli Magni toti incumbuerunt: quare, *ut non eſſet diſpar ordo pſallendi*, ſed Galliæ, & Roma *eſſent unitæ unius modulationis veneranda traditione*, quemadmodum ipſe Carolus Adrianum Pontificem alloquitur (*a*), antedicti Pſalmi, vel Pſalmorum verſus notis muſicis ad Miſſam, & Officium præcinendi, juxta Romanam Verſionem in Galliam, atque inde in Siciliam introducti ſunt. Quod ita quoque contigit, Libris Eccleſiæ Romanæ juſſu S. Pii V. correctis, cùm Gallorum Verſio in communem ſit accepta, dictis Introitibus Miſsæ, & aliis juxta Romanam Verſionem diſpoſitis, haud immutatis. Ut autem appareat utriuſque Verſionis diſcrimen, unicum tantùm, ne ſuperfluis Lectorem oneremus, Pſalmi xc. Verſum hìc exſcribere non gravamur, primùm quidem ſecundùm antiquam Verſionem Romanam, quam ſequuntur Miſſales Libri in Tractu Dominicæ primæ Quadrageſimæ: tum juxtà Verſionem Gallicanam, cui adhærent Breviaria antiqua Sicula, & hodierna Romana in Officio diei ad Completorium.

„ A' ſagitta volante per diem, à negotio „ perambulante in tenebris: à ruina, & Dæ„ monio meridiano.

„ A'

(*a*) *Tract. de Sacr. Imag. contra Synod. Græcor. lib.* 1. *cap.* 6.

„ A' sagitta volante in die, à negotio per-„ ambulante in tenebris: ab incursu, & Dæ-„ monio meridiano.

Psalterii distributio

IX. Ceterum in distribuendo Psalterio per Hebdomadam, etsi hodierno Breviario Romano uniforme videatur antiquum Gallo-Siculum diligentiâ antedicti Matthæi Caldo editum; ejus tamen Ordinem non exprimit præfatum Breviarium M. S. insignis Panormitanæ nostræ Ecclesiæ, concordantibus cum eo vetustis ejusdem Ecclesiæ Psalteriis: nam Psalmi per dies, & horas sic distributi erant, ut toti unius Hebdomadæ circulo legerentur. Sanè à I. ad XX. obtinebat Matutinum Dominicæ: tum ad XXV. Prima *Magna*, ut vocant, ejusdem diei: inde ad XXXVII. Matutinum Feriæ II. postea ad LI. Matutinum Feriæ III. deinceps ad LXVII. Matutinum Feriæ IV. duodecim subsequentes Matutinum Feriæ V. inde ab LXXX. ad XCVI. Matutinum Feriæ VI. postea ad CVIII. Matutinum Sabbati: quinque qui sequebantur Vesperis Dominicæ assignati erant: septem alii nempè à CXIV. ad CXX. Vesperis Feriæ II. tùm quinque Vesperis Feriæ III. totidemque Vesperis Feriæ IV. Psalmus postea CXXXI. cum quatuor succedentibus sibi, Vesperis Feriæ V. sexque Vesperis Feriæ VI. & reliqui octo, à CXLIII. ad CL. Vesperis Sabbati.

Benedictiones.

Modus non uniformis in dandis Benedictionibus

X. Benedictionum Lectionibus præmittendarum antiquum ritum Siculum expositurus, Absolutiones, quibus Benedictiones ipsas hodie subjungimus, non memoramus, cùm earum ne vestigium quidem in Codicibus Siculis ante tem-

po-

pora Sancti Pii V. scriptis reperiatur : nam Orationi Dominicæ, nullis aliis interpositis precibus, continuò succedere faciunt Benedictiones. In his exhibendis varium, ac multiplicem ritum Ecclesiæ nostræ admiserunt : quandoquidem unum omnes in celebrandis divinis Officiis canonem haud tenentes, Benedictionum formulas adeò diversas sequutæ sunt, ut nimius essem, si omnes in medium adducere vellem : quocirca ex his communes tantummodò excerpsimus ex antiquo Breviario M. S. Ecclesiæ nostræ, à quo vix verborum congerie distinguitur Breviarium membranaceum Messanensis Ecclesiæ, & Gallo-Siculum curâ Matthæi Caldo Venetiis excusum.

„ I. Alma Dei Patris veniat benedictio nobis. Benedictiones Communes.

„ II. Benedicat nos de Cœlis summi potentia Regis.

„ III. Cœlorum Rector sit nobis salus, & protector.

„ IV. Dextera Divina nos protegat, & bededicat.

„ V. Æternum munus det nobis Trinus, & Unus.

„ VI. Filius Dei vivi faciat nos placere sibi.

„ VII. Gratia divina sit nobis salus, & doctrina.

„ VIII. Omnipotens Dominus suâ gratiâ nos benedicat.

„ IX. Christus perpetuæ det nobis gaudia vitæ.

Lectiones

XI. Lectiones ex antiquo Siculorum ritu non eo erant numero, aut ordine distinctæ, quo hodiè in Breviario Romano sunt digestæ. Porrò in Codice Messanensi omnium antiquissimo, conti-

nen-

Lectiones de Sanctis. nente Officia de Sanctis juxta disciplinam Gallo-Siculam, plura exhibentur Festa, & ipsa solemnissima, quorum Officium notis musicis præcinendum erat, ex quibus aliqua nullis omnino gaudent Lectionibus; sed earum loco ad Psalmos multa interseruntur Versus, & Responsoria ex Historia Sancti excerpta: non una tres tantummodo habent Lectiones: alia sex: reliqua verò novem, quæ aliquando ex Sanctorum Actis, aliquando partim ex Actis, partim ex Homiliis in Evangelia, prætermisso Expositoris titulo, exscriptæ sunt, quem ritum ex parte amplectuntur antiqua alia Breviaria nostra cùm in lucem emissa, tùm manu exarata.

Lectionarii Siculi. XII. Ulterius non est indiligenti silentio prætermittendum, Ecclesiam Siculam ad commodiorem Lectionum usum Codices huic argumento proprios, qui Lectionarii, Legendæ, atque Passionarii dicti sunt, sibi concinnasse; cujus generis duplicem membranaceum reperimus in Sacrario Messanensis Ecclesiæ, alterum satis pulchrum in folio, alterum antiquissimum in quarto, ex quibus ille, vel stilo mihi indice, Legendæ sunt Jacobi de Voragine. Alius Lectionarius etiam membranaceus in folio pergrandi asservatur in Panormitana nostra Ecclesia; non omnia tamen Anni solemnitates continet. Extat ibidem Codex papyraceus in octavo, cui titulus: *Thesaurus pauperum per totum Anni circulum*, continens Sermones in Festa totius Anni, & in Commune Sanctorum: unde fallitur, simul ac fallit qui eundem Codicem vel Lectionarium, vel Breviarium esse contendit.

Lectiones ex Sacra Scriptura. XIII. Ex iisdem vetustis Codicibus nostris sibi

bi invicem collatis circa Lectiones in Officio de tempore, illud etiam hìc nobis venit adnotandum, quòd ex Scriptura nec tantum, nec ita erat desumptum, quantum, & sicut in hodierno Breviario Romano: quocirca à Feria II. Dominicæ in Albis usque ad Dominicam tertiam post Octavam Paschæ non legebatur Liber Apostolorum, sed Apocalypsis: quod fuit in caussa quamobrem ipse Apocalypsis Liber ad exemplar Breviarii Romani, in Sicilia legi inde nequierit: sed ejus loco à Feria II. ejusdem Dominicæ tertiæ usque ad Ascensionem recitabantur Epistolæ Canonicæ, quæ quòd in Ordinario Romano tardiùs, scilicet Dominicâ IV. post Pascha ponantur, de eis continuò legitur usque ad Pentecosten; quando ex ritu Siculis proprio in Pentecoste recitari finiebat Liber Actuum Apostolorum, cujus lectio cœpta erat Feriâ VI. post Ascensionem. Libros Regum, quos à Feria II. post Octavam Pentecostes usque ad Dominicam primam Augusti legimus hodie, Majores nostri, recitatis per totam Octavam Corporis Christi Lectionibus propriis, à Dominica II. post Pentecostes, & deinceps usque ad Kalendas Augusti legere consueverunt. Lectis inde ex antiquo Ordinario Siculo, quemadmodum ex hodierno Romano, per totum Augusti Mensem Libris Salomonis, sequebatur Liber Job, duas occupans Hebdomadas: totidemque tempus obtinebant Liber Tobiæ, & Liber Judith. Dominica V. Septembris, quæ in Breviario Romano exigit Librum Esther, antiquis Codicibus Siculis omninò deest. Codices isti tametsi cum Romano conveniant de legendis in mense Octobris Macha-

bæorum Libris, discrepant tamen de Prophetarum Libris deinde recitandis: ex antiquo enim Siculorum ritu non duas Novembris priores Hebdomadas complectebatur Ezechiel, tertiam Daniel, quartam Osee, Joel, Amos, Abdias, & Jonas, quintam verò Michæas, Nahum, Habacuc, Sophonias, Aggæus, Zacharias, & Malachias; sed Ezechiel per primam tantùm Novembris Hebdomadam dicebatur, tempore, quod usque ad Adventum supererat, soli Danieli relicto. In eodem Adventu ex utroque ritu antiquo Siculo, & hodierno Romano legitur Isaias; sed Epistolæ Pauli, quas secunda die infra Octavam Epiphaniæ, & deinceps usque ad Septuagesimam recitat Ordo Romanus, nisi transactâ ipsâ Octavâ, cui Lectiones propriæ assignatæ erant, in Ecclesia Sicula obtinebant. Tandem à Septuagesima usque ad Feriam III. ante diem Cinerum ex antiqua Siculorum observantia, æquè ac ex hodierna Romanorum disciplina legitur Liber Genesis.

Cuilibet Scripturæ Libro Præfatio præmissa.

XIV. Deinceps circa Lectiones ex Scriptura duo alia mihi observare contigit: alterum est, quod ubi incipiebat Liber, Lectionibus quandoque præmittebatur Præfatio ejusdem Libri: unde Dominicâ I. Adventus ante primam Lectionem ex Breviariis Siculis recitari consueverat, *Prologus in Isaiam Prophetam*: inde, *Argumentum de ortu, vel obitu Isaiæ, Prophetæ*; Et Dominicâ in Septuagesima, *Præfatio S. Hieronymi Presbyteri in Pentatheucum.* Alterum est circa ritum, quo Lectionibus finis imponebatur: quandoquidem antiqui Siculi Lectiones ex Prophetis, prætermisso versu, *Tu autem Domine*, istis signanter verbis terminabant: *Hæc dicit Dominus*:

Ritus terminandi Lectiones ex Propheti.

nus: *Convertimini ad me* , *& salvi eritis*; quem morem apud Carthusienses Monachos etiam invaluisse, referunt Johannes Cardinalis Bona *(a)*, & Edmundus Martene *(b)*.

Responsoria.

XV. Circa Responsoria, & Versus alius ab hodierno ritus Siculis erat. Illa enim à quibus, & quo ordine in Sicilia fuerint decantata, manifestè ostendit Breviarium nostrum Anno 1527. editum, ritus exponens Dominicæ primæ Adventus: nam dicto in fine Lectionis, *Deo gratias*, extemplò Cantor præcinebat Responsorium, & primum Versum: inde qui Antiquiores in Choro erant, duos Versus alios: postea dicebant simul cum Cantore in medio Chori, *Gloria Patri*, quo finito, repetebatur Responsorium. Diebus non unis solemnioribus, singulis ultimis cujusque Nocturni Responsoriis ex eodem Breviario subjungebantur Prosæ, & post ultimam Prosam cantabatur solemniter in Ambone Genealogia Salvatoris, aliquando secundùm Matthæum, ut in Natali Domini; aliquando secundùm Lucam, ut in Festo Epiphaniæ.

Responsoria quo ritu in Sicilia cantata.

XVI. Post Genealogiam, vel eâ non cantatâ, post nonum Responsorium dicebatur Hymnus, *Te Deum laudamus*: non enim antiqui Siculi tantam, talemque hujus Hymni rationem habebant, ut eum cantaturi, à consuetudine præcinendi ultimum Responsorium discederent: imò potius illud præ consuetis prolixius admittebant, ut videre est in Officio Dominicæ pri-

Nonum Responsorium cum *Te Deũ*.

(a) *De Divina Psalmodia cap.* 18. §. 5.
(b) *De antiq. Eccl. Discipl. in Divin. celebr. Off. cap.* 5. *n.*6.

primæ post Octavam Epiphaniæ, & alibi passim. Quid? paullò se difficiliorem in præcinendo, *Te Deum*, olim præbuit Ecclesia Sicula, in qua, nisi exactis Seculis non unis, ritus iste obtinuisse videtur: utpotè cùm ejus ne vestigium quidem ullum reperiatur in antedicto Codice M. S. Ecclesiæ Messanensis circa initia duodecimi Seculi, pro cantanda Divina Psalmodia, notis musicis pulchrè satis concinnato.

Commemorationes Communes.

Commemorationes ex Breviario M. S. Panormit. Ecclesiæ.

XVII. Non tot, neque ita Sanctorum suffragia ad Laudes, & Vesperas adhibebant Siculi, quot, & sicuti hodiè Romani. Imò neque omnibus Siculorum Ecclesiis de celebrandis Sanctorum Commemorationibus unus, idemque semper fuit usus: & sane novem exhibentur ad calcem Breviarii M. S. Panormitanæ Ecclesiæ, scilicet de Cruce, de SS. Petro, & Paulo, de S. Christina, de S. Agatha, de S. Lucia, de S. Oliva, de Pace, de Titulo Ecclesiæ, sive Assumptionis Deiparæ, & de S. Hyppolito. Breviarium verò Gallo-Siculum cujus suprà etiam meminimus, quatuordecim repræsentat, nempè de Trinitate, de Cruce, de Angelis, de S. Johanne Baptista, de SS. Petro, & Paulo, de S. Johanne Evangelista, de omnibus Apostolis in genere, de S. Stephano, de S. Sebastiano, de S. Nicolao, de S. Agatha, de omnibus Sanctis, & de Pace. Quibus istæ diebus, in Matutinis Laudibus, atque in Vesperis fuerint adhibitæ, dicetur infrà, ubi assignati certis diebus ritus exponendi sunt.

Commemorationes ex Breviario Gallo-Siculo jam edito

Matutinum.

XVIII. Quæ hactenus exposita à nobis sunt totum

tum respiciunt Ordinem Divinæ Psalmodiæ : nunc septem ab Ecclesia institutæ Horæ Canonicæ specialiter attingendæ supersunt. In Nocturnis Vigiliis peragendis quantam, qualemque assiduitatem Siculi adhibuerint, fusius exponamus non oportet, cum id unus ex iis, qui rem suis inspexerunt oculis, Theophanes Cerameus Tauromenii Archiepiscopus (a) sat superque clarè aperiat, dicens Preces nocturnas non per unam, aut alteram noctis horam, sed neque à Clericis tantùm, bene tamen à sero ad mane, orantibus, ac psallentibus cum Clero Laicis, productas aliquando esse. Sed quoniam diversæ diversarum Ecclesiarum in celebrandis Nocturnis his Vigiliis extiterunt rationes, libeat referre quænam ex his tempore potissimum Gallicani ritus in Ecclesia Sicula sit adhibita. Etsi eadem Siculis olim fuisse videatur, ac quæ hodiè Romanis est Nocturnæ Psalmodiæ observantia, cùm, certis exceptis diebus, tres dicebantur Nocturni, tribus singuli Antiphonis, totidemque Psalmis, Lectionibus, & Responsoriis ornati ; sunt nihilominus aliqua, in quibus ab hodiernis Romanis antiqui variabant Siculi.

Nocturnæ Vigiliæ.

XIX. Et primò quidem Siculorum Ecclesiæ, nisi in Choro exsolvendæ Preces essent, incipiebant absolutè à vulgato illo Versu : *Domine labia mea aperies* : præmissoque Psalmo 94. *Venite exultemus Domino*, cum competenti Invitatorio, continuò recitabant Orationem Dominicam, Symbolum Apostolorum, Hymnum Angelicum, & Symbolum, quod ad Missarum solemnia dici solebat, quemadmodum legisse me me-

Matutini Initium.

(a) *Homil. 57. in princ.*

memini in antiquo Breviario Siculo juxta morem Gallorum *(a)*, quod levitèr hac in parte recedit ab antiquiori Breviario M. S. Panormitanæ nostræ Ecclesiæ *(b)*, ubi primum ponitur Hymnus Angelicus, tùm Oratio Dominica, inde Symbolum Apostolorum, postremò Symbolum alterum Missæ. Singulare est illud, quod exhibetur in antiquis Membranis Ecclesiæ Civitatis Politii, ut in Officio B. Gandolphi celebris apud eam Dominica III. Septembris ad Matutinum post Invitatorium dicatur, *Magnificat*, secundùm quem ritum ipsum Officium ante tempora Concilii Tridentini, Breviario Romano non dum reformato, se publicè in memorata Ecclesia cantavisse, fidem perhibent testes jurati in Processu super sanctitate ejusdem B. Gandolphi *(c)*. Si verò in Choro Divini Cursus persolvendi erant, Oratio Dominica mox post Invitatorium dicenda, ex Synodo Ecclesiæ Montis-Regalis *(d)* ipsi etiam Invitatorio præmittebatur, ut istâ à Christo nobis traditâ orandi formulâ, humana mens ad ipsum quoque Invitatorium pangendum, devotionis suavitate perfusa, minus, quam par est, apta haud inveniretur.

Matutinũ in Officio Octavæ.

XX. Secundò, infra Octavam alicujus Festi omnes novem Psalmi dicebantur per ordinem sicut in die, sub una tamen prima Antiphona primi Nocturni, cum tribus solummodò Lectionibus de Vita Sancti, totidemque Responsoriis; quæ si non habebantur propria, repeti solebant de com-

(a) *Editum Venetiis anno* 1527 *pag.* 64.
(b) *In Psalterio post Canticorum Collectionem*
(c) *Processus super Sanctitate B. Gandolphi pag.* 212.
(d) *Celebrata anno* 1554. *tit.* 10. *cap.* 3.

communi, hoc ordine, illa de primo Nocturno communis pro Feria II. & V. Octavæ: illa de ſecundo Nocturno pro Feria III. & VI. illa verò de III. Nocturno pro Feria IV. & Sabbato. Et idem ſervabatur de Officiis Sancti trium Lectionum quando deerant eis Lectiones, & Reſponſoria propria.

XXI. Tertiò, Officium Matutinum B.Mariæ in Sabbato ex ritu Siculis olim proprio non unum tantùm habebat Nocturnum duodecim Pſalmis, & tribus Lectionibus conſtans, ſed tres Nocturnos, tribus ſingulos Pſalmis, totidemque Lectionibus gaudentes; quibus præmictebantur Benedictiones propriæ, & poſt ultimam Lectionem cantari ſolebat Hymnus, *Te Deum*, Officio Deiparæ congruenter aptatus, ad exemplar illius, quem S. Bonaventura tranſtulit. En ejus tres primi Verſus. Matutinum B. Mariæ in Sabbato.

„ Te Matrem laudamus:
„ Te Dominam confitemur:
„ Te æterni Patris ſplendor illuminat.

XXII. Quartò, tandem, in fine Precibus Nocturnis imponendo ritum à Romano diverſum adhibuit Sicilia: abſolutis enim Precibus omnibus, addebatur Verſus, eodem planè pacto, quo in fine Laudum adjungitur, *Benedicamus Domino*. Status Officii occurrentis hoc in Verſu apparebat: quandoquidem præcinebatur in Adventu, ℣.*Emitte agnum, Domine, Dominatorem Terræ*. ℟. *De petra Deſerti ad montem filiæ Sion*. In Vigilia Natalis Domini, ℣. *Craſtina erit vobis ſalus, alleluja*. ℟. *Dicit Dominus exercituum, alleluja*. In die ejuſdem Feſti, ℣. *Benedictus qui venit in nomine Domini, alleluja*. ℟.*Deus* Matutino quomodo finis imponebatur.

Do-

Dominus, *& illuxit nobis, alleluja.* Et ita in Officiis aliis de tempore, & de Sanctis, quorum omnium Versus exscribere longi operis esset. Ritum hunc cantandi post, *Te Deum*, Versum cum Responsorio è Gallia in Siciliam invectum esse, nemo ibit inficias, quem non latet, eundem ritum ad nostram usque ætatem obtinere in Sancta Lugdunensi Ecclesia Galliarum primatu insigni.

Laudes.

XXIII. Nocturnas Vigilias excipiunt Matutinæ Laudes, quæ etsi distincto olim Campanæ sonitu significatæ, separata Oratione claudebantur, hodiè tamen simul cum illis conjunctæ, in unam ambæ Horam Canonicam rediguntur. Circa has Laudes ex ritu antiqui Breviarii Gallo-Siculi decantatas quinque notatu digna esse intelleximus: ex quibus Primum illud, quod in omnibus Dominicis, quatuor exceptis, scilicet primâ, & quartâ post Octavam Epiphaniæ, & primâ, & ultimâ post Octavam Pentecostes, Psalmi omnes unâ tantum Antiphonâ gaudebant. Verba autem antedicti Breviarii morem hunc in dicta Dominica prima post Octavam Epiphaniæ explicantia, hæc sunt: *Hæc prædictæ Antiphonæ ad Laudes tantum hodie dicuntur, & in quarta Dominica post Octavam Epiphaniæ; in aliis verò Dominicis dicitur una Antiphona super Psalmos.* Adjunctis iis, quæ exhibentur in memorata Dominica prima post Octavam Pentecostes: *Hodiè tantum, & in ultima Dominica ante Dominicam de Trinitate* (qualis erat illa ante Dominicam primam Adventus) *ad Laudes quinque Antiphonæ; in aliis verò Dominicis una so-*

Antiphonæ in Laudibus Dominicæ.

la

la Antiphona semper ad Laudes super Psalmos dicitur:

XXIV. Alterum, quòd, celebrato Officio de Octavâ, una Antiphona Psalmos comitabatur, quemadmodum idem Breviarium exponit in sexta die post Festum Natalis Domini, inquiens: *Ad Laudes dicitur una Antiphona super Psalmos*: iterum in secunda die post Epiphaniam: *Ad Laudes* (ut sunt ejus verba) *una Antiphona super Psalmos*: & alibi passim. Laudes in Officio Octavæ.

XXV. Tertium est, quòd eidem unius Antiphonæ ritui in Officio Festi trium Lectionum Ecclesiæ nostræ studebant. Testimonium ejusdem Breviarii (a) subjiciamus: *Cùm sit de Festo trium Lectionum, ... ad Laudes similiter una Antiphona super Psalmos dicitur semper.* In Officio trium Lectionum.

XXVI. Quartum, quòd ex ritu Siculo paullò antiquiore, & Nortmannorum ætati propè coævo, post quintam Laudum-Antiphonam dicebatur Versus cum competenti Responsorio: inde Antiphonæ duæ *in Evangelium*, & aliquando quinque, ut in Festo S. Sebastiani, aut etiam sex, ut in solemnitate Purificationis Beatæ Mariæ Virginis, quemadmodum exhibet vetustissimus Precum Codex membranaceus in folio Ecclesiæ Messanensis. Aliæ Antiphonæ additæ.

XXVII. Quintum demùm illud est, quod Laudum Preces præ hodiernis Romanis prolixiores ad Vesperas non modò, verum & ad Tertiam, Sextam, & Nonam repeti solebant: Preces ipsas in medium afferamus ex memorato Breviario Gallo-Siculo (b), à quo leviter hac de Laudum Preces.

V re

(a) *In Rubr. General.* §. 6. *pag.* 68.
(b) *In Psalter. pag.* 51.

re discrepant antiquiora Breviaria M. SS. Panormitanum, & Messanense.

„ Kyrie eleison. Kyrie eleison. Kyrie eleison.
„ Christe eleison. Christe eleison. Christe eleison.
„ Kyrie eleison. Kyrie eleison. Kyrie eleison.
„ Pater noster. ℣. Et ne nos. ℟. Sed libera.
„ ℣. Ego dixi, Domine, miserere mei.
„ ℟. Sana animam meam, quia peccavi tibi.
„ ℣. Convertere Domine usquequo.
„ ℟. Et deprecabilis esto super servos tuos.
„ ℣. Oculi Domini super justos.
„ ℟. Et aures ejus ad preces eorum.
„ ℣. Confiteantur tibi Deus omnia opera tua.
„ ℟. Et Sancti tui benedicant tibi.
„ ℣. Sacerdotes tui induant justitiam.
„ ℟. Et Sancti tui exultent.
„ ℣. Domine salvos fac Reges.
„ ℟. Exaudi nos in die qua invocaverimus te.
„ ℣. Salvum fac populum tuum Domine, & „ benedic hæreditati tuæ.
„ ℟. Et rege eos, & extolle illos usque in æter- „ num.
„ ℣. Fiat Pax in virtute tua.
„ ℟. Et abundantia in turribus tuis.
„ ℣. Oremus pro Fidelibus defunctis.
„ ℟. Requiem æternam dona eis Domine: & „ lux perpetua luceat eis.
„ ℣. Requiescant in pace. ℟. Amen.
„ ℣. Oremus pro peccatis, & negligentiis nostris.
„ ℟. Domine ne memineris iniquitatum nostra- „ rum antiquarum: cito anticipent nos mi- „ sericordiæ tuæ: quia pauperes facti su- „ mus nimis.
„ ℣. Adjuva nos Deus salutaris noster.

℟. Et

„ ℟. Et propter gloriam nominis tui, Domine, „ libera nos: & propitius esto peccatis no- „ stris propter nomen tuum.
„ ℣. Esto nobis Domine turris fortitudinis.
„ ℟. A facie inimici.
„ ℣. Exaudi Domine vocem meam, qua cla- „ mavi ad te.
„ ℟. Miserere mei, & exaudi me.
„ *Psal.* Miserere *cum* Gloria Patri.
„ *Psal.* De profundis *cum* Requiem æternam.
„ ℣. Requiescat in pace. ℟. Amen.
„ ℣. Exurge Domine adjuva nos.
„ ℟. Et libera nos.
„ ℣. Domine Deus virtutum.
„ ℟. Ostende faciem tuam.
„ ℣. Domine exaudi orationem meam.
„ ℟. Et clamor meus ad te veniat.
„ ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum Spiritu tuo.
Oratio, quæ competit

Prima.

XXVIII. Deinceps Primæ Officium exponamus, cujus antiquos ritus, quòd diebus omnibus non fuerint uniformes, unâ certâ regulâ prosequi non possumus, sed observatione variâ, ut varia sunt quæ de argumento sese offerunt ad dicendum: & sanè alia fuit Prima Dominicalis *magna*, ut vocant, alia Dominicalis *parva*, alia Quadragesimalis, Ferialis alia, atque alia Festiva: de singulis agamus.

XXIX. Prima Dominicalis *magna*, quæ obtinebat in Septuagesima, & in Dominicis aliis usque ad Pascha, excepto Psalmo, *Deus misereatur nostri*, qui, ut mox videbimus, recitabatur post Preces, undecim aliis constabat Psalmis, scilicet: Prima Dominicalis *Magna*

V 2 *Deus*

Deus Deus meus, respice in me, -- Dominus regit me, -- Domini est terra, -- Ad te, Domine, levavi, -- Judica me, Domine, -- Dominus regnavit, decorem, -- Deus in nomine tuo; & quatuor primis octonariis Psalmi CXVIII. qualia sunt: *Beati immaculati in via, -- In quo corrigit, -- Retribue servo tuo, -- Adhæsit pavimento anima mea*, addito in fine Symbolo, *Quicumque vult salvus esse*, S. Athanasii nomine vulgariter inscripto, quod propria gloria claudebatur, quemadmodum & Psalmus, *Deus in nomine tuo*; quando reliqui non singuli sub singula, sed bini sub unica gloria dicebantur *(a)*. Inde recitari consueverant Antiphona, Capitulum, Responsoria brevia, Preces, & alia, quæ nunc nuper dabimus, omissa tamen ex iisdem Precibus Confessione, una cum Psalmo, *Miserere mei, Deus, secundum magnam*; & *De profundis clamavi*.

Dominicalis per annum.

XXX. Altera Prima Dominicis per annum propria, præmisso Psalmo, *Deus in nomine tuo*, quatuor illis sectionibus Psalmi CXVIII. duplicem gloriam admittentibus absolvebatur, addito tamen post Psalmos Symbolo, *Quicumque*, & aliis quemadmodum in *magna* Prima, unis tantùm Antiphonâ, & Lectione brevi, pro Officii opportunitate immutatis *(b)*.

Quadragesimalis.

XXXI. Prima Quadragesimalis cantabatur in Feriis Quadragesimæ non modò, sed & in aliis, quæ circa celebranda Officia divina Quadragesimæ rationem obtinebant: quales erant Feriæ Adventus, Quatuor Temporum, Vigilia-

(a) *Antiq. Breviar. Sicula in Psalt. & in Septuagesima*
(b) *Eadem Breviar. in Dominica 1. post Oct. Pentec.*

liarum; & sex illæ, quæ excipiunt Dominicam primam post Octavam Epiphaniæ. Ejus Officium cum antedictis Psalmis, *Deus in nomine tuo*, -- *Beati immaculati in via*, -- *Retribue servo tuo*, ac Symbolo, *Quicumque*, decurrebatur. Carebat Capitulo, & Responsoriis brevibus: hinc completa recitatione Symboli continuò dicebatur Versus, *Exurge*, *Domine*, *adjuva nos*, cum Precibus præ antedictis prolixioribus: quandoquidem Versui, *Dignare Domine die isto*, præmittebatur, ut videbimus, generalis Confessio; & Responsorio, *Miserere mei*, *& exaudi me*, subjicebantur Psalmi, *Miserere*, &, *De profundis* (a).

XXXII. Ceterum Prima Ferialis per annum tametsi de Psalmorum, & Symboli recitatione cum Quadragesimali conveniebat; at de Precibus tamen subinde dicendis ab illa discrepabat: Officio enim Primæ Ferialis per annum deerant Preces, alioquin in Feriis Quadragesimalibus dicendæ; ut Breviaria nostra docent. Ferialis per annum.

XXXIII. Denique Prima, quæ in Festis Duplicibus obtinebat, quatuor antedictis non modo, sed & hodierna Romana brevior erat: nam tres ei memorati Psalmi assignati erant, *Deus in nomine tuo*, -- *Beati immaculati in via*, -- *Retribue servo tuo*, quibus completis, Horæ huic Canonicæ, Precibus, Versu *Pretiosa*, & aliis prorsus omissis, statim finis imponebatur, eodem planè ritu, quo & reliquis Horis, per Antiphonam scilicet, cum Capitulo, Responsoriis brevibus, & Oratione, non quidem de Psalterio Festiva.

(a) *Breviar. Gallo-Sicul. editum anno* 1527. *pag.* 49.

rio mutuatis, sed propriis solemnitatis Officio congruenter aptatis (a). Sed de his satis: nunc repræsentare non pigeat Capitulum, Orationes, Preces, & alia, quæ certis, ut adnotavimus, diebus in Officio Primæ post Antiphonam dicenda erant.

„ *Capitulum*: Domine miserere nostri, te „ enim expectavimus, esto brachium nostrum „ in mane, & salus nostra in tempore tribulationis.
„ *Respons. Brev.* ℣. Jesu Christe fili Dei vivi, „ miserere nobis. ℟. Jesu Christe &c.
„ ℣. Qui sedes ad dexteram Patris.
„ ℟. Miserere nobis.
„ ℣. Gloria Patri, &c. ℟. Jesu Christe &c.
„ ℣. Exurge Domine &c. ℟. Et libera nos &c.
Preces in Officio Primæ. „ Kyrie eleison. Kyrie eleison. Kyrie eleison.
„ Christe eleison. Christe eleison. Christe eleison.
„ Kyrie eleison. Kyrie eleison. Kyrie eleison.
„ Pater noster. ℣. Et ne nos. ℟. Sed libera.
„ ℣. Vivet anima mea, & laudabit te.
„ ℟. Et judicia tua adjuvabunt me.
„ ℣. Erravi sicut ovis, quæ periit.
„ ℟. Quære servum tuum, Domine, quia mandata tua non sum oblitus.
„ Credo in Deum. ℣. Carnis. ℟. Vitam æternam.
„ ℣. Benedicamus Patrem, & Filium cum Sancto Spiritu.
„ ℟. Laudemus, & superexaltemus eum in secula.
„ ℣. Et ego ad te Domine clamavi.
„ ℟. Et mane oratio mea preveniet te.
„ ℣. Verba mea auribus percipe Domine.
„ ℟. In-

(a) *Idem Breviar. in Vigilia Natalis Domini.*

„ ℟. Intellige clamorem meum.
„ ℣. Intende voci orationis meæ.
„ ℟. Rex meus, & Deus meus.
„ ℣. Quoniam ad te orabo Domine.
„ ℟. Mane exaudies vocem meam.
„ ℣. Repleatur os meum laude.
„ ℟. Ut cantem gloriam tuam, tota die magni-
„ tudinem tuam.
„ ℣. Domine averte faciem tuam à peccatis
„ meis
„ ℟. Et omnes iniquitates meas dele.
„ ℣. Cor mundum crea in me Deus.
„ ℟. Et ſpiritum rectum innova in viſceribus meis.
„ ℣. Ne projicias me à facie tua.
„ ℟. Et Spiritum Sanctum tuum ne auferas à me.
„ ℣. Redde mihi lætitiam ſalutaris tui.
„ ℟. Et Spiritu principali confirma me.
„ ℣. Eripe me Domine ab homine malo.
„ ℟. A viro iniquo eripe me.
„ ℣. Eripe me de inimicis meis Deus meus:
„ ℟. Et ab inſurgentibus in me libera me.
„ ℣. Eripe me de operantibus iniquitatem.
„ ℟. Et de viris ſanguinum ſalva me.
„ ℣. Sic Pſalmum dicam nomini tuo in ſeculum
„ ſeculi.
„ ℟. Ut reddam vota mea de die in diem.
„ ℣. Exaudi nos Deus ſalutaris noſter.
„ ℟. Spes omnium finium terræ, & in mari longe.
„ ℣. Deus in adjutorium meum intende.
„ ℟. Domine ad adjuvandum me feſtina.
„ ℣. Sanctus Deus, Sanctus Fortis, Sanctus
„ & Immortalis.
„ ℟. Qui tollis peccata mundi, miſerere nobis.
„ ℣. Benedic anima mea Dominum.

„ ℟. Et

" ℟. Et omnia, quæ intra me sunt nomini sancto ejus.
" ℣. Benedic anima mea Domino:
" ℟. Et noli oblivisci omnes retributiones ejus:
" ℣. Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis.
" ℟. Qui sanat omnes infirmitates tuas.
" ℣. Qui redimit de interitu vitam tuam:
" ℟. Qui coronat te in misericordia, & miserationibus.
" ℣. Qui replet in bonis desiderium tuum:
" ℟. Renovabitur, ut aquila, juventus tua:
" Confiteor *totum*.
" ℣. Dignare Domine die isto.
" ℟. Sine peccato nos custodire.
" ℣. Miserere nostri, Domine.
" ℟. Domine miserere nostri.
" ℣. Fiat misericordia tua Domine super nos.
" ℟. Quemadmodum speravimus in te.
" ℣. Exaudi, Domine, vocem meam, quâ clamavi ad te.
" ℟. Miserere mei, & exaudi me
" *Psal.* Miserere: *totus cum* Gloria:
" *Psal.* De profundis, *totus cum* Requiem æternam.
" ℣. Requiescant in pace. ℟. Amen.
" ℣. Exurge Domine adjuva nos.
" ℟. Et libera nos propter nomen tuum.
" ℣. Domine Deus virtutum converte nos.
" ℟. Ostende faciem tuam, & salvi erimus.
" ℣. Domine exaudi orationem meam.
" ℟. Et clamor meus ad te veniat.
" ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

" *Oratio*.

" Domine Deus Pater Omnipotens, qui ad prin-

„ principium hujus diei nos pervenire fecisti ,
„ tuâ nos hodie salva virtute , & concede ,
„ ut in hac die ad nullum declinemus pecca-
„ tum , nec ullum incurramus periculum ; sed
„ semper ad tuam justitiam faciendam , omnis
„ nostra actio tuo moderamine dirigatur . Per.
„ ℣. Benedicamus Domino . ℟. Deo Gratias .
„ ℟. Pretiosa in conspectu Domini .
„ Mors Sanctorum ejus.

„ *Oratio* .

„ Sancta Maria Virgo , & Mater Domini no-
„ stri Jesu Christi , atque omnes Sancti , justi ,
„ & electi Dei , ipsi intercedant , & orent pro
„ nobis ad Dominum Deum nostrum : ut nos
„ mereamur ab eo juvari , & salvari , qui in
„ Trinitate perfecta vivit , & regnat Deus per
„ omnia secula seculorum . ℟. Amen .
„ ℣. Deus in adjutorium meum intende .
„ ℟. Domine ad adjuvandum me festina.
& dicitur bis.
„ ℣. Qui es Trinus , & unus , Deus , in adju-
„ torium meum intende.
„ ℟. Domine ad adjuvandum me festina.
„ *Cantantibus omnibus*, Gloria Patri , *totum*.
„ ℣. Kyrie eleison . Christe eleison. Kyrie eleison.
„ Pater noster , ℣. Et ne nos , ℟. Sed libera.
„ ℣. Et veniat super nos misericordia tua Do-
mine.
„ ℟. Salutare tuum secundum eloquium tuum.
„ ℣. Et respice in servos tuos.
„ ℟. Et in opera tua dirige filios eorum .
„ ℣. Et sit splendor Domini Dei nostri super nos.
„ ℟. Opera manuum nostrarum dirige super nos ,
„ & opus manuum nostrarum dirige.

X *Ora-*

„ *Oratio.*

„ Dirigere, & sanctificare, regere, & gu-
„ bernare, dignare Domine Deus Rex cœli, &
„ terræ, hodie opera, & corda, & corpora
„ nostra, sensus, sermones, & actus nostros in
„ lege tua, & in operibus mandatorum tuo-
„ rum, ut hic & in æternum, te auxiliante,
„ semper salvi, & liberi esse mereamur: Sal-
„ vator Mundi, salva nos, & ab omni malo li-
„ bera nos, qui in Trinitate perfecta vivis, &
„ regnas Deus per omnia secula seculorum.
„ ℟. Amen.
„ *Petitio*, Jube Domne benedicere.
„ *Benedictio*, Ignem sui amoris accendat Deus
„ in cordibus nostris. ℟. Amen.
„ *Lectio brevis*. Omnis enim quicumque invo-
„ caverit nomen Domini salvus erit. *& in ejus*
„ *fine*: Tu autem &c. ℟. Deo gratias.
„ *Psalmus*, Deus misereatur nostri, *totus cum*
„ Gloria.
„ Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.
„ Pater noster, ℣. Et ne nos. ℟. Sed libera.
„ ℣. Domine exaudi orationem.
„ ℟. Et clamor meus ad te veniat.
„ ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

„ *Oratio*.

„ Actiones nostras, quæsumus Domine, aspi-
„ rando præveni, & adjuvando prosequere, ut
„ cuncta nostra oratio, & operatio à te semper
„ incipiat & per te cœpta finiatur. Per.

Tertia, Sexta, & Nona.

Horarum Initium.

XXXIV. Tertia, Sexta, & Nona quatuor præseferunt in quibus antiquus ritus Siculus hodierno Romano minime consonat. Ex his illud Pri-

Primum, quod Horæ iſtæ, quemadmodum & Prima, de cujus exponendo Officio jam venimus, ex more Siculis proprio, nulla præmiſſa oratione, nec etiam vulgato illo Pſalmi Verſu, *Deus in adjutorium meum intende*, ab Hymno abſolutè inchoari ſolebant.

XXXV. Secundum, quod Preces in Feriis Quadrageſimalibus, & in diebus, quæ Quadrageſimale Officium poſtulabant ad Horas iſtas in Sicilia dicendæ, aliæ non erant, niſi ipſæ eædem, quæ in Matutinis Laudibus (a) dictæ fuerant. Preces ad III. VI. & IX.

XXXVI. Tertium, quod iiſdem Feriis ad ſolitum Pſalmodiæ ordinem poſt Tertiam Pſalmi Pœnitentiales cum Litaniis adjicebantur. Ejuſdem Breviarii Gallo-Siculi verba afferamus: *Hodie* (Feria II. poſt Dominicam I. Quadrageſimæ) *finità Tertià, dicuntur ſeptem Pſalmi Pœnitentiales cum Litania, genibus flexis: & hoc modo dicuntur quotidiè uſque ad Sabbatum de Paſſione, exceptis Dominicis, & Feſtis.* Pſalmi Pænitetiales poſt III.

XXXVII. Quartum tandem, quod antedictæ Preces non dicebantur *ad Nonam* (ut ſunt ejuſdem Breviarii (b) verba) *in Sabbatis, nec in Vigiliis Feſti novem Lectionum*: atque ita Officia Dominicalia, & Feſtiva non à Veſperis, ſed à Nona præcedentis diei Sicilia celebrare incipiebat. Quando Preces non dicebantur ad Nonam.

XXXVIII. Quatuor his exceptis, eandem, ac quam hodie Romani, diſciplinam in explendis Horis iſtis obſervarunt Majores noſtri, tribus potiſſimum Pſalmis, ſive unius ejuſdem Pſalmi

X 2 CXVIII.

(a) *Breviar. Gallo-Sicul. editum Anno* 1527. *pag.* 51.
(b) *Idem Breviar. in Rubr. Feriæ* II. *poſt Dominicam* I. *Adventus*. *pag.* 76.

cxviii. *Beati immaculati in via*, triplici sectione singula Officia absolventes. Ritus iste obtinuit in omnibus Siciliæ Ecclesiis; ex quibus una Panormitana, ut antiquum ejus Breviarium M. S. demonstrat, ipsos tres Psalmos eâ methodo ordinabat, ut senos Psalmos singulæ Horæ continere viderentur, ordinem Hebraicæ Editionis hac in parte æmulata. Qui enim vel à limine Hebraicam eruditionem salutavit scit profectò Psalmum hunc cxviii. Acrosticum octonarium in viginti duas partes, quot sunt Hebræorum elementa, tributum esse: cùm ab unaquaque litera, juxtà Alphabeti ordinem, octoni Versus, ad mysterium ejusdem literæ alludentes, incipiant. Octo itaque primi Versus, qui ambulantibus in lege Domini, scrutantibus ejus testimonia, atque mandata custodientibus æterna promittunt beatitudinem, literam, *Aleph*, quæ interpretatur, *Doctrina*, præseferunt. Octonarium alterum optimo quoque jure à litera, *Beth*, quæ idem valet, ac, *Domus*, exorditur: quia in octo his Versibus prædicatur, Justum esse Domum Domini, & receptaculum mandatorum ejus. Et sic de aliis, quæ, ne in re certa, & comperta nimis diligens videar, commemorare prætereo.

Divisio Psalmi cxviii. per Horas.

XXXIX. Ex his quatuor priores literæ, seu octonaria illa, *Beati immaculati -- In quo corrigit -- Retribue servo tuo -- Adhæsit pavimento*, ut loco suo observavimus, recitabantur ad Primam: Sex inde sequentia, scilicet, *Legem pone -- Et veniat super me -- memor esto -- Portio mea Domine -- Bonitatem fecisti -- Manus tuæ fecerunt me*, Ad Tertiam: Ad Sextam totidem, nempe, *Defecit in salutare tuo -- In*

ater-

Æternum Domine -- Quomodo dilexi -- Lucerna pedibus meis -- Iniquos odio habui -- Feci judicium, & justitiam. Et reliqua octonaria sex ad Nonam, qualia sunt, *Mirabilia testimonia tua -- Justus es Domine -- Clamavi in toto corde meo -- Vide humilitatem meam -- Principes persequuti sunt -- Appropinquet deprecatio mea*. Quare Panormitanum hunc ritum non levi quidem conjecturâ antiquum esse Gallicanum existimamus, purum ab Ecclesia nostra, non acceptis novis, atque variis Psalmodiæ interpolationibus, conservatum ad annum usque 1452. quando ejus Breviarium scriptum fuit: nam senarium Psalmorum numerum in Gallicanis Ecclesiis olim viguisse exploratum habemus, atque omnino certum ex Regula S. Cæsarii ad Virgines (a). Ejus sunt verba: *Ut quotidianis diebus ad Tertiam, Sextam, Nonam seni Psalmi .... dicantur*. Cui ex parte concinit Concilium Turonense II. (b) inquiens, Patrum institutis definitum esse, *ut ad Sextam sex dicantur Psalmi cum Alleluja*.

Vesperæ.

XL. Deinceps circa Vesperarum Officium, quæ magis observanda videntur compendio nobis exponentibus, illud in primis ex antiquo Siculorum ritu sese offert silentio non obliterandum; quod nisi aliter diei Officium postularet, una super Psalmos dicebatur Antiphona, *videlicet prima de Laudibus illius diei, sive Festi*, ut præscribit Breviarium Gallo-Siculum sæpius memoratum (c): ex quo juxta ritum hunc, Officium S. Marciani pri-

Unica Antiphona super Psalmos.

(a) *Apud Bollandum Act. Sanctor. Mensis Januarii die* 12.

(b) *Can.* 18.

(c) *In Rubr. General.* §. 4.

primi Syracusarum Antistitis publicavimus supra, atque ita hodierna de quinque recitandis Antiphonis consuetudo Ecclesiastico Canone firmata tunc non erat; sed pro cujusque Officii qualitate, vel minui, vel multiplicari eædem poterant. Et quidem jam inde ab initio Gallicani ritus morem hunc in Sicilia viguisse planè constat ex vetusto Precum Codice Messanensis Ecclesiæ membranaceo in folio, ad Vesperas nunc unam, nunc plures exhibente Antiphonas.

Responsorium post Capitulum.

XLI. Alterum est, quod in utrisque Vesperis post Capitulum concini solebat Responsorium: in primis quidem longius cum *Gloria Patri*, instar illius, quod in Nocturnis Vigiliis post tertiam Lectionem adhibetur: in secundis autem brevius ad exemplar illius, quod in Horis diurnis post Capitula divisum in Versus, qui Responsoria brevia nominantur, præcinitur; quemadmodum videre est in antiquis omnibus Breviariis nostris ad Officium Dominicæ primæ Adventus, & alibi passim.

Duæ in aliquibus diebus Vesperæ.

XLII. Denique, quando diem solemnem solemnis excipiebat, Vesperæ erant duplices, unæ Festi occurrentis, alteræ subsequentis, primæ integræ ab initio usque ad finem, secundæ contractæ, utpote quæ inciperent à Responsorio Capituli eodem, quo primæ, ritu terminandæ. Ad rem contestandam unum, aut alterum antiquum Codicem hìc allegare opus non est, cùm, ne uno quidem excepto, omnes conveniant in Festo Natalis Domini, S. Stephani, S. Johannis, & in aliis id genus solemnitatibus, quæ enumerat memoratum Breviarium Matthæi Caldo (a). Ejus

(a) *In Rubr. General* §. 17.

Ejus verba exſcribamus: *In die Nativitatis Domini, S. Stephani, S. Johannis, & Innocentum, Purificationis B. Virginis, S. Agnetis, S. Cæciliæ, & S. Auguſtini in ſecundis Veſperis finita oratione, ſtatim pro Feſto ſequenti à Cantore incipitur Reſponſorium, & dicitur Hymnus, Verſiculus, Antiphona ad Magnificat, & Oratio, & iterum finiuntur Veſperæ.*

Completorium.

XLIII. Denique locum haud infimum tenere debet Completorium, cujus Officium Eccleſia Sicula, ut omnes antiqui ejus Codices demonſtrant, non præmiſſis Lectione brevi, Oratione Dominica, generali Confeſſione, & aliis, abſolutè inchoare ſolebat à vulgata Antiphona, *Miſerere.* Inde quatuor conſueti recitabantur Pſalmi, *Cum invocarem -- In te, Domine, ſperavi -- Qui habitat -- Ecce nunc*. Sed horum tertius non obtinebat in Feſtis duplicibus, eorumque Octavis, ſed nec etiam à Paſchate uſque ad Octavam Pentecoſtes. Poſt Capitulum, nullis interpoſitis Reſponſoriis brevibus, cantabatur Hymnus; qui duplex erat, alter diebus ferialibus, alter Dominicis, & Feſtis novem Lectionum proprium non habentibus pangendus. Illius editione chartam noſtram oneremus, non oportet: quia vix in verborum congerie ab hodierno Romano, *Te lucis ante terminum*, variare videatur; tum etiam quòd ipſiſſimis, ac in Codicibus Siculis, verbis ſub S. Ambroſii nomine in lucem ſit emiſſus à noſtro Cardinali Joſepho Thomaſio (a). Alterum verò, qui propterea Eruditorum multos latet, quia diligentiæ ipſius Thomaſii excidit, poſtero-

Completorii Initium.

Hymnus.

(a) *Hymnario ſuo pag.* 117.

rorum utilitati consulens, hìc recudere deliberavi.

„ Salvator Mundi Domine,
„ Qui nos salvasti hodie,
„ In hac nocte nos protege,
„ Et salva in omni tempore.
„ Adesto nunc propitius,
„ Et parce supplicantibus:
„ Tu dele nostra crimina:
„ Tu tenebras illumina.
„ Ne mentem somnus opprimat:
„ Nec hostis nos surripiat:
„ Nec ullis caro, petimus,
„ Commaculetur sordibus.
„ Te reformator sensuum,
„ Votis precamur cordium,
„ Ut puris, castis mentibus,
„ Surgamus à cubilibus.
„ Sit laus, perennis gloria
„ Deo Patri, & Filio,
„ Sancto simul Paraclito
„ In sempiterna secula. Amen.

Oratio. XLIV. Sequebatur postea Versus; *Custodi nos, Domine, ut pupillam oculi*, quem comitabatur Responsorium: tum Canticum Simeonis cum sua Antiphona, & complebatur Officium per Orationem, in Festis quidem solemnioribus propriam, in aliis autem diebus communem. Festa enim, quibus ad Completorium assignata erat Oratio propria, exhibet antiquum Collectarium, seu Orationale membranaceum in folio insignis Panormitanæ nostræ Ecclesiæ: scilicet Festum Natalis Domini, Epiphaniæ, Paschatis, Ascensionis, & Pentecostes: quorum

rum tribus postremis adjunctæ erant eorumdem Octavæ.

XLV. Orationi in Feriis Quadragesimæ, & Adventus præmittebantur Preces à Romanis quadantenus diversæ; in quibus illud omnino singulare erat, quod medium inter Versum illum, *Benedicat, & custodiat nos omnipotens Deus*, & alium, *dignare Domine nocte ista*, adhibebatur generalis Confessio, cum duplici Absolutione: & post Versum, *Fiat misericordia tua*, in sola Quadragesima addebatur integrus Psalmus, *Domine quid multiplicati*. Ipsas Confessionem, & Absolutiones nunc jam afferamus. Preces cum Confessione generali

„ Confiteor Deo omnipotenti, & beatæ „ Mariæ semper Virgini, Sanctissimis Apostolis „ Petro, & Paulo, & omnibus Sanctis, & tibi „ Pater: de omnibus vitiis, & peccatis meis „ dico meam culpam, meam maximam culpam. „ Ideò deprecor beatissimam, & gloriosam Virginem „ Mariam, & omnes Sanctos, & Sanctas „ Dei, & te Patrem, orare pro me.

„ Misereatur vestri omnipotens Deus, & dimissis „ peccatis vestris, perducat vos Jesus Christus „ cum Angelis suis ad vitam æternam. Amen.

„ Indulgentiam, & absolutionem omnium „ peccatorum vestrorum tribuat vobis omnipotens, „ pius, & misericors Deus. Amen.

XLVI. Ceterum ex Gallicano ritu promanasse videtur ceremonia illa, cui Panormitana hæc Ecclesia inhæret, ut omnibus totius anni Sabbatis, nisi aliud impedimento sit, absoluto Completorii Officio, in honorem B. Mariæ cum devota ad ejus Sacellum processione, & solemnitate cereorum pangeretur Antiphona, *Salve Regina*, aut alia Processio in Sabbatis ex ritu Panormitan. Eccles.

pro temporis opportunitate, adjuncta aquæ lustralis aspersione: nam non aliunde, quam in Galliis, ubi ritus iste frequens erat, ut à Fratribus Ordinis Prædicatorum, id quotidie fieret, Sancitum esse ex testimonio Thomæ Cantipratensis *(a)*, refert Edmundus Martene *(b)*.

Finis Psalmodiæ in Choro celebratæ.

XLVII. Tandem celebratâ divinâ Psalmodiâ in Choro, Officium concludendum erat per Orationem Dominicam, sicuti ab ejus recitatione initium sumpserat; ita Synodica Constitutione firmavit Alexander Cardinalis de Farnesio Archiepiscopus Ecclesiæ Montis-Regalis *(c)*.

CAPUT XVI.

Adventus Domini.

I. Ecclesiasticos Siculorum ritus in toto anni circulo occurrentes generaliter prægustavimus: particulares jam nunc cujuscumque diei ceremonias specialiter tangamus. Nos quem Sicilia tenuit olim, tenetque hodie æmulantes ordinem, in ipso anni circulo percurrendo, ab Adventu Domini, sive à quatuor Hebdomadibus illis, quibus ad celebrandum devotè, ut par est, incarnati Verbi Natalem diem, sese præparat Ecclesia, exordiri deliberavimus.

Commemorationes, seu Suffragia Sanctorum.

II. Per totum Adventum ad utrasque Vesperas, & Laudes fiebant Commemorationes, seu

(a) *De Apibus cap.* 10. *n.* 21.
(b) *De Antiq. Eccl. discipl. in divinis celebr. Offic. cap.* 10. *n.* 11.
(c) *Synodus ejusdem Ecclesiæ celebrata Anno* 1554. *Tit.* 10. *cap.* 16.

seu Suffragia, in Dominicis quidem, & Festis novem Lectionum de B. Maria Virgine, in Feriis autem de Sanctis. Hoc Ecclesiam potissimum Messanensem, ejus innuente Breviario membranaceo, respiciebat; nam idem in Panormitana quoque Ecclesia obtinuisse minime constat, utpotè quæ Romano hac in parte ritui proximè hærens, aliquam in Adventu recitari Commemorationem non sustineret: in veteri itaque Breviario eidem Ecclesiæ proprio, ad Vesperas Dominicæ Primæ Adventus hæc exhibentur verba: *nulla sit Commemoratio*; & iterum ad secundas Vesperas ejusdem Dominicæ: *Et nota, quod quando fit de Feria, nulla fit Commemoratio*. Messanensem ritum in sua Breviarii Gallo-Siculi correctione sextodecimo ineunte Seculo Matthæus Caldo Presbyter Siculus sequendum sibi proposuit, cujus Breviarium statim ac fuit editum eò facilius Siculis penè omnibus usui fuit, quò difficilius singuli manu exarata obtinere poterant, ex ejus itaque communi apud Majores nostros usu ritus ille alioquin rarus, & particularis in frequentiorem transiit, & communem. Juvat nunc jam Commemorationes ipsas exhibere.

De S. Maria.

Ad Vesperas, Antiphona.

„ Ave Maria, gratia plena: Dominus tecum:
„ benedicta tu in mulieribus, alleluja.

Ad Laudes, Antiphona

„ Missus est Gabriel Angelus ad Mariam
„ Virginem desponsatam Joseph, alleluja.
„ ℣. Ecce Ancilla Domini.
„ ℟. Fiat mihi secundum verbum tuum.

Oratio.

„ Deus, qui de Beatæ Mariæ Virginis ute-
„ ro Verbum tuum, Angelo nunciante &c.

De Sanctis.

Ad Vesperas, & Laudes, Antiphona.

„ Ecce Dominus veniet, & omnes Sancti
„ ejus cum eo: & erit in die illa lux magna,
„ alleluja.
„ ℣. Ecce apparebit Dominus super nubem
„ candidam.
„ ℟. Et cum eo Sanctorum millia.

Oratio.

„ Conscientias nostras, quæsumus Domine,
„ visitando purifica: ut veniens Jesus Christus
„ filius tuus Dominus noster cum omnibus San-
„ ctis, paratam sibi in nobis inveniat mansionem.
„ Qui tecum.

Psalmodia addita.

III. In antedicto Panormitanæ Ecclesiæ Breviario decernitur, ut Dominicâ primâ Adventus, & deinceps usque ad diem, in quâ canitur Antiphona, *O Sapientia*, non succedente Festo novem Lectionum, dicantur Vigiliæ mortuorum. Quibus constabant hujusmodi Vigiliæ mortuorum exponit idem Breviarium Gallo-Siculum: describens enim ritus Feriæ secundæ post Dominicam primam Quadragesimæ hæc habet: *Quotidie dicuntur Vigiliæ mortuorum: tres Lectiones cum tribus Psalmis, Vesperis, & Laudibus*.

Antiphonæ Majores.

IV. Septem Antiphonis majoribus, quæ septimo ante Vigiliam Natalis Domini die ad Vesperas solemniter cantare incipimus, duas alias comites adjungunt antiqua Breviaria membranacea Ecclesiæ potissimum Panormitanæ, & Mes-

Messanensis: alteram in honorem Virginis Mariæ, alteram de S. Thoma., cujus Festum tunc accidit, ita:

„ O Virgo Virginum, quomodo fiet istud,
„ quæ nec primam similem visa es, nec habe-
„ re sequentem? Filiæ Jerusalem, quid me ad-
„ miramini? Divinum est mysterium hoc, quod
„ cernitis.

„ O Thoma Didime, per Christum, quem
„ meruisti tangere, te precibus rogamus altiso-
„ nis: succurre nobis miseris, ne damnemur
„ cum impiis in adventu Judicis.

V. Hanc, illâ retentâ, omisit idem Matthæus Caldo, quando ad Breviarium Gallo-Siculum prælo aptandum se contulit, qui tamen ab antiqua Siculorum disciplina non abhorruit, ut quælibet Antiphona major tribus caneretur vicibus.

VI. Liber membranaceus continens Capitula per annum, secundum consuetudinem Panormitanæ Ecclesiæ, concordantibus cum eo antiquis omnibus Siciliæ Codicibus, præscribit, ut Feriâ secundâ Dominicæ primæ Adventus, & deinceps usque ad diem illam, in qua recitari incipiunt Antiphonæ majores, O, in Feriali Officio dicantur hæc Capitula: Ad Vesperas, & ad Tertiam: *In diebus illis salvabitur Juda*; Ad Laudes: *Ecce dies veniunt*; Ad Sextam: *Erit in novissimis diebus*; Ad Nonam: *Venite ascendamus ad montem Domini*. Et ut in Feriis aliis recitatione memoratæ Antiphonæ majoris celebrioribus, usque ad Vigiliam Natalis Domini exclusivè recitentur Capitula: Ad Vesperas: *Prope est, ut veniat tempus ejus*; Ad Laudes: *Ecce Vir-*

Capitula in Aduentu dicenda.

go

go in utero concipiet; Ad Tertiam: *Egredietur Virga de radice Jesse*; Ad Sextam: *Rorate Cœli desuper*; Ad Nonam: *Omnis vallis implebitur.*

De Officio Primæ.

VII. In Feriis Adventus ad Primam consuetum ordinem recitandi Capitulum, ac Responsoria brevia non retinebant Siculi; quorum tamen magna extitit religio, ut legeretur quotidie usque ad Vigiliam Natalis Domini Symbolum S. Athanasii nomine inscriptum, ut notavimus supra (a), Officium Primæ exponentes.

Evangelium, & Epistola pro IV. & VI. Feria.

VIII. Ex antiquis Ecclesiæ Messanensis Libris in prima Adventus Hebdomada, item in secunda, & in reliquis totius anni singulis Feriis quartis, & sextis assignantur Epistolæ, & Evangelia propria, non secus, ac in Dominicis per totum anni circulum. Missale Nicosiense Messanensibus Libris antiquius, ritum hunc solum in Adventu admittit; in reliquis verò totius anni Hebdomadibus, prætermissis Feriis VI. solas Ferias IV. cum Evangelio, & Epistola sibi propriis, præsentat. Hocce Missale à Messanensibus ulterius variat: porrò Feriâ IV. primæ Hebdomadæ Adventus in Messanensibus designatur Evangelium: *Dicebat Jesus ad turbas, quæ exibant, ut baptizarentur ab ipso*; quando ex Nicosiensi dicendum erat illud: *Venit Johannes Baptista prædicans in desertum Judææ*. Ex eodem Missali Feriâ VI. ejusdem Hebdomadæ Epistola: *In diebus illis radix Jesse, quæ stat in signum populorum*; ex Messanensi verò: *Hæc dicit Dominus, creans Cœlos, & extendens eos.* Evangelium

(a) *Cap.* 15. *n.* 31.

lium die ista Messanenses Missales Libri illud exhibent, quod Feriâ IV. exhibuit Nicosiensis, & Nicosiensis illud Feriâ istâ, quod die illa Messanenses.

IX. Dominicâ primâ Adventus ex communi Siculorum ritu legebatur ad primas Vesperas Capitulum: *Qui venturus est veniet*. Ad Matutinum Lectiones secundi Nocturni in veteri Breviario Panormitano excerptæ erant ex Sermone S. Isidori Episcopi; in Messanensi autem, cujus vestigiis in Gallo-Siculo edendo institit antedictus Matthæus Caldo, ex Sermone S. Ambrosii. Ad tertium Nocturnum, & in Missa tam in Panormitana, quam in Messanensi, & reliquis Siciliæ Ecclesiis recitabatur Evangelium: *Principium Evangelii Jesu Christi Filii Dei*. — Dominica I. Adventus.

X. Dominica Secunda ad horarias Preces, & ad Missam Evangelio illo gaudebat: *Erunt Signa in Sole*. — Dominica II.

XI. Dominicæ Tertiæ assignata erat ipsa eadem Epistola, quæ ex hodierno ritu Romano obtinet in Dominica IV. scilicet: *Sic nos existimet homo*. Ex qua excerpta erant Capitula in singulis Officii partibus recitanda: Evangelium vero: *Cum audisset Johannes in vinculis*. — Dominica III.

XII. Quod verò attinet ad Ferias quatuor temporum, quæ ipsam Dominicam Tertiam excipiunt, illud singulare observare nobis contigit, quod Evangelium secundùm Lucam: *Missus est Angelus Gabriel à Deo in civitatem Galilææ*, ad Nocturnas Vigilias cum expositione Patris Feriâ IV. de more legendum, præcinendum erat *in tono Lectionis* integrum à n. XXVI. Capitis I. ad n. XXXVIII. nihilo minus, — Feriæ quatuor temporum.

ac cantatur in Officio Missæ. Verum enim verò ceremonia ista obtinuit ex antedicto Breviario Gallo-Siculo, curâ Matthæi Caldo Venetiis anno 1527. edito; non verò ex antiquiori Panormitano membranaceo in quarto, in quo alius hac in parte ritus non præscribitur, quàm hodiernus Romanus. Uniformis tamen observantia omnibus Siciliæ Ecclesiis inerat, ut in Missa Sabbati nullum diceretur, *Flectamus genua*.

Dominica IV.

XIII. In Dominica IV. Epistola: *Sic nos existimet homo*, ejusque sectiones pro Psalmodiæ Capitulis, propterea quod, ut diximus, lecta fuerunt Dominicâ præcedenti, non obtinebant; sed eorum loco recitabantur Epistola, & ex ea depropta Capitula, ex Apostolo ad Philippenses: *Gaudete in Domino semper*, quæ ex hodierno ritu Romano decantantur Dominicâ III. Cujus III. Dominicæ Evangelium: *Miserunt Judæi ab Jerosolymis Sacerdotes, & Levitas ad Johannem*, Dominicâ IV. olim recitabant Siculi.

Vigiliæ Natalis Domini Ritus singulares.

XIV. In Vigilia Natalis Domini, antequam incipiebantur Laudes, septem in Altari accendi candelabra, tacente veteri Ordinario Ecclesiæ Panormitanæ, præcipit Breviarium manu exaratum Ecclesiæ Messanensis, concinentibus Breviariis aliis paullò junioribus ab ipso Matthæo Caldo publicatis. Ad primam non dicebatur Symbolum, *Quicumque*, quemadmodum aliis Adventus diebus recitatum fuerat; neque Capitula, vel Responsoria brevia. In Missa Epistolæ præmittebatur unica Prophetia ex Isaia: *Hæc dicit Dominus propter Sion non tacebo*. Qui usus fuit, non unius aut alterius, sed omnium Siciliæ Ecclesiarum; ex quibus una

Pa-

Panormitana post Prophetiam Responsorium, seu Graduale cum Collecta ordinabat; quando Ecclesiæ aliæ, Prophetiam inter, & Epistolam nullum interponebant cantum. De assignandis Capitulis, quæ ad persolvendum hujus diei Officium recitari consueverant, uno ad Laudes adhibendo excepto, ab hodierna Romanorum observantia longè discrepabat antiquus Siculorum ritus; ex quo ad Tertiam dicendum erat illud: *Propter Sion non tacebo*; Ad Sextam: *Videbunt Gentes justum tuum*; Ad Nonam ex Breviario Matthæi Caldo: *Non vocaberis ultra derelicta*; ex triplici verò Codice membranaceo Panormitanæ nostræ Ecclesiæ: *Et erit corona gloriæ in manu Domini*. In eisdem tribus Codicibus, prætermisso ad secundas Vesperas, seu ad primas Natalis Domini, Capitulo hodierno, illud Laudum, scilicet: *Paulus Servus Jesu Christi*, adhibebatur.

CAPUT XVII.

De Festo Natalis Domini.

I. GLoriosam Natalis Domini diem quanta cum lætitia nostri olim coluerint Siculi, ex abstinentiæ relaxatione in gratiam tantæ solemnitatis Pœnitentibus indulta obscurum nobis, aut parum apertum nunquam fuit: porrò antiquus Codex Pœnitentialis Ecclesiæ nostræ exponens peccatum omicidii uxoris, cui sanando perpetua, austera, & luctuosa satis pœnitentia imposita erat: *Carnem* (inquit), *& sanguinem omnibus diebus vitæ tuæ ne comedas*,

Natalis Festum relaxandæ pœnitentiæ dies.

excepto uno die Resurrectionis Domini, uno die Pentecostes, & uno die Natalis Domini.... Vinum, & medonem, & mellitam cervisiam nunquam bibas, nisi in illis prædictis tribus diebus.

Benedictiones propriæ Lectionibus præmissæ.

II. Magnam diei lætitiam magna comitabatur devotio, ad quam demonstrandam amplissimam in Nocturnis Vigiliis non adhibitæ sunt Benedictiones communes, sed propriæ; ex quibus tres potissimùm primæ, totidemque postremæ ejusmodi erant, ut Lectionis sensum, cui præponebantur, singulæ concinerent. Quæ ne, indiligentibus nobis, pereant, hìc subjicere visum est.

„ I. Parvulus, qui hodie in præsepio se voluit collocari, faciat nos primo tempore alleviari.

„ II. Ipso opitulante, viam Domini mereamini, qui per Prophetam dixit: *Consolamini, consolamini*.

„ III. Ipse peccata nostra dignetur abluere, qui per Prophetam dixit in Jerusalem: *Consurge, induere*.

„ IV. Qui natus est de Matre Virgine, purget nos ab omni crimine.

„ V. Qui natus est de Virgine Maria, concedat nobis salutiferam viam,

„ VI. Qui natus est de Matre sine Patre, concedat nobis salutem, & pacem.

„ VII. Qui natus est de Maria extra delictum, aperiat Evangelium: *Exiit edictum*,

„ VIII. Mysterium Evangelii Filii sui infundat in suis Pastoribus, qui Nativitatem suam annuntiavit Pastoribus.

„ IX

„ IX. Qui natus est de Matre sine initio, faciat „ nos intelligere: *Verbum erat in principio*.

III. Benedictiones hujusmodi etsi postremis Gallicani ritus temporibus communiter in Sicilia admissæ sint, utpotè quæ ordinatæ essent à Breviario Matthæi Caldo anno 1527. typis demandato, cujus usus apud Siculos penè omnes invaluit; Breviaria tamen membranacea isto paullò antiquiora morem hunc haud sequuntur: quippè Panormitanum scriptum annò 1452. *Dicuntur* (inquit) *Benedictiones Beatæ Virginis, usque ad Octavam Epiphaniæ inclusivè*. Imò ex ipso eodem Breviario Matthæi Caldo jam habemus, unde ambigi non posset ante ejus editionem Festo Natalis Domini ipsas de S. Maria Benedictiones ex ritu Siculis proprio assignatas esse: eas enim in fine Psalterii (a) exhibens, ita præfatur: *Incipiunt Benedictiones de S. Maria, quæ dicuntur in omnibus Festis ejus, & in Natali Domini usque ad Purificationem quotidiè*. Has de B. Virgine Benedictiones in sequenti Capite prælo aptare speramus.

IV. Lectiones secundi Nocturni non uno, eodemque ritu in omnibus legebantur Siculorum Ecclesiis; vetus Officii ordo Ecclesiæ Messanensis primam desumit ex S. Leone, reliquas ex Sermone illo Sancti Augustini nomine inscripto, in quo Versus Sybillæ Erithreæ, quemadmodum extant apud Eusebium (b), recitabantur; Breviarium Panormitanum, Sybillæ oracula reticens, tres simul Lectiones ex eodem

Lectiones cum Versibus Sybillæ Erithrçæ.

(a) *Pag.* 68.
(b) *In Orat. Constantini Magni ad Sanctor. cœtum c.*18.

S. Augustino petit. Qualem reliquæ Siciliæ Ecclesiæ morem coluerint, amissis nunc jam antiquis earum Codicibus, gratis divinari non potest; illud tamen extra omnem dubii aleam positum est, publicato memorati Matthæi Caldo Breviario, ad exemplar hac in parte Messanensis concinnato, ritum de canendis Lectionibus Sybillæ Versus continentibus, omnes communiter Siculorum Ecclesias admisisse.

Responsoria cum Prosis.

V. Quamlibet Lectionem proprium comitabatur Responsorium, ex quibus postremo cujuscumque Nocturni prolixæ succedebant Prosæ, seu rythmicæ modulationes.

Genealogia Salvatoris secundùm Matthæum.

VI. Expleto nono Responsorio cum Prosa, legebatur solemniter in Ambone Evangelium Genealogiæ Salvatoris secundùm Matthæum: *Liber generationis Jesu Christi*. Ritum cantandi hujusmodi Evangelium describit antedictum vetus Breviarium Panormitanæ nostræ Ecclesiæ: postulat enim, ut interim dum cantatur ultimum Responsorium cum Prosa, *præparet se Diaconus solemniter indutus, & ascendat in Pulpitum*. Rubricam hanc sequutus inde est Matthæus Caldo superius laudatus in memorata Breviarii Gallo-Siculi editione, hoc unum adjiciens, ut Diacono cantori comes adjungatur Diaconus alter, simul & Subdiaconus, & omnes ascendant in Pulpitum *cum candelabris, & thuribulis*. Finito Evangelio, ex uniformi Codicum nostrorum regula præcinebatur Canticum, seu Hymnus, *Te Deum laudamus*. Inde Officio Matutino finis imponebatur per Versum cum Responsorio ita: ℣. *Benedictus qui venit in nomine Domini, alleluja*. ℟. *Deus Do-*

Dominus & illuxit nobis, allelujà.

VII. *Dum cantatur Hymnus* (verba ejusdem Breviarii Matthæi Caldo exscribo) *Sacerdos, & Ministri induant se vestimentis solemnibus, ad celebrandam Missam in media nocte*. Missa ista in Codice Evangeliorum antiquissimo Ecclesiæ Agrigentinæ, in uno Missali Libro Nicosiensi, ac in tribus Messanensibus inscribitur: *Missa in Galli cantu*. Missale verò Panormitanum ab annis sex centum circiter manu exaratum vocat, *Primam Missam*. — Missa in Galli cantu.

VIII. Ut qui Missæ audiendæ gratia convenerat populus ad recitandas quoque Laudes in Ecclesia pervigil retineretur, ac insomnis, ipsas Matutinas Laudes unà cum Missa conjungebant Majores nostri: quocirca statim post Nocturnas Vigilias antequam Missa inciperetur, dicebatur in Choro solitus, & ipse primus Laudum Versus, *Deus in adjutorium* &c. cum *Gloria Patri*; tùm Missa. — Laudes cum Missa conjunctæ.

IX. Quà verò singulares ritus spectat hac in Missa adhibitos, vetera nostra Ordinaria instituunt, ut Introitus, *Dominus dixit*, & reliqua cantentur *in medio Chorò à quatuor Antiquioribus cum cappis*. — Introitus, & alia quo ritu cantata.

X. Sex *Kyrie eleison*, & ter *Christe eleison* non simplicissimè, sicuti ex hodierno ritu Romano, olim decantabant Siculi; sed singulas deprecationis voces, interpositis prolixis precibus, interpolabant: quæ quòd supra (a) in lucem à nobis emissa sint, hìc iterum recudi non fuit opus. — Kyrie, & Christe eleison.

XI. Hym-

(a) *Cap.* 14. *n.* 10.

Hymnus Angelicus.

XI. Hymnus Angelicus propterea quod nocte ista primùm ab Angelis præcantatus fuerat, peculiari quadam ratione, ac solemnitate intra istius Missæ solemnia pangebatur. Ejus tenorem ex triplici Missali Ecclesiæ Messanensis proferamus.

„ Gloria in excelsis Deo. Et in terra pax
„ hominibus bonæ voluntatis. *Natus est Salva-*
„ *tor mundi, canit Chorus Angelorum; Chri-*
„ *stus Jesus Rex cœlorum de Maria Virgine.*
„ Laudamus te. Benedicimus te. Adoramus te.
„ Glorificamus te. *Ad præsepe lætabundi Pa-*
„ *stores citò venerunt: Infantem adoraverunt*
„ *cum Maria Virgine.* Gratias agimus tibi
„ propter magnam gloriam tuam. Domine
„ Deus, Rex cœlestis, Deus Pater omnipotens.
„ *Rex Regum circumciditur, per quem mundus*
„ *salvatur: Jesus nomen imponitur de Maria*
„ *Virgine.* Domine Fili unigenite Jesu Christe.
„ Domine Deus, Agnus Dei, Filius Patris. *Jesus*
„ *à Magis quæritur: aurum, thus, & myrrham*
„ *deferunt, & adorant, & offerunt cum Ma-*
„ *ria Virgine.* Qui tollis peccata mundi, mi-
„ serere nobis. Qui tollis peccata mundi, su-
„ scipe deprecationem nostram. *Præsentatus est*
„ *in templo Jesus Æterni Filius: natum lau-*
„ *dat Senex pius cum Maria Virgine.* Qui
„ sedes ad dexteram Patris, miserere nobis:
„ quoniam tu solus Sanctus: Tu solus Domi-
„ nus: Tu solus Altissimus, Jesu Christe. *Ma-*
„ *riam sine exemplo veram Matrem elegisti, &*
„ *in cœlum assumpsisti.* Cum Sancto Spiritu in
„ gloria Dei Patris. Amen.

Prophetia ante Epistolam.

XII. Post Orationem, ex Ordinario Missæ Ec-

Ecclesiæ Messanensis, & Nicosiensis legenda erat Prophetia, quam, absque ullo intermedio cantu, sequebatur Epistola: idque in reliquis etiam duabus Missis obtinebat; ex vetustiori autem Missali Panormitanæ Ecclesiæ, cujus suprà meminimus, hac in Missa Prophetia dici non debebat, sed neque in altera, benè tamen in tertia, addito medium inter Prophetiam, & Epistolam Responsorio cum Collecta.

XIII. Non incurioso silentio involvendus est ritus, quo in Messanensi Ecclesia Sequentiæ, seu Prosæ post Graduale cantabantur. In hac prima Missa tres dicendæ erant, quarum altera in aliis quoque Festis usque ad Epiphaniam, & in Purificatione Beatæ Virginis recitanda, præcini solebat *à duobus in cantu, & tenore*, (ut sunt antiqui Missalis verba) *& semper repetitur: Verbum caro factum est de Virgine Maria*. Id erat principium Prosæ; in reliquis duabus Missis duæ solummodò pangebantur, una scilicet in qualibet Missa. In prædictis Missalibus Libris Panormitano in quarto, & Nicosiensi in folio nulla prorsus exhibetur Sequentia, eâ fortassis ratione, quòd scripta fuerint, cùm non adhuc Sequentiarum numerus magnoperè creverat, & multæ irrepserant prorsus ineptæ. Prosæ post Graduale.

XIV. Idem Ordinarium Missæ Ecclesiæ Messanensis monet Sacerdotem duas alias post primam hanc Missam celebraturum, ut *lingat digitos, nec profusionem, seu confirmationem vini, & aquæ, ut assolet, in Calice sumat.... sed eam sumat in ultima Missa tantùm*. Similiter ut cùm in ultimis duabus Missis manus la- Lotio manuum.

lavat, dicens: *Lavabo &c.* caveat ne aqua in ultima confirmatione ſumenda, aut in Sacrario ſervanda, *in terram affluat, ſed in aliquo vaſe mundo*.

Complentur Laudes in medio Miſſæ.

XV. Poſt factam ritu, quem expoſuimus, ablutionem manuum, ex communi Siculorum obſervantia complendæ erant Matutinæ Laudes. Sed quoniam Verſus, *Deus in adjutorium meum intende*, cum *Gloria Patri* dictus erat ante Miſſam: hinc factum eſt, ut eædem Laudes à prima earum Antiphona abſolutè inchoarentur. Circa hoc Laudum Officium obſervatione dignum eſt, in Panormitana hac Eccleſia non Capitulum, neque Hymnum, ſed nec etiam Verſum cum Reſponſorio decantari ſolitum fuiſſe; *Sed expletâ* (utor verbis antiqui ejus Breviarii) *quintâ Antiphonâ de Laudibus, Diaconus indutus ſtans ad Altare*, ſtatim dicebat Atiphonam ad *Benedictus*, quam reliquæ Siculorum Eccleſiæ poſt Hymnum præcinebant, & quidem *tribus vicibus*, ut loquitur Breviarium antedicti Matthæi Caldo, & nos obſervavimus ſupra (a), exponentes ritum Antiphonæ *Triumphare*. Inde Sacerdos Miſſam celebrans, dicto *Dominus vobiſcum*, per Orationem, quæ *Poſtcommunio* nominatur, Matutinas Laudes concludebat, nihilo aliter, ac Veſperas in medio Miſſæ Sabbati Sancti, ad cujus etiam ſolemnitatis exemplar dicebatur, *Ite Miſſa eſt*, cum duplici *Alleluja*.

Ite Miſſa eſt cum duplici *Alleluja*.

XVI. Hæc ſunt præcipua, quæ de antiqua diſciplina primæ Miſſæ obſervatione digna habeba-

(a) *Cap.* 13. *n.* 4.

bamus: de reliquis duabus Missis, præter ea; quæ jam attigimus, vix aliquid, cui immorandum sit, occurrit; non tamen prætereo quidquid Sacræ Antiquitatis cultoribus utile aliquando esse poterit; altera Missa, quòd Introitum habeat, *Lux fulgebit*, in antiquo Codice Evangeliorum Ecclesiæ Agrigentinæ inscribitur, *Missa de Luce*: in triplici Missali Messanensis Ecclesiæ nominatur, *Missa in aurora*; propterea quod in aurora celebrari consueverat: in vetustiori autem Missali Panormitano simplicissimè dicitur, *secunda Missa*. In Codice isto consuetæ Orationi de Nativitate Domini præmittitur Collecta de S. Anastasia, quæ in Missali Nicosiensi illam subsequitur. De hac S. Anastasiæ recolenda memoria sollicita minimè fuit Messanensis Ecclesia, cujus tres antiqui Missales Libri, *de Sancta* (inquiunt) *Anastasia nulla hìc fit memoria, quia prohibuit Sixtus Papa IV.* Ex quibus Messanensis Ecclesiæ antiquis Monumentis ad Tertiam Missam, quam *Majorem* nominant, *dicto*, *Ite Missa est*, *Sacerdos exutâ Casulâ*, *dicat Evangelium*: *Cum natus esset Jesus*, *stans in medio Altari*. Antiquus autem Missalis Liber Nicosiensis exhibet Evangelium Genealogiæ Salvatoris, secundùm Matthæum: *Liber generationis Jesu Christi*; & quidem integrum notis musicis ornatum, solemni fortassis forma, sicuti in Nocturnis Vigiliis, decantandum.

Secunda Missa.

Tertia Missa.

XVII. Ceterum ad hujus diei solemnitatem referri etiam posset, quod Vesperæ ex antiquo Siculorum ritu cantandæ, erant duplices: alteræ de Nativitate, alteræ de S. Stephano: pri-

Vesperæ.

mæ ex vetusto Panormitanæ nostræ Ecclesiæ Breviario eandem Hymno Prosam præmittebant, quæ ad Matutinum post nonam Lectionem decantata fuerat: postremæ admodum brevissimæ erant, utpotè quæ carerent quinque consuetis Psalmis, & Antiphonis: nam cum Responsorio præ illius ætatis more post Capitulum præcinendo, Versibus, Hymno, & Cantico, *Magnificat*, cum Antiphona, & Oratione harum Vesperarum decurrebatur Officium. Consule Breviarium Gallo-Siculum Venetiis editum, cujus verba retulimus supra (a).

CAPUT XVIII.

Festum
S. Stephani, S. Johannis,
& SS. Innocentium.

Festa ista à quibus potissimùm celebrata.

I. EX tribus hisce Festis primum, propterea quod esset S. Levitæ Stephani, colebatur, summum, & præcipuum officium exercentibus Diaconis: alterum S. Johannis Apostoli simili quoque ratione celebrabant Presbyteri, relictâ SS. Innocentium solemnitate Clericis, & Pueris.

De eorumdem Præfationibus, Vesperis, & Octavis.

II. Ex vetustissimo Missali membranaceo in quarto Panormitanæ nostræ Ecclesiæ jam habetur, unde licet intelligamus Solemnitates istas ex antiquiore ritu Gallicano singulari quodam modo, quem subsequens non retinuit ætas, celebratas esse: singulæ enim Præfationibus propriis

(a) *Cit. Cap.* 15. *n.* 42.

priis gaudebant: singulæ prorsus carebant Octavis. Ex aliis verò Codicibus Siculis illo paullò recentioribus discimus ulteriùs celebritates istas, quemadmodum Festum Natalis Domini, duas Vesperas postulavisse, longiores scilicet pro Solemnitate occurrente, breviores pro subsequente.

III. Tribus istis diebus, & deinceps usque ad Purificationis Festum dicendæ erant super Lectiones Officii Benedictiones de S. Maria, ut ex antiquis nostris Codicibus observavimus supra (a), quas si hìc designaverimus haudquaquam ingratum Lectoribus forte videbitur. Sed quoniam sex postremæ non eâdem verborum congerie exhibentur in Breviario Gallo-Siculo studio Matthæi Caldo, sexto decimo ineunte Seculo, emendato, quàm in M. S. Codice membranaceo continente Capitula per totum annum, & alia *secundum consuetudinem Majoris Panormitanæ Ecclesiæ*, eas prælo aptare curavimus, sicuti nobis ministrant ipsa eadem Antiquitatis Monumenta. Benedictiones usque ad Festum Purificationis dicendæ.

„ Benedictiones de S. Maria

„ In 1. Nocturno.

Ex M. S. Codice Panormit. & Breviario Gallo-Siculo.

„ Alma Virgo Virginum intercedat pro nobis
„ ad suum Filium.

„ Benedicat nos cum Patre natus de Virgine
„ Matre.

„ Castitatem mentis, & corporis tribuat nobis
„ Filius Virginis.

(a) *Cap.* 17. *n.* 3.

„ In II. Nocturno.

Ex M. S. Codice Panormit.

„ Dei Genitrix Virgo eripiat nos ab hoste ma-
„ ligno.
„ Virgo Deo digna, nobis succurre, benigna:
„ Virgo Deo grata, nobis succurre, beata.

Ex Breviario Gallo-Siculo.

„ Jesus Mariæ Filius sit nobis salus, & propitius:
„ Nos cum prole pia benedicat Virgo Maria.
„ Oret voce pia pro nobis Virgo Maria.

„ In III. Nocturno.

Ex M. S. Codice Panormit.

„ Sancta Dei Genitrix sit nobis auxiliatrix:
„ Oret voce pia pro nobis Virgo Maria.
„ Stella Maria maris succurre piissima nobis:

Ex Breviario Gallo-Siculo.

„ Per Virginem Matrem concedat nobis Do-
„ minus salutem, & pacem.
„ Stella Maria maris succurre piissima nobis:
„ Qui natus est de Virgine purget nos ab om-
„ ni crimine.

Commemoratio de S. Maria.

IV. Ad majus in B. Mariam Virginem devotionis Siculæ testimonium illud ulterius referri potest, quòd in Octava S. Stephani, & deinceps usque ad memoratum Purificationis Festum in Vesperis, & Laudibus fieri debebat solemnis ejusdem Deiparæ Commemoratio: cujus formulam ex antiquis Codicibus Siculis omnibus hac in parte concordantibus libeat publicæ notitiæ submittere.

„ *Ad Laudes, Antiphona.*

„ Nesciens Mater Virgo virum, peperit si-
„ ne dolore Salvatorem seculorum: ipsum Re-
„ gem Angelorum sola Virgo lactabat, ubere
„ de cœlo pleno. *Ad*

„ *Ad Vesperas ; Antiphona* :

„ Virgo verbo concepit : Virgo permansit :
„ Virgo peperit Regem omnium Regum .
„ ℣. Post partum , Virgo , inviolata permansisti ,
„ alleluja .
„ ℟. Dei Genitrix intercede pro nobis , alleluja .

„ *Oratio* .

„ Deus , qui salutis æternæ , Beatæ Mariæ
„ virginitate fecunda &c.

V. Non abs re erit hic referre ordinem , quo tres istæ post Natalis diem solemnitates exhibentur in Calendario Festorum , quod juxta morem Orientalis Ecclesiæ pro Græcis suæ Diœceseos Anno Christi 1554. publicavit Alexander Cardinalis de Farnesio Archiepiscopus Ecclesiæ Montis-Regalis (*a*) , ibi: *December...Die* 26. *Festum Beatæ Virginis ex præcepto* . *Die* 27. *Stephani Protomartyris ex præcepto* . *Die* 28. *Sanctorum Innocentium ex præcepto* ; nulla prorsus de S. Johanne adhibita commemoratione .

Festum S. Johannis à Græcis omissum .

VI. Hæc sunt præcipua , quæ circa tria simul hæc Festa observatione digna habebamus : jam verò de singulis agendum erit . Ad illud S. Stephani quod spectat , præter ea , quæ adnotavimus , vix aliquid , cui immorandum sit , nobis provinciam hanc illustrantibus occurrit . Alterum S. Johannis unum præsefert perpetuæ memoriæ monumentis consignandum , nempe quod ex antedicto Missali antiquissimo Panormitanæ nostræ Ecclesiæ duo illi assignantur Missæ ; quarum alteri Introitus est , *Ego autem sicut oliva* ; alteri autem , *In medio Ecclesiæ* ape-

In Festo S. Johannis duplex Missa.

(*a*) *Synod. Montis-Regalis anni* 1554. *pag.* 139.

aperuit os ejus: Duplicem hanc Missam ex pluribus Ecclesiarum Codicibus agnovit etiam Edmundus Martene (*a*), unam in exordio lucis, alteram post Tertiam celebratam esse referens: quem morem apud Siculos revera invaluisse ex Missali Ecclesiæ Nicosiensis in Diœcesi Messanensi jam liquidò patet, cùm in eo inscribatur, *Johannis Evangelistæ Missa in primo mane.*.

Festum Innocentium, quando cum tristitiæ signis celebratum.

VII. Festum verò SS. Innocentium singulari quoque ritu celebrari consueverat: ejus enim Officium Missæ, & Psalmodiæ alioquin cum tristitiæ signis celebrandum, præsente Episcopo, cum *Gloria*, *Alleluja*, *Ite Missa est*, *Te Deum*, aliisque lætitiæ notis, ac si in Dominica occurrerit solemnitas, persolvebatur: *nota* (verba antiqui Missalis Ecclesiæ Messanensis exscribo) *quod Gloria in excelsis, nec Alleluja, nec ite Missa est dicitur, nisi venerit in Dominica, vel Prælatus sit præsens*. Cui consonat Breviarium membranaceum ejusdem Ecclesiæ, cum edito memorati Matthæi Caldo. En ejus verba: *Hymnus: Te Deum laudamus, non dicitur, nisi venerit in Dominica; sed si Prælatus est præsens, conceditur.*

Quomodo illud Pueri celebrabant.

VIII. Porrò circa eandem SS. Innocentium solemnitatem haudquaquam prætermittendum credimus ritum, quo Clericis, eam celebrare mos erat. Finitis enim S. Johannis Vesperis, uni Clericorum pontificale indulgebatur indumentum, simul & Episcopale nomen, quem ceteri pueri ad Thronum Episcopi solemni proces-

(a) *Antiq. Eccl. Discipl. in Divinis celebr. Offic. cap. 13. n. 10.*

cessione deducebant, cantantes SS. Innocentium Responsorium, *Centum quadraginta quatuor millia*, quibus subjiciebant Hymnum, & alia ad alterum ejusdem dici Vesperarum Officium celebrandum præscripta, summum munus ipso eodem *Episcopello* (sic eum vocabant) prosequente : ad eum itaque spectabat Ecclesiasticis precibus finem imponere per Orationem cum benedictione in fine, nihilo aliter, ac facere solent Episcopi, dandâ, præmisso vulgato illo Versu, *Sit nomen Domini Benedictum*. Episcopelli munus.

IX. Pulpitum deinde ipse *Episcopellus* ascendens sermonem ad populum habere consueverat; quo expleto, magnâ puerorum catervâ stipatus, ab Ecclesia per principaliores Urbis semitas procedebat, formam Episcopalis benedictionis identidem adhibens. Consuetudinem hanc viguisse olim in Sicilia, absque ulteriori testimonio, erudiunt nos Ordinarium, seu Ceremoniale Panormitanæ nostræ Ecclesiæ jussu Archiepiscopi Simonis de Bononia circa medium decimi quinti Seculi ab Andrea Seraphim ejusdem Ecclesiæ Terminatore concinnatum, & Pactensis Synodus, Præsule Arnaldo Albertino, Anno 1538. coacta. Ex qua didicimus pariter quomodo supplicatio hæc ab initio innocens, & simplicissima, procedente tempore, in scandalum abjerit, & derisionem : enim verò *Episcopellus* prædicans, *enunciat* (inquit) *verba vana, turpia, damnabilia, & vitiosa, ut moveat mulieres, & viros ad spectacula, & cachinnationes, in derisionem religionis Christianæ, & dignitatis Episcopalis, & vilipendium San-*

Sanctorum , in quorum honorem Ecclesia est dedicata . Hoc fuit in caussa , quamobrem turpem hunc abusum vehementer detestata sit Sicilia, una excepta Civitate Troynensi , quæ indevotam hanc ceremoniam ad hanc usque ætatem in parte retinet .

X. Hinc nulla in nobis excitari debet admiratio , si hæc inter præcipuas olim solemnitates habita , ut cognosci potest ex Homilia nostri Theophanis Ceramei (*a*) εἰς τὰ ἅγια νήπια , *In Sanctos Innocentes* . Postea adeò inter minus solemnes sit computata , ut eam celebrandi caussa Canonicis Choro interesse opus non fuerit , ut discimus ex Codice membranaceo Statutorum Panormitanæ hujus Ecclesiæ , anno 1422. scripto : nam præscribens solemnitates , quas celebrandas Canonicorum decebat præsentia , omissâ illâ Sanctorum Innocentium : *Nativitas* (inquit) *Domini nostri Jesu Christi cum duabus sequentibus* .

CAPUT XIX.

Circumcisio Domini .

Missa. I. OCtavam Natalis Domini diem valdè festivam reddunt Circumcisionis solemnia : cujus antiquos ritus ex vetustatis carie nobis vindicare conantibus magnam in Officio Missæ varietatem observare contigit . Vetus enim Missale membranaceum in quarto Panormitanæ nostræ Ecclesiæ sæpiùs a nobis memoratum , quod Gal-

(a) *Homil.* 52.

Gallicanum esse remur, sicuti invectum in Siciliam est, novis non adhuc interpolationibus fœdatum, Præfationem solemnitati huic propriam assignat; eâ tamen carent tres Missales Libri Ecclesiæ Messanensis Codice illo satis recentiores; in quibus ipsa eadem Præfatio exhibetur, quæ canitur in Natali Domini: ex cujus secunda Missâ exscribunt quoque Prosam, præ illius ætatis more, post Epistolam cantari solitam.

II. Singularem etiam ritum in celebrandis Divinis Cursibus continet ejusdem Messanensis Ecclesiæ Breviarium manu exaratum, ad cujus hac in parte exemplar Venetiis sub exordio XVI. Seculi tria Breviaria Gallo-Sicula in lucem sunt emissa. Sanè præscribitur in eo, quemadmodum & in istis, ut quilibet Matutinæ Psalmodiæ Nocturnus cum Invitatorio diverso præcini debeat. Primum Invitatorium duo comitabantur Versus Psalmi xc. totidem secundum, postremâ Strophâ, & *Gloria Patri* tertio reservatis. In tres similiter partes dividebatur Hymnus, ad Matutinum Officium de more pangendus, duplici ad singulos Nocturnos assignato Versu cum clausula, *Gloria tibi Domine*, hoc ordine. Psalmodia Matutina.

In I. *Nocturno, Invitatorium*.

„ Christus natus est nobis, * Venite adoremus.

Psalmus.

„ Venite, exultemus Domino, jubilemus Deo
„ salutari, &c.

„ Quoniam Deus magnus Dominus, &c.

Hymnus.

„ Christe, Redemptor omnium,
„ Ex Patre, Patris unice,

B b „ So-

„ Solus ante principium,
„ Natus ineffabiliter.
„ Tu lumen, tu splendor Patris;
„ Tu spes perennis omnium,
„ Intende, quas fundunt, preces
„ Tui per orbem famuli.
„ Gloria tibi, Domine,
„ Qui natus es de Virgine;
„ Cum Patre, & Sancto Spiritu.
„ In sempiterna secula. Amen.

In II. Nocturno, Invitatorium.

„ Natum sub lege Christum, venite cuncti ad
„ collaudandum, * Quos ejus incarnatio
„ redemit, & passio.

Psalmus.

„ Quoniam ipsius est mare, & ipse fecit illud,
„ & aridam, &c.
„ Hodie si vocem ejus audieritis, nolite, &c.

Hymnus.

„ Memento, salutis Auctor,
„ Quod nostri quondam corporis
„ Ex illibata Virgine
„ Nascendo formam sumpseris.
„ Hic præsens testatur dies,
„ Currens per anni circulum,
„ Quod solus à sede Patris
„ Mundi salus adveneris.
„ Gloria tibi, Domine, *ut supra.*

In III. Nocturno, Invitatorium.

„ O Nazarene, Dux Bethlehem, Verbum Pa-
„ tris, quem partus alvi virginalis protulit, *
„ Adesto nostris, Christe, solemniis: festum-
„ que nostrum, Rex serenus aspice.

Psal-

Psalmus.

„ Quadraginta annis proximus fui, &c.
„ Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto:
„ Sicut, &c.

Hymnus:

„ Hunc cœlum, terra, hunc mare;
„ Hunc omne, quod in eis est,
„ Auctorem adventus tui
„ Laudans, exultat cantico:
„ Nos quoque, qui sancto tuo
„ Redempti Sanguine sumus,
„ Ob diem Natalis tui,
„ Hymnum novum concinimus:
„ Gloria tibi, Domine, *ut supra.*

III. Ex iisdem sacræ antiquitatis Monumentis, concordante veteri Breviario insignis Panormitanæ Ecclesiæ, Vesperarum Hymno præmittebatur ipsa eadem Prosa, quæ in tertio Nocturno Natalis Domini cantata erat: Vesperæ.

CAPUT XX.

De Epiphania, ejusque Vigilia; Dominicis, & sex Feriis.

I. EPiphaniæ Festivitas jam inde à primis Christianæ Religionis Seculis præcipuo in Sicilia celebrata est honore, adeo ut baptismum solemne, quod ex veteri Romanæ Ecclesiæ instituto Paschatis, & Pentecostes tempore suscipi debebat, die ista numerosiùs præ quàm in aliis frequentaretur, quemadmodum refert (a) Festi antiquitas.

(a) *Epist.* 16. aliàs 4. *ad Episc. Sicil. cap.* 1.

qui hac de re Episcopos nostros monuit, S. Leo Magnus; cujus Apostolicis præceptis illos doctiores factos, subinde in Epiphania fieri baptisma non sustinuisse, ex antiquo Pœnitentiali Libro Panormitanæ hujus Ecclesiæ jam habemus, unde possumus intelligere; in quo decernitur, ut qui Infantem, nisi in Paschate, & Pentecoste, obtulerit baptizandum, decem dies in pane, & aqua pœniteat.

II. Sed quoniam quæ Festi antiquitatem spectant breviter prosequuti sumus: nunc ad ejusdem Festi singulares ritus exponendos animum, calamumque adjiciamus. Quam in Vigilia hujus Festi Siculi celebrabant Missam, erat profectò ab hodierna Romana prorsus diversa; imò in ipsa celebranda Siculis omnibus mos unus, eademque disciplina non fuit: Missali enim Panormitano erat Introitus: *Lux fulgebit*, ut in secunda Missa Natalis Domini; Messanensi autem: *Dominus dixit ad me*, ex prima ejusdem Festi Missa desumptus. Oratio: *Corda nostra* utrique erat communis, sicut & Epistola: *Apparuit benignitas, & humanitas*, ex antedicta secunda Missa exscripta; ex qua sumebatur ulterius Graduale, seu Responsorium: *Benedictus qui venit*. Evangelium una Agrigentina Ecclesia, à Panormitana, & reliquis Siciliensibus cum Romana de hoc convenientibus varians, postulabat ex Luca: *Factum est autem cùm baptizaretur omnis populus*. Ordinarium Missæ Ecclesiæ Messanensis post Evangelium Symbolum decantari velle videtur: quippè describens Octavæ Natalis Domini ritus: *Est* (inquit) *notandum, quod hinc antea quotidiè usque ad Epi-*

Vigiliæ Missa.

pha-

phaniam Domini dicitur Gloria , & Credo. Demum Panormitanus Miſſalis Codex ex præfata ſecunda Miſſa Natalis Domini mutuabatur Antiphonam, quæ *Communio* nominatur: *Exulta Filia Sion*; tametſi Meſſanenſi eandem aſſignatam reperio, ac hodiernam Romanam: *Tolle puerum*.

III. Atque etiam de ejuſdem diei Pſalmodia diſcrepatio erat; non enim novem, ſed tres ſolummodò Lectiones dicebantur, & quidem ex Homilia S. Hieronymi in Evangelium: *Defuncto Herode*; ad Laudes non recitabantur Antiphonæ: *O admirabile commercium*, ut in Octava Natalis Domini; ſed ſumebantur ex ipſa Natalis die: *Quem vidiſtis, paſtores?* idque in omnibus obtinebat Siculorum Eccleſiis, unâ exceptâ Panormitanâ, Romanæ hac in parte adhærente. Matutina Pſalmodia.

IV. Ex communi Siculorum ritu cum eodem Antiphonarum, Pſalmorumque apparatu die iſta, & quotidiè uſque ad Octavam Epiphaniæ decurrebatur Veſperarum Officium, quàm aliis retro diebus à die uſque Natalis Domini: quandoquidem antiqua noſtra Breviaria poſt ſecundas Natalis Domini Veſperas, inquiunt: *Prædictæ Antiphonæ, & Pſalmi ſemper dicuntur ad Veſperas per totam Octavam Epiphaniæ*. In Breviario M. S. Eccleſiæ Meſſanenſis, & editis Gallo-Siculis poſt ultimam Antiphonam exhibetur Capitulum: *Omnes ſitientes venite ad aquas*; in Panormitano autem aliud non repræſentatur, ac hodiernum Romanum: *Surge, illuminare Jeruſalem*. Veſperæ.

V. Ad Completorium ex iiſdem Breviariis Pa- Completorium.

Panormitano, Meſſanenſi, ac Gallo-Siculis Venetiis in lucem emiſſis, loco Antiphonæ ſuper Pſalmos dicebatur *Alleluja* quater repetitum; horum tamen Eccleſiaſticorum Codicum de Oratione in fine Completorii recitanda conſenſio non apparet: ſanè Panormitanum ipſam ordinat, quæ in aliis Officii partibus, & in Miſſa dicta fuerat: *Corda noſtra, quæſumus Domine*; Meſſanenſe verò, cui concinunt reliqua Gallo-Sicula, communi ex Pſalterio Oratione contentum eſt, nec aliam prætere a poſtulat.

Feſti Pſalmodia.

VI. Quemadmodum Eccleſiaſticum Vigiliæ Officium decurrebatur in Sicilia, hactenus explicatum ſatis arbitror: ſequitur, ut diei ritus perſequar; Nocturnum Epiphaniæ Officium, quod nunc abſque Invitatorio decantamus, ex Gallicano Siculorum ritu, prætermiſsâ obſervantiâ iſtâ, abſolvebatur. Quod cur factum ſit, ratio in promptu afferri poteſt: nam invitatorium Pſalmum: *Venite exultemus* in tertio Nocturno Majores noſtri non adhibebant; ſed ejus loco recitabant olim, ſicuti infrà Octavam recitamus hodie, Pſalmum: *Fundamenta ejus*: quamobrem præcipua, veriorque hujus prætermiſſionis ratio, ne in uno, eodemque Officio idem Pſalmus bis cantetur, in Siculorum Eccleſiis haud obtinuiſſe videtur. Ex quibus Panormitana ſecundi Nocturni Lectiones ex Sermone S. Auguſtini depromebat; Meſſanenſis verò partim ex S. Leone, partim ex ipſo S. Auguſtino. Poſtremus hic mos apud reliquas Siciliæ Eccleſias invaluit, utpote quæ Breviariis Gallo-Siculis, juxtà M. S. Meſſanenſe curâ Matthæi Caldo editis ad unum ſtuderent. Dicto nono Re-

Responsorio, communis Siciliæ usus habuit, ut solemni quidem forma præcineretur Christi Genealogia secundùm Lucam ab eo loco: *Factum est autem cùm baptizaretur omnis populus*, usque: *Jesus autem plenus Spiritu Sancto regressus est à Jordane*, addito in fine Hymno: *Te Deum laudamus*, ad eum ferè modum, quo in Festo Natalis Domini eadem Genealogia secundùm Matthæum decantata fuerat.

VII. Deinceps Missæ Officium exponamus. Missa. In Missali Libro valdè antiquo insignis Panormitanæ Ecclesiæ exhibetur Præfatio Stellæ, & trium Regum ad adorandam Incarnati Verbi Humanitatem de remotis partibus venientium. In Ordine Missæ Ecclesiæ Messanensis post Epistolam repræsentatur Prosa: item duplex Oratio, quæ *Postcommunio* dicitur. In Missali tandem Nicosiensi membranaceo in folio præsentatur ipsa eadem Salvatoris Genealogia secundùm Lucam, quæ in Matutino Officio lecta fuerat, & quidem solemniter in fine Missæ pangenda, quemadmodum ex eodem Missali Genealogia altera secundùm Matthæum in fine tertiæ Missæ Natalis Domini cantata erat.

VIII. Altera post Epiphaniam die ex tribus Missalibus Libris Ecclesiæ Messanensis legendum erat Evangelium secundùm Johannem: *Vidit Johannes Jesum venientem ad se*; id ipsum postulat vetus Breviarium M.S. Panormitanæ nostræ Ecclesiæ, addens ulterius id obtinere semper, *nisi quando Festum Epiphaniæ in Sabbato occurrerit, quia tunc transfertur in Feriam* II. Huic etiam ritui observando in triplici sua Breviarii Gallo-Siculi correctione totus

in-

incubuit sæpius laudatus Matthæus Caldo: quare in tota mos iste Sicilia viguisse videtur.

Festum Octavæ, & S. Hilarii.

IX. Decimatertia Januarii die duplex Festum Siculis olim celebrandum erat, alterum Octavæ Epiphaniæ, alterum S. Hilarii Episcopi: quamobrem duæ hac die in veteri Missali Panormitanæ Ecclesiæ iterum, ac sæpius memorato exhibentur Missæ. Etsi non duplex in antiquo ejusdem Ecclesiæ Breviario repræsentatur Psalmodia; hæc tamen concinnata erat ita, ut utrique Solemnitati communis videretur: quandoquidem assignatis S. Hilario secundi Nocturni Lectionibus, cum ejus in utrisque Vesperis, & Laudibus commemoratione, quidquid supererat divinarum Precum Officio Octavæ tributum erat. Breviario huic Panormitano concinit & M.S. Messanense, cujus rationem licet majori ex parte sectentur reliqua Breviaria Gallo-Sicula sextodecimo ineunte Seculo Venetiis edita; at in hoc tamen illius disciplinæ non hærent, cùm ad exemplar Ordinarii Romani, S. Hilarii commemorationem in secundis tantummodo Vesperis, reservato in crastina die Festo, celebrari præscribant. Hìc non prætermittam, ritum celebrandi in Octava Epiphaniæ S. Hilarii Solemnitatem è Galiis revera in Siciliam invectum esse: hanc enim Octavæ Epiphaniæ diem festivam sub præcepto, *propter S. Hilarii Solemnitatem*, recoluisse Galliarum Ecclesiam, Uticensem potissimùm Diœcesin, testatur Edmundus Martene (a).

Singularia in Missa Octavæ.

X. In celebranda ejusdem Octavæ Missa singu-

(a) *De Antiq. Eccl. discipl. in Divinis celebr. Offic. cap.* 31. *n.* 2.

gulari quoque ritui ſtudebant Siculi: atque ita non Epiſtolam: *Surge illuminare Jeruſalem*, neque Evangelium: *Vidit Johannes Jeſum venientem ad ſe*, qualia ex ritu Romano obtinent hodie, legebant Majores noſtri; ſed Epiſtolam illam: *Domine Deus meus, bonorificabo te*; & Evangelium ſecundùm Matthæum: *Venit Jeſus à Galilæa in Jordanem ad Johannem*.

XI. Hæc ſunt præcipua, quæ circa antiquam diſciplinam in Feſto Epiphaniæ à Siculis obſervatam notatu digna exiſtimavimus: deinceps, ut propoſitum fuit, ſubſequentium dierum ritus ſingulares attingendi ſunt: ex his duo potiſſimum exponendi occurrunt, quorum alter ad Feriales dies, alter ad Dominicales ſpectat. Sed primum videamus; ſex Feriæ, quæ Dominicam primam poſt Octavam Epiphaniæ excipiunt, in divinis perſolvendis Curſibus Quadrageſimæ rationem obtinebant, Preces prolixiores, & alia in Officio Primæ admittentes; imò adeò erant ſolemnes, ut nulla unquam ratione omitti poterant: hinc ſi Feſta in Feriis his occurrentia impedimento fuiſſent, ut earum Officia ſuis propriis diebus perſolvi nequiverint, transſerebantur ad Hebdomadas inde ſequentes, etiam poſt Septuageſimam, ut ante ſaltem Feriam quartam Cinerum celebrarentur. Sex Feriæ poſt Octavam Epiphaniæ.

XII. Reſtat nunc, ut alteri exponendo ritui locus detur. Quatuor tantùm Dominicas inter Octavam Epiphaniæ, & Septuageſimam exhibent antiqua noſtra Breviaria, quintâ, quæ eſt poſt Epiphaniam ſexta, omninò prætermiſsâ. Sed ſi tempus adeò longum fuerit, ut quatuor Ab Epiphania ad Septuageſimam quot Dominicæ.

 ei

ci Dominicæ non essent satis, Officium, occurrente in Dominica Festo novem Lectionum, de isto, translatâ Dominicâ, celebrabatur; sin minùs, Dominica infra Octavam fiebat post Octavam, atque ita, quæ ordine prima erat evadebat secunda, secunda evadebat tertia, & sic de reliquis, quinque ab Octava Epiphaniæ ad Septuagesimam apparentibus Dominicis.

Commemorationes communes post Epiphaniam.

XIII. Sed quoniam transacto Epiphaniæ Festo, fieri debeant Commemorationes communes, seu Suffragia Sanctorum, non inutile fortè videbitur morem exscribere, quem in his recitandis admisit Sicilia. Vetus Breviarium Panormitanæ Ecclesiæ exhibens ritus primi Sabbati post Octavam Epiphaniæ, nisi Officium esset Duplex, vel Feriale, has celebrandas præscribit: *De S. Petro, & Paulo, de S. Christina, de S. Agatha, & de S. Lucia, de Pace, & de S. Maria*. Illud verò Ecclesiæ Messanensis fieri Commemorationes ordinat in Dominicis quidem, & Festis novem Lectionum *de S. Maria*; in Ferialibus autem diebus, & Festis trium Lectionum *sollummodò de Pace*. Breviaria denique Gallo-Sicula studio antedicti Matthæi Caldo emendata, etsi de postrema parte cum Messanensi conveniant, variant tamen de prima, loco Commemorationis Deiparæ, illam *de S. Petro, & Paulo* exhibentia.

CA-

CAPUT XXI.

Festum Purificationis B. Mariæ.

I. DE Festo nunc Purificationis Deiparæ agamus, illum æmulantes ordinem, cui incubuit vetus Missalis Liber Panormitanæ nostræ Ecclesiæ membranaceus in quarto supra sexcentos annos non incomptè manu exaratus, ubi Solemnitas hæc medium inter Epiphaniam, & Septuagesimam exhibetur. Duo potissimum in hujus diei Psalmodia singularia occurrunt: Hymnus, *Ave maris Stella*, in Nocturnis Vigiliis ex antiquissimo Precum Codice membraneo in folio Ecclesiæ Messanensis decantandus; & Prosa in laudem B. Mariæ post nonum Responsorium ex vetusto Breviario M. S. ejusdem Panormitanæ Ecclesiæ pangenda. Prosâ istâ carent Breviaria Gallo-Sicula Venetiis excusa non modo, verum & M. S. in octavo Ecclesiæ Messanensis illis paullò antiquius. Singularia in Officio Purificationis.

II. Quibus ceremoniis Ecclesiastica decurrebatur Psalmodia jam breviter exposuimus: operæ pretium nunc est, ut Cereorum benedictionem die ista fieri solitam singulari persequamur observatione. Sed quoniam vix aliquid, cui immorandum sit, occurrit, quod in duplici benedictionis Ordine, Panormitano, & Messanensi non contineatur, magni nostrâ interest hîc illos exscribere.

ORDO

BENEDICTIONIS CEREORUM

IN PURIFICATIONE S. MARIÆ

Ex M. S. Miſſali Eccleſiæ Panormitanæ ſex circiter Seculorum.

„ OMnipotens ſempiterne Deus, clementiſſi-
„ me Pater, lumen indeficiens, exaudi nos,
„ & tuæ benedictionis largitate hoc lumen ſan-
„ cti ✝ fica, ut in Filii tui amore illud geſtan-
„ tium, expulſis peccatorum tenebris, Sancti
„ Spiritus igne corda illuſtrentur, & in tuo
„ amore accedantur. Per eundem.

„ *Alia.*

„ Domine ſancte, Pater omnipotens, æter-
„ ne Deus, bene ✝ dicere, & ſancti ✝ ficare di-
„ gneris ignem iſtum, quem nos indigni ſu-
„ ſcepimus per invocationem unigeniti Filii tui
„ Domini noſtri Jeſu Chriſti, quem hodie in
„ templo juſtum Simeonem diu expectantem in
„ ulnis ſuſcepiſſe novimus: & ſalutare tuum
„ ante faciem omnium populorum eſſe: lumen
„ ſcilicet Gentibus, & gloriam plebi tuæ Iſdrael
„ prophetico ſpiritu docuit: te, quæſumus Do-
„ mine, ut bene ✝ dicere digneris lumen iſtud:
„ & omnibus illud manibus geſtantibus verum
„ lumen tuæ majeſtatis concede: ut te agno-
„ ſcentes, te diligentes, te quærentes, per viam
„ virtutum ad te valeant pervenire. Per eundem.

„ *Alia.*

„ Immenſæ majeſtatis tuæ miſericordiam
„ obſecramus, omnipotens Deus, ut qui ve-
„ rum lumen, Dominum noſtrum Jeſum Chri-

„ ſtum

„ ſtum hodierna die cum noſtræ ſubſtantia car-
„ nis in templo repræſentari, atque diu deſi-
„ deratum beati Simeonis brachiis amplecti vo-
„ luiſti, mentis noſtræ ſenſus dono tuæ gratiæ
„ illuminare digneris: quatenus hos Cereos tua
„ benedictione ſancti ✝ ficatos ferentes, caſtitatis
„ ſecuritate, tuique amoris charitate exuberan-
„ tes, noſmetipſos hoſtiam viventem, ſanctam-
„ que tibi exhibere valeamus placentem. Per
„ eundem.

„ *Alia*.

„ Omnipotens ſempiterne Deus, qui ho-
„ dierna die Unigenitum tuum, &c. *Extat, aliquot verbis immutatis, in Miſſali Romano.*

„ *Ad Proceſſionem.*

„ *Antiphona.* Ave gratia plena, Dei Genitrix
„ Virgo: ex te enim ortus eſt ſol juſtitiæ,
„ illuminans quæ in tenebris ſunt. Lætare
„ tu Senior juſte, ſuſcipiens in ulnas libera-
„ torem animarum noſtrarum donantem
„ nobis & reſurrectionem.

„ *Antiph.* Adorna thalamum tuum Sion, &c. *Habetur totidem verbis in Miſſali Romano.*

„ *Oratio.*

„ Erudi, quæſumus Domine, plebem tuam:
„ & quæ extrinſecùs annua tribuis devotione
„ venerari, interiùs aſſequi, gratiæ tuæ lucem
„ accende. Per.

„ *Antiph.* Reſponſum accepit Simeon à Spiritu
„ Sancto, &c. *Legitur ipſiſſimis verbis in Miſſali Romano.*

„ *Oratio.*

„ Illumina, quæſumus Domine, populum
„ tuum

„ tuum, & ſplendore gratiæ tuæ cor ejus ſem-
„ per accende, ut Salvatorem ſuum agnoſcat,
„ & fidem tuam apprehendat. Per eundem.
Inde ſequitur Miſſa.

ORDO

BENEDICTIONIS CEREORUM

IN PURIFICATIONE S. MARIÆ.

Ex tribus Miſſalibus Libris Eccleſiæ Meſſanenſis ante tempora Concil. Trid. editis.

„ ℣. Dominus vobiſcum. ℞. Et cum ſpiritu tuo.

„ *Oratio.*

„ Domine, Deus omnipotens, cœli, & terræ
„ creator, & Rex Regum, & Dominus
„ dominantium, exaudi nos famulos tuos cla-
„ mantes, & orantes ad te: precamur, te Do-
„ mine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus,
„ quia omnia ex nihilo creaſti, & juſſu tuo per
„ opera apum, &c. *Inde ſequitur ut in prima Oratione Miſſalis Romani.*

„ *Alia Oratio.*

„ Omnipotens ſempiterne Deus, qui ho-
„ dierna die Unigenitum tuum, &c.

„ *Alia Oratio.*

„ Domine Jeſu Chriſte, lux vera, qui il-
„ luminas omnem hominem, &c.

Alia Oratio.

„ Omnipotens ſempiterne Deus, qui per
„ Moyſen famulum tuum, &c.

„ *Alia Oratio.*

„ Domine Jeſu Chriſte, qui hodierna die
„ in noſtræ carnis ſubſtantia, &c. *Exhibentur omnes totidem verbis in Miſſali Romano.*

„ *Hic*

„ *Hic aspergantur Candelæ, suffumicentur in-*
„ *censo. Post benedictionem incipiatur An-*
„ *tiphona:* Lumen ad revelationem Gen-
„ tium, & gloriam plebis tuæ Israel.
„ ℣. Nunc dimittis servum tuum Domi-
„ ne, &c. *Ut in Missali Romano, sine ta-*
men Gloria Patri.

„ *Antiphona.* Ave gratia plena, Dei Genitrix
„ Virgo, &c. *Extat supra in Ordine Pa-*
normitano.

„ *Antiph.* Adorna thalamum tuum Sion; &c.

„ *Antiph.* Responsum accepit Simeon à Spiritu
„ Sancto, &c. *Exhibentur integræ in Missa-*
li Romano.

„ ℣, Ora pro nobis Sancta Dei Genitrix:
„ ℟. Ut digni efficiamur promissione Christi:

„ *Oratio.*

„ Erudi, quæsumus Domine, plebem tuam:
„ & quæ extrinsecùs annua tribuis devotione
„ venerari, interiùs assequi gratuæ tuæ luce
„ concede. Per.

Inde sequitur Missa:

CAPUT XXII.

Singulares ritus in Septuagesima, & deinceps usque ad Feriam III. *ante diem Cinerum observati.*

I. APud Ecclesiam Siculam, quemadmodum apud quàm multas alias antiquus usus invaluit, ut in celebrandis precibus divinis Quadragesimæ rationem Septuagesima obtineret: quamobrem ex Ecclesiasticis Canticis assumptis iis,

iis; quæ luctum, & mœrorem redolent, ea deponuntur, quæ exultationem, & gaudium continent; inter quæ illa lætitiæ vox *Alleluja*, quam tempore S. Damasi Papæ ex Jerosolymorum partibus in Ecclesiam Siculam invectam esse, nos certiores reddit S. Gregorius Magnus (a), Johanni Syracusarum Episcopo rationem reddens, cur eandem lætitiæ vocem tempore tantum Paschali cantari solitam à Siculis ordinasset *dici ad Missas* (ut habent ejus verba) *extra Pentecostes tempora*, vel sicuti explicat Breviarium Romanum (b), *extra id tempus, quod continetur Septuagesimâ, & Paschâ*.

II. Sed quoniam in hac dimittenda voce, juxtà varios nationum, ac populorum mores, ratio non ubique observabatur uniformis: *Dum quædam Ecclesiæ*, teste Durando (c), *deponebant Alleluja cum gaudio magno, aliæ verò cum gemitu, & suspirio*: iccirco quam hac in parte, Gallicano ritui studens, Sicilia tenuit observantiam, exponere muneris nostri esse intelleximus. Antiqua nostra Breviaria, Panormitanæ potissimum, ac Messanensis Ecclesiæ non sine lætitiæ signis *Alleluja* dimitti præscribunt: jubent enim, ut ad Vesperas Sabbati ante Septuagesimam Psalmos singulos triplex *Alleluja*, loco Antiphonæ, comitaretur, duplex verò Versum: *Benedicamus Domino*; adduntque: *Et postea non dicitur Alleluja usque ad Sabbatum Sanctum*. Hanc quoque disciplinam sequendam sibi proposuit iterum, iterumque memoratus Matthæus

(a) *Lib.* 9 *Epist.* 12. aliàs *lib.* 7. *Epist.* 64.
(b) *Die* 12. *Martii Lect.* 6.
(c) *Rational. Divinor. Offic. lib.* 6. *cap.* 24. *n.* 18.

thæus Caldo ſuum Breviarium Gallo-Siculum anno 1512. Venetiis in lucem emittens. Imò intermittendæ decantationi *Alleluja* majorem arbitratus convenire jubilationem, omiſſo Hymno: *O lux beata Trinitas*, uſque ad id temporis in Sicilia recitari ſolito, alterum ceremoniæ dimittendi *Alleluja* proprium admiſit, novam antedicti Breviarii correctionem anno 1527. faciens. Hymnum hunc ab aliis, quòd ſciam, antehac non obſervatum hîc ſubjicere operæ pretium viſum eſt; ſed ut eâ, quæ Hiſtoricum decet, fide agere videar, illum in lucem proſerimus obelis condiſtinctum, & mendis reſperſum, prout in antedicto Breviario reperimus.

Hymnus.

„ Alleluja dulce carmen: vox perennis gaudiis:
„ alleluja laus ſuavis eſt choris cœleſtibus
„ quod canent dei manentes in dono per
„ ſecula.
„ Alleluja leta matrem cecinit hieruſalem: al-
„ leluja vox tuorum civium gaudentium:
„ exules nos flere cogunt babylonis flu-
„ mina.
„ Alleluja non meremur nunc perenne pſallere
„ alleluja nos reatus cogit intermittere:
„ tempus inſtat quo peracta lugeamus cri-
„ mina.
„ Unde laudando precamur te beata Trinitas:
„ ut tuum nobis videre paſcha des in ethe-
„ re: quo tibi leti canamus alleluja per-
„ petim, amen.

III. Dicente Hymno propter hominum peccata dimitti debere *Alleluja*, atque mœrori animum noſtrum admovere Babylonem, quid

verba ista vellent, ad nos attinet exponere: Sciendum equidem est Hymni Auctorem sententiæ Amalarii (a) noni Seculi Scriptoris adhæsisse, qui sustinet Septuagesimam judiciale captivitatis tempus repræsentare; quando Populus Judaicus, qui peccando à Deo recesserat, ab Jerusalem sub Nabuchodonosor Rege in Babylonem ductus est; ubi septuaginta annis duris affectus operibus, organis, & citharis, ut consueverat in patria, non cecinit, exclamans: *Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena?*

IV. Dominicâ istâ, & reliquis usque ad Pascha ex antiquo Ecclesiæ Siculæ ritu ad horarias Preces recitabatur Prima *Magna*, sic dicta, quòd Primâ Dominicis aliis præcinendâ prolixior esset: quæ quibus Psalmis, Orationibus, ac Precibus constabat, dicerem nunc, si fusius non dixissem supra (b), Officium Primæ exponens.

V. Non immorabor huc exhibendis subsequentium dierum usque ad Quadragesimam ritibus, quibus vix aliquid singulare inest. Leve est illud, quod traditur de Feria tertia ante diem Cinerum, in qua, omisso cujusvis occurrentis Sancti Officio, celebrari consueverat de S. Nicolao. Quod quia contrà Ecclesiastici ritus regulas, & ex abusu processerat, doctior inde facta Siculorum Ecclesia id ulterius fieri vetuit, in Breviario superius laudato à Matthæo Caldo anno 1527. emendato ordinans: *Ut Feria III. ultimâ nullo modo fiat de S. Nicolao, prout an-*

(a) *De Ecclesiast. Offic. lib.* 1. *cap.* 1.
(b) *Cap.* 15. *n.* 29.

antiquitus ; quia abusio est , & corruptela. Non prætermittam tamen abusum hunc in Ecclesiis Panormitana, & Messanensi, si tamen in eas unquam irreperit, brevi viguisse: quandoquidem de solemnitate ista S. Nicolai, ne verbum quidem ullum est in earumdem Breviariis M. SS. illo paullo antiquioribus.

CAPUT XXIII.

Generales Quadragesimæ Observantiæ.

I. DE Sancta jam nunc Quadragesima nobis acturis, assignati principalioribus diebus ritus antequam attingantur, non abs re visum est, ut quæ totum Quadragesimale respiciunt tempus, ipsæ primùm in medium adducantur consuetudines.

II. Ex generalibus Quadragesimæ consuetudinibus jejunium primarium obtinere locum, nemo ibit inficias, qui ejus institutionem in toto Orbe Catholico esse antiquissimam non ignorat. In servando igitur Quadragesimali hoc jejunio magna extitit Siculorum religio, utpotè qui non minus, quàm integri anni pœnitentiâ trasgressionis pœnas luerent; quando inobservatæ alterius temporis abstinentiæ quadraginta tantum dierum pœnitentia indicta erat. Id absque ulteriori testimonio planè confirmat Liber Pœnitentialis Siculus charactere Longobardico ante sexcentos, & amplius annos scriptus, in quem ex Bibliotheca Catanensi Romam allatum, oculorum aciem injicere meruerunt viri sapientiores, ac fortunatiores nobis, Lucas Hol- Jejunium Quadragesimale.

ſtenius, & Johannes Morinus. En antiqui hujus Monumenti verba ab eodem Morino exſcripta (a): *Contempſiſti indictum jejunium in Eccleſia contrà decreta Seniorum: quadraginta dies, & ſi in Quadrageſima, annum unum pœniteas.*

III. Quiſquis Eccleſiaſticæ eruditionis prorſus expers non eſt, ſcit profectò, quomodo pœnitentia unius anni digerebatur: & ne omnia memorando prolixus ſim, tantum dicam, quod integrâ Quadrageſimâ, & tribus in unaquaque hebdomada diebus, ideſt ſecundâ, quartâ, & ſextâ Feriâ jejunandum erat in pane, & aqua, & tribus diebus aliis, nempè Feriâ tertiâ, quintâ, & Sabbato abſtinendum à vino, medone, (verbis Codicum Pœnitentialium utor) mellita cervifia, à carne, & ſanguine, à caſeo, & ovis, & ab omni pingui piſce; die verò Dominica, & aliis in Eccleſia celebrioribus pœnitens à jejunio prorſus liber erat, eodem uſus cibo, & potu, quo & ceteri Chriſtiani (b).

IV. Hiſce remiſſionis diebus non gaudebat qui per carnium eſum Quadrageſimale violarat jejunium: ipſe enim niſi omnibus prorſus diebus à carnibus ſe abſtineret, proditæ conſcientiæ haudquaquam dicebatur feciſſe ſatis; ita decrevit aliud Pœnitentiale vetus antiquas inter membranas Panormitanæ noſtræ Eccleſiæ repertum: *Comediſti* (inquit) *carnem in Quadrageſima? ſi feciſti, amplius anni circulo ab omni eſu carnium abſtineas.*

V. Imò

(a) *De Sacram. Pœnit. fol.* 578.
(b) *Conſule Morinum cit. lib. 7. cap.* 20.

V. Imò Siculorum religio de Quadragesimali observantia magis, magisque solicita hujusmodi pœnâ contenta non extitit; sed alio præterea onere contumaces putavit gravandos, scilicet ut per idem tempus Fidelium communione minime gauderent; quemadmodum legisse me memini in Synodo *(a)* Ecclesiæ Montis-Regalis sub Archiepiscopo Alexandro Cardinali de Farnesio prima. Ejus verba subjiciamus: *Omnes igitur, qui sine inevitabili necessitate, evidentique languore, seu ætatis impossibilitate diebus Quadragesimæ esum carnium, aut lacticiniorum attemptare præsumpserint, alienos à sancta communione Fidelium putamus.*

VI. Hactenus novimus qualis curando peccato violatæ abstinentiæ pœna erat indicta: nunc exponamus quid faciendum erat, Quadragesimalis observantiæ prævaricatore in idem scelus recidente. Non eadem tunc pœnitentia, sed longe gravior, qualis erat integræ annorum decadis, assignabatur; ut discimus ex alio antiquo Libro Pœnitentiali Ecclesiæ Syracusanæ, cujus Canones non unos, posterorum utilitati consulens, circa medium Seculi XVI. prælo aptavit ejusdem Ecclesiæ Episcopus Hieronymus Bononius. Hæc sunt antiqui Codicis verba *(b)*: *Solemniter pœnitens, & ad vomitum rediens decem annis pœnitebit.*

VII. Quadragesimale tempus nihilo minus, quàm ciborum abstinentia, honorabile quoque in Sicilia reddidit continentia conjugalis: nam Majores nostros excellentiorem semper devotionem Abstinentia a conjugiis.

(a) *Tit.* 15. *cap.* 5.
(b) *Can.* 40.

nem æmulantes, conjugalem in Quadragesima continentiam religiosissimè observasse neminem latet, qui ipsum Pœnitentiale Siculum à Morino relatum legere non gravatur, cujus verba ad commodiorem Eruditorum usum exscribimus: *Si habet uxorem non concumbat cum ea festis diebus, nec in Quadragesima majore usque ad Octavas Paschæ.*

VIII. Ex S. Ambrosio, aut quovis Auctore alio Sermonis XXV. novæ editionis clara nobis panditur ratio, quamobrem hæc à conjugibus abstinentia in Quadragesima, Octava Paschæ, & aliis festivis diebus exigebatur. Vigebat enim tunc temporis in Ecclesia laudabilis illa disciplina, ut communio in anno frequens esset, in Quadragesima frequentior, & quotidiana: ne igitur Fideles carnali concupiscentiæ incumbentes ad Eucharistiam sumendam minus, quàm par est, mundi invenirentur, maritalem copulam deserere ad tempus cogebantur. Afferamus antedicti Sermonis verba: *Nullus omninò uxori suæ jungatur ante Octavam Paschæ; & exceptis illis, quibus Sacerdos consilium dat, ut non communicent, omnes Christiani omni Dominica debent offerre, & communicare. In Quadragesima verò moneo, ut omni die, aut saltem, ut dixi, omni Dominica offeratis, & communicetis; & icircò puram & mundam vitam ducite, ut digni sitis accedere ad sanctam Communionem.*

Oratio, confessio, & eleemosyna.

IX. Rursus Majores quoque nostros Quadragesimali jejunio, & continentiæ Orationem, confessionem, & eleemosynam adjunxisse, erudit nos Theophanes Cerameus. Is enim ad Si-

Siculos; quibus praeerat Episcopus, Sermonem (a) faciens, sic loquitur: *Praeterea quoniam sacri jejunii tempus adest, ad confessionem festinemus omnes: nec eam quisque praetermittat .... tunc & jejunium sanctum, & eleemosyna erit accepta.* Et iterum (b): *Quotquot igitur cum bonis operibus dies jejunii decurristis, & confessione scilicet, & oratione ..... gaudete, & exultate: laborum quippè prestò sunt praemia.*

Abstinentia à litibus.

X. Praeterea lites, & contentiones in Quadragesima antiquos haud exercuisse Christianos, passim cum S. Augustino Patres testantur (c). Piam hanc observantiam Siculi reveriti, ne sacro jejuniorum tempore aut studio rei familiaris tuendae, aut in proximum odio negotium suum, despectâ Dei causâ, agere viderentur, à litibus & contentionibus per illud tempus laudabiliter cessabant; & qui non veritus erat secus facere, Quadragesimalis observantiae contemptor impudens habebatur; ita praescribitur in antiquis Constitutionibus Synodicis (d) Ecclesiae Montis-Regalis: *Arguit enim Dominus per Prophetam eos, qui contentiones, & lites tempore jejuniorum exercent; ad hoc perfectionis qui non dum pervenit, is Ecclesiae jejunium non dum didicit observandum.*

Preces Officio Quadragesimali additae.

XI. Preces quoque ad solitum Officium superaddendae una ex consuetudinibus in Quadragesima obtinentibus videtur esse; circa quam longe plura veniunt observanda. Sane Ecclesia Si-

(a) *Homil.* 10.
(b) *Homil.* 24.
(c) *Apud Marten. de Antiq. Eccl.discipl. cap.* 18. *n.* 12.
(d) *Synod. Eccl. Montis-Regalis anni* 1554. *tit.* 15. *cap.* 3.

Sicula, Gallorum disciplinæ addicta, quotidiano servitutis penso adjunctis precibus extraordinariis, Quadragesimalem Psalmodiam admodum producebat. Primùm igitur, nisi celebraretur Festum novem Lectionum, quotidie usque ad Sabbatum de Passione adjicebatur (a) in Choro Officium S. Mariæ; quod extra Chorum Sacerdotes, & Clerici ordinibus initiati, tribus tantummodo ex toto anno exceptis diebus, scilicet Feriâ v. vi. & Sabbato majoris hebdomadæ, quotidie recitare debebant (b).

XII. Ex antiquo Breviario M. S. in octavo Ecclesiæ Messanensis, cui concinunt reliqua Gallo-Sicula Venetiis edita, Feriâ iv. in capite jejunii, finitâ Tertiâ, recitari debebant septem Psalmi pœnitentiales, inde cum Litaniis Feriâ ii. Dominicæ i. Quadragesimæ, & deinceps usque ad Sabbatum de Passione, exceptis Dominicis, & Festis, repetendi.

XIII. Quoniam à Feria ii. modo memorata usque ad Sabbatum Sanctum, exceptis Dominicis, Vesperæ ante prandium decantantur, ne ipsa Vesperarum hora precibus vacaret, decernitur in antedicto Breviario Messanensi, ut quotidie usque ad Feriam vi. ante Dominicam Passionis in hora Vespertina recitentur Vigiliæ mortuorum. Sed alius à Messanensi Panormitanam apud Ecclesiam usus invaluit, cui non ab antedicta Feria ii. sed à Feria iii. ante diem Cinerum Defunctorum Officium inchoare mos erat.

XIV.

(a) *Breviarium Gallo-Siculum anno 1527. editum in Rubr. General. §. 11.*

(b) *Idem Breviarium in Offic. B. Mariæ pag. 264.*

XIV. Denique usus toti Siciliæ communis habuit, ut memoratâ Feriâ II. Dominicæ I. Quadragesimæ, & quotidie ad Sabbatum usque de Passione exclusivè ad Preces in Completorio recitari solitas adjiciatur Psalmus: *Domine quid multiplicati* (a).

Commemorationes cõmunes.

XV. De Suffragiis Sanctorum, seu Commemorationibus communibus est observatione dignum, quod in Ecclesia Messanensi illa tantummodo de Pace fieri consueverat: antiquum siquidem ejusdem Ecclesiæ Breviarium, Sabbati post Octavam Epiphaniæ ritus describens, inquit: *Ab hac die, & deinceps usque ad Passionem in Ferialibus diebus, & Festis trium Lectionum semper ad Matutinum, & in Vesperis fit memoria solummodo de Pace*; quando in veteri Panormitanæ Ecclesiæ Breviario decernitur, ut in Quadragesima dimittatur omnino usus celebrandæ cujusvis commemorationis, sic itaque loquitur post Laudes Dominicæ I. Quadragesimæ: *In Dominicis Quadragesimæ, & Ferialibus diebus nulla fit commemoratio*.

Quotidiana Quadragesimæ Psalmodia.

XVI. Quod autem ad Ecclesiasticam Psalmodiam attinet, duo potissimum silentio non involvenda observare mihi contigit: ex quibus, primum illud, quod ex antedicto Panormitanæ Ecclesiæ Breviario quæ Dominica Quinquagesimæ lecta erant Responsoria, ipsa die Cinerum, & tribus inde sequentibus obtinebant. Idem observabatur in reliquis Quadragesimæ hebdomadibus, quarum Feriæ singulæ ex præcedente semper Dominica Responsoria mutuaban-

(a) Supra Cap. 15. n. 45.

bantur. Ergo idem Breviarium exhibens ritus Feriæ IV. in capite jejunii: *Responsoria* (inquit) *de Dominica, & sic agitur per totam Quadragesimam, quando fit de Feria*. Alterum est circa Feriæ commemorationem, quæ celebrato Officio de Sancto fieri solebat, recitata de Homilia ejusdem Feriæ non quidem nona Lectione, sed septima, & octava. Ritum hunc præsefert memoratum Breviarium membranaceum in octavo Ecclesiæ Messanensis: *Occurrente Festo* (ejus verba affero) *semper fit memoria in utrisque Vesperis, & Matutino in septima, & octava Lectione de homilia Feriæ* (a). Breviarium autem Gallo-Siculum anno 1527. excusum excipit Festum Annunciationis Deiparæ quavis Feriæ commemoratione vacans. Exscribamus ejus verba (b): *A Feria* IV. *Cinerum usque ad Feriam* IV. *majoris hebdomadæ, sive Festum duplex fuerit, sive non, semper fit memoria de Feria, excepto in Annunciatione B. Virginis, in quo nulla fit memoria de Feria*.

Missa Quadragesimæ.

XVII. Ceterum Quadragesimæ Missam in antiquis Siculorum Codicibus apparatu ab hodierno Romano planè diverso exhibitam reperimus: porrò in Missalibus Ecclesiæ Messanensis ante primam diei Orationem dici præscribitur: *Flectamus genua*, omisso ante ultimam super populum: *Humiliate capita vestra Deo*; quando ex Ordine Romano, ut scimus, contrà servatur. Missales verò Libri Panormitanus, & Ni-

(a) *In Rubr. General. ante Psalterium* §. *fin.*
(b) *In Rubr. General. post Psalterium* §. 15.

Nicofienfis Meffanenfibus fatis antiquiores ab utroque verfu fe abftinent, tametfi eis non defit Oratio fuper populum, quam in ipfo Ordine Romano comitatur verfus: *Humiliate*, &c. Ex poftremis Miffalibus iftis una tantùm Oratio, quotidie dici debebat, ex Meffanenfibus verò triplex: una fcilicet diei, altera: *Deus, qui non mortem, fed pœnitentiam defideras peccatorum*, &c. tertia: *Pietate tua, quæfumus Domine, noftrorum folve vincula delictorum*, &c. quibus duabus fuperadditis ex ritu omnino fingulari non fuccedebant Orationes, quæ *Secretæ*, & *Poftcommunio* nominantur. Præfatio tandem de jejunio ex ritu Romano Feriâ IV. Cinerum, & deinceps ufque ad Dominicam Paffionis præcinenda, propterea quod in Dominicis diebus non jejunetur, Ecclefiæ Meffanenfi incongruum vifum eft, ac importunum, ut in iftis decantetur: quamobrem quotidianam adhibebat, feu communem. Sed major extitit Panormitanæ Ecclefiæ hac in parte religio, utpote quæ in prima Quadragefimæ Dominica Præfationem reliquis, ut opinor, Dominicis aptandam cantaret, quæ à verbis Evangelii occurrentis non aliena, repræfentat Chriftum, exactis jejunii diebus, efurivifle, non quidem corporalem cibum, fed falutem, & vitam hominum.

CAPUT XXIV.

Feria IV. *in capite Quadragesimæ.*

Solemnis pœnitentiæ impositio.

I. RItus deinceps singulis Quadragesimæ diebus specialiter assignati, ut promisimus, exponantur, & primùm qui in Feria IV. Cinerum obtinebant. Ex his nullus magis observatione indiget, quàm quo pœnitentia solemnis publico peccatori imponebatur: quo in argumento Lectoris commodum nos spectare videmur, si ejus notitiæ excidi non sinamus antiquos Ecclesiæ Siculæ Ordines, vix uno excepto, indiligenti superioris ætatis silentio oppressos; In quibus omnes ceremoniæ, preces, & actiones in impositione ejusdem solemnis pœnitentiæ adhibitæ explicantur.

II. Incipiemus ab antiquissimo Missali Libro Panormitanæ Ecclesiæ in quarto sæpius jam citato, qui imponendæ pœnitentiæ Ordinem post Dominicam in Quinquagesima exhibet. Subsequitur *Collectarium*, seu Orationale ejusdem Ecclesiæ membranaceum in folio multo tardiùs, quàm ille, scriptum: cùm afferat post commune Sanctorum commemorationem S. Francisci de Paula, qui anno millesimo quingentesimo septimo vivere desiit. Inde adducetur in medium Codex Pœnitentialis Catanensis Ecclesiæ sexcentis annis antiquior, & quidem non integer, sed in ea tantum parte, quæ operi nostro illustrando necessaria visa est, prætermissis, uti ab instituto nostro alienis, quæ ad privatam, & quotidianam attinent pœnitentiam; ea nihilominus, diligentiâ nostrâ non contentus, integra

gra legere quiſquis vult, adeat virum eruditiſſimum Johannem Morinum (a). Catanenſem hunc Codicem excipiet Benedictio Cineris, & Cilicii, quæ rationem Ordinis ad pœnitentes in capite jejunii induere videtur, ex Miſſali membranaceo in folio Eccleſiæ Nicoſienſis ab annis circiter cccc. manu exarato. Tandem locum inveniet Ordo aliis recentior Meſſanenſis Eccleſiæ ex duobus ejus Miſſalibus in quarto, & uno in folio ſub exordio xvi. Seculi Venetiis publici juris effectis.

III. Hiſce imponendæ pœnitentiæ ſolemnis formulis adjiciemus Ordinem, quomodo admonitiones die Cinerum ad populum fieri conſueverant ex prima Synodo Eccleſiæ Montis-Regalis, Præſule Alexandro de Farneſio coacta. Eadem conſuetudo promulgandi Feriâ iv. in capite Quadrageſimæ Edictum generale viget nunc in Sancta Panormitana noſtra Eccleſia; Archiepiſcopo Cæſare Marullo inſtitutore, auctoreque primario, ut abſque ulteriori teſtimonio Diœceſana ejus Synodus (a) plane demonſtrat. Hocce Edicto, quòd antedicta Synodus, & aliæ inde celebratæ Lectori præ manibus eſſe poſſunt, chartam noſtram onerare neceſſe minimè fuit. Admonitiones ad populum.

OR-

(a) *Ad calcem Commentar. de Sacram. Pœnit. pag. 577. & ſeq*

(b) *Par. 1. cap. 16.*

ORDO
RECONCILIATIONIS
UNIUSCUJUSQUE POENITENTIS.
Ex M. S. Missali Ecclesiæ Panormitanæ sex circiter Seculorum.

„ *Oratio*.

„ EXaudi, Domine, preces nostras, & tibi „ confitentium parce peccatis, ut quos „ conscientiæ reatus accusat, indulgentia tuæ „ miserationis absolvat. Per.

„ *Alia*.

„ Præveniat hunc famulum tuum, quæ„ sumus Domine, misericordia tua, & omnes „ iniquitates ejus celeri indulgentia deleantur. „ Per.

„ *Alia*.

„ Adesto, Domine, supplicationibus no„ stris, ne sit ab hoc famulo tuo, N. clemen„ tiæ tuæ longinqua miseratio: sana vulnera, „ ejusque remitte peccata, ut nullis à te ini„ quitatibus separatus, tibi Domino semper va„ leat adhærere. Per.

„ *Alia*.

„ Domine Deus noster, qui offensione no„ stra non vinceris, sed satisfactione placaris, „ respice, quæsumus, ad hunc famulum tuum, „ N. qui se tibi peccasse graviter confitetur: „ tuum est enim, absolutionem criminum da„ re, & veniam præstare peccantibus, qui di„ xisti, pœnitentiam te malle peccatorum, quàm „ mortem: concede ergo, Domine, huic, ut tibi „ pœnitentiæ excubias celebret, & correctis

„ acti-

„ actibus suis, conferri sibi à te sempiterna
„ gaudia gratuletur. Per.

„ *Alia*.

„ Adesto, Domine, supplicationibus no-
„ stris, & me, qui etiam misericordiâ tuâ pri-
„ mus indigeo clementer exaudi, & quem non
„ electione meriti, sed dono gratiæ tuæ consti-
„ tuisti operis hujus ministrum, da fiduciam
„ tui muneris exequendi, & ipse in nostro mi-
„ nisterio, quod tuæ pietatis est, operare. Per.

„ *Alia*.

„ Præsta, quæsumus Domine, huic famu-
„ lo tuo, N. dignum pœnitentiæ fructum, ut
„ Ecclesiæ tuæ sanctæ, à cujus integritate de-
„ viarat peccando, admissorum reddatur inno-
„ xius veniam consequendo. Per.

„ *Alia*.

„ Deus humani generis benignissime con-
„ ditor, & misericordissime reformator, qui ho-
„ minem invidiâ diaboli ab æternitate dejectum
„ unici Filii tui sanguine redemisti, vivifica
„ hunc famulum tuum, quem nullatenus tibi
„ mori desideras: & qui non derelinquis de-
„ vium, assume correptum. Moveant pietatem
„ tuam, quæsumus Domine, hujus famuli tui
„ lacrymosa suspiria: tu ejus medere languori-
„ bus: tu jacenti manum porrige salutarem,
„ ne Ecclesia tua aliqua sui corporis portione
„ vastetur; ne grex tuus detrimentum susti-
„ neat; ne de familiæ tuæ damno inimicus
„ exultet; ne renatum lavacro salutari mors
„ secunda possideat. Tibi ergo, Domine, sup-
„ plices preces, tibi fletum cordis effundimus:
„ tu parce confitenti, ut sic in hac mortalitate
„ pec-

,, peccata sua, te adjuvante, defleat, qualiter ,, in tremendi judicii die sententiam damnatio- ,, nis æternæ evadat, & nesciat quod terret in ,, tenebris, quod stridet in flammis: atque ab ,, erroris via ad iter reversus justitiæ, nequa- ,, quam ultra vulneribus saucietur; sed in- ,, tegrum sit ei, atque perpetuum & quod gra- ,, tia tua contulit, & quod misericordia refor- ,, mavit. Per.

,, *Alia.*

,, Dominus Jesus Christus, qui dixit disci- ,, pulis suis: Quæcumque ligaveritis super ter- ,, ram, erunt ligata & in cœlo: & quæcumque ,, solveritis super terram, erunt soluta & in cœ- ,, lo, de quorum numero, quamvis indignos, ,, nos esse voluit: ipse te absolvat per ministe- ,, rium nostrum ab omnibus peccatis tuis, quæ- ,, cumque cogitatione, locutione, vel opera- ,, tione negligenter egisti, atque à nexibus pec- ,, catorum tuorum *absolutum* (*) perducere di- ,, gnetur ad regna cœlorum. Per.

(*) Recentiori manu scriptum.

,, *Benedictio Cineris.*

,, Deus, qui non mortem, sed pœniten- ,, tiam desideras peccatorum, &c. *Extat in Missali Romano.*

,, *Ad Processionem.*

,, *Antiphona.* Exaudi nos, Domine, quoniam ,, benigna est misericordia tua: secundum ,, multitudinem miserationum tuarum re- ,, spice nos, Domine.

,, *Antiph.* Juxta vestibulum, & Altare, &c.

,, *Antiph.* Immutemur habitu, in cinere, & ,, cilicio, &c. *Ambæ exhibentur in Missali Romano.*

,, *Ad*

„ *Ad Introitum*, *Oratio*:

„ Concede nobis, Domine, præsidia mili-
„ tiæ Christianæ, &c. *Legitur quoque in Mis-
sali Romano*.

Inde sequitur Missa.

ORDO
OFFICII POENITENTIUM
IN CAPITE JEJUNII.

Ex M. S. Orationali ejusdem Panormitanæ Ecclesiæ ante annos cc. scripto.

„ PRimò dicuntur septem Psalmi, videli-
„ cet Psal. Domine ne in furore, & alii.
„ *Archico*. Kyrie eleison. Christe eleison. Ky-
„ rie eleison. Pater noster.
„ ℣. Et ne nos. ℟. Sed libera.
„ ℣. Salvos fac servos tuos, & ancillas tuas.
„ ℟. Deus meus sperantes in te.
„ ℣. Convertere, Domine, usquequò.
„ ℟. Et deprecabilis esto super servos tuos.
„ ℣. Mitte eis, Domine, auxilium de sancto.
„ ℟. Et de Sion tueatur te.
„ ℣. Esto nobis, Domine, turris fortitudinis.
„ ℟. A facie inimici.
„ ℣. Domine, exaudi. ℟. Et clamor.
„ ℣. Dominus vobiscum.

„ Oremus. *Oratio*.

„ Adesto, Domine, supplicationibus no-
„ stris, & me, qui etiam misericordiâ tuâ, &c.

„ *Alia Oratio*.

„ Exaudi, Domine, preces nostras, &
„ confitentium tibi, &c.

„ *Alia Oratio*.

„ Præveniat hos famulos tuos, quæsumus
„ Domine, &c.

„ *Alia Oratio*.

„ Adesto, Domine, supplicationibus no-
„ stris, ne sit ab his famulis tuis, &c.

„ *Alia Oratio*.

„ Domine Deus noster, qui offensione no-
„ stra non vinceris, &c. *Omnes habentur in alio Ordine Panormitano supra jam edito*.

„ *Alia Oratio*.

„ Dimitte, Deus, peccata nostra, & tribue
„ nobis tuam misericordiam, & oris nostri allo-
„ quio deprecatus, devotionem, & humilita-
„ tem nostram attende: vincula solve: tribu-
„ lationem inspice: adversitatem repelle: effe-
„ ctumque petitionis nostræ jugiter suscipe: &
„ nos clementer exaudi. Per.

„ *Alia Oratio*.

„ Præsta, quæsumus Domine, his famulis
„ tuis dignum pœnitentiæ fructum, &c.

„ *Absolutio*.

„ Dominus Jesus Christus, qui dixit disci-
„ pulis suis: Quæcumque ligaveritis, &c. *Utraque legitur in antedicto primo Ordine Panormitano*.

„ *Absolutio*.

„ Absolvimus vos vice B. Petri Apostolo-
„ rum principis, cui Dominus ligandi, atque
„ solvendi potestatem dedit: & quantum ad nos
„ pertinet, sitis absoluti ante tribunal Domini
„ nostri Jesu Christi, & habeatis vitam æter-
„ nam, & vivatis in secula seculorum. Amen.

„ Alia

,, *Alia Abſolutio*:

,, Abſolutionem , & remiſſionem omnium ,, peccatorum veſtrorum, & ſpatium veræ pœnitentiæ, & emendationem vitæ, & cor pœ- ,, nitens per gratiam Sancti Spiritus tribuat vo- ,, bis omnipotens, & miſericors Dominus. Amen.

,, *Benedictio Cineris*

,, *Oratio*.

,, Omnipotens ſempiterne Deus, parce me- ,, tuentibus, ignoſce peccantibus, propitiare ,, ſupplicibus: & mittere digneris ſanctum An- ,, gelum tuum de cœlis, &c. *Inde ſequitur ut in Miſſali Romano*.

,, *Tunc aſpergatur aqua benedicta ſuper* ,, *Cineres*, *&* *in ponendo ſuper capita hominum* ,, *dicat*: Homo memento, quia cinis es, & in ,, cinerem reverteris. *Et interim cantet Chorus* ,, *has Antiph.* Immutemur habitu. *Antiph.* Juxta ,, veſtibulum. *Quibus expletis, dicat hanc*

,, *Oratio*.

,, Concede nobis, Domine, præſidia mili- ,, tiæ Chriſtianæ, &c. *Exhibetur in Miſſali Romano*.

,, *Hac Oratione finita, deſcendat Clerus* ,, *in medio Eccleſiæ cum proceſſione*, *&* *Epi-* ,, *ſcopus præcedat ad Eccleſiæ januas, ut eji-* ,, *ciat Pœnitentes, incipiendo hoc* ℟. In ſudo- ,, re vultus tui. ℣. Pro eo.

ORDO

ABSOLUTIONIS SUPER POENITENTES.

Ex M. S. Pœnitentiali Ecclesiæ Catanensis sexcentis annis antiquiori (a).

„ Domine, non secundùm peccata nostra
„ facias nobis.
„ ℟. Neque secundùm.
„ Ne simul tradas nos, Deus, cum peccato-
„ ribus.
„ ℟. Et cum operantibus iniquitatem.
„ Domine, ne memineris iniquitates nostras an-
„ tiquas.
„ ℟. Citò nos anticipent.
„ Adjuva nos, Deus salutaris noster.
„ ℟. Et propter honorem.
„ Fiat, Deus, misericordia tua super nos.
„ ℟. Sicut.
„ Esto nobis, Domine, turris fortitudinis.
„ ℟. A facie inimici.
„ Domine, exaudi orationem meam.
„ ℟. Et clamor meus.
„ *Vox confitentis peccata sua.*

Confessio generalis.

„ Tu, Domine, creator meus, redemptor „ meus, judex meus, nosti peccata mea, quia „ tu nosti omnia antequam fiant: timeo judi- „ cium tuum, quia contempsi præcepta tua, „ sed non despero de venia, quia tu dixisti „ nolle mortem peccatoris, nec lætaris in per- „ ditione malorum: ne ergo diabolus possit in „ die

(a) *Apud Johannem Morinum in fine Commentar. de Sacram. Pœnit. pag. 578.*

„ die mortis meæ pro malis meis, me ad di-
„ ſperationem trahere; confiteor tibi, & huic
„ famulo tuo omnia mala mea hodie, certus
„ per omnia de indulgentia, quia pius, &
„ omnipotens es.

„ *Tunc dicat Sacerdos*:

„ Chriſtus Filius Dei, qui ſcit fragilitatem noſtram, miſereatur tui, & dimittat tibi omnia peccata, quæ ab infantia tua feciſti uſque in hodiernum diem, præterita, præſentia, & futura, quæcumque feciſti ſciens, ſeu neſciens, cogitando, vel comittendo, loquendo, vel operando, liberet te ab omni malo, conſervet te in omni bono, & perducat te in vitam æternam. ℟. Amen. Abſolutio.

„ *Tunc proſternat ſe in vice Dei ad pedes Sacerdotis, ita dicens*: Recipe me ſceleratum in vice judicis mei, quia non eſt, quò fugiam, niſi ad te, confitendo tibi peccata mea. *Recepto à Sacerdote, fiat oratio cum Pſalmo iſto*: Ad te levavi oculos. *Et ſequatur ammonitio Scripturarum ſanctarum: deinde dicatur hæc*

„ *Oratio*.

„ Exaudi, Domine, preces noſtras, &c.

„ *Alia*.

„ Adeſto, Domine, ſupplicationibus noſtris, nec ſit ab hoc famulo tuo, &c.

„ *Alia*.

„ Domine Deus noſter, qui offenſione noſtra non vinceris, &c. *Extant omnes in antedicto primo Ordine Panormitano*.

„ *Alia*.

„ Precor, Domine, clementiam tuam, tuæ ma-

„ majestatis, ac nominis, ut huic famulo tuo, „ N. peccata, & facinora sua confitenti veniam „ dare, & præteritorum criminum errata rela- „ xare digneris, qui humeris tuis ovem perdi- „ tam reduxisti ad caulas. Per.

„ *Alia*.

„ Deus, qui publicani precibus, vel con- „ fessione placatus es, tu etiam, Domine, huic „ famulo tuo, N. placare, tu ejus precibus be- „ nignus assiste, ut in confessione placabili per- „ manens clementiam tuam celeriter exoret, & „ sanctis, ac sacris Altaribus restitutus, spei rur- „ sus æternæ, & cœlesti gloriæ reformetur. Per.

„ *Alia*.

„ Adsit, quæsumus Domine, huic famulo „ tuo, N. inspiratio gratiæ salutaris, quæ cor „ ejus fletuum ubertate resolvat, sicque se ma- „ cerando conficiat, ut iracundiæ tuæ motus „ idonea satisfactione compescat. Per.

„ *Alia*.

„ Omnipotens sempiterne Deus, qui es „ verus sanctus, ac Sanctorum omnium prote- „ ctor, te pium Dominum devotis mentibus „ deprecamur pro famulo tuo, N. ut ei indul- „ gentiam tribuas omnium delictorum suorum, „ & ne iterum ad voluntatem peccandi redeat, „ propitius eum custodire digneris. Per.

„ *Alia*.

„ Precamur, Domine, ut intercedentibus „ omnibus Sanctis tuis, famulo tuo, N. indul- „ gentiam concedas, fide, spe, & charitate „ eum repleas, mentem ejus ad cœlestia desi- „ deria erigas, & ab omni adversitate eum de- „ fendas, & ad bonam perseverantiam perdu- „ cas. Per.

OR-

ORDO
BENEDICTIONIS
CINERIS, ET CILICII.

Ex M. S. Missali Ecclesiæ Nicosiensis anno MCCCXLVI. *scripto*.

„ OMnipotens sempiterne Deus; qui pec-
„ catoribus, & confitentibus, & pœni-
„ tentibus pietatis tuæ misericordiam, & ve-
„ niam tribuisti: oramus clementiam tuam, ut
„ indumentum, quod vocatur Cilicium, &
„ Cinerem bene ✝ dicere, & sancti ✝ ficare
„ digneris, ut quicumque eo pro peccatis in-
„ dutus fuerit, & misericordiam tuam implo-
„ raverit, veniam, & indulgentiam misericor-
„ diæ tuæ consequetur. Per.

ORDO
SOLEMNIS POENITENTIÆ
IN CAPITE QUADRAGESIMÆ.

Ex triplici Missali Ecclesiæ Messanensis; uno anno MDXXVII. *edito, altero* MDXXXIV. *tertio* MDXXXVIII.

„ F*Eria* IV. *in capite jejunii conveniat po-*
„ *pulus ad Ecclesiam, & ante Missam be-*
„ *nedicuntur. Cineres facti de ramis benedictis:*
„ *& dicuntur prius septem Psalmi cum Ora-*
„ *tionibus suis. Antiphona*: Ne reminiscaris,
„ Domine, delicta nostra, vel parentum no-
„ strorum: neque vindictam sumas de peccatis
„ nostris. *Psalmus*: Domine, ne in furore tuo.

„ *Psal.*

„ *Psal.* Beati, quorum. *Psal.* Domine, ne in „ furore. *Psal.* Miserere mei Deus. *Psal.* Do„ mine, exaudi. *Psal.* De profundis. *Psal.* Do„ mine, exaudi. Kyrie eleison. Christe eleison. „ Kyrie eleison. Pater noster. ℣. Et ne nos.
„ ℣. Esto nobis Domine. ℟. A facie inimici.
„ ℣. Mitte eis Domine.
„ ℟. Et de Sion tuere eos.
„ ℣. Esto nobis, Domine, turris fortitudinis.
„ ℟. A facie inimici.
„ ℣. Domine, exaudi. ℟. Et clamor meus.
„ ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum.

„ Oremus. *Oratio.*

„ Adesto, Domine, supplicationibus no„ stris, & me, qui etiam misericordiâ, &c.

„ *Oratio.*

„ Exaudi, quæsumus Domine, supplicum „ preces, & confitentium tibi parce peccatis, &c.

„ *Oratio.*

„ Præveniat hos famulos tuos, quæsumus „ Domine, &c.

„ *Oratio.*

„ Domine Deus noster, qui offensione no„ stra non vinceris, &c. *Omnes exhibentur in primo Ordine Panormitano.*

„ *Oratio.*

„ Dimitte, Deus, peccata nostra, & tribue „ nobis, &c.

„ *Oratio.*

„ Præsta, quæsumus Domine, his famulis „ tuis, &c. *Ambæ leguntur in altero Ordine Panormitano.*

„ *Alia Oratio.*

„ Dominus Jesus Christus, qui dixit disci-

pu-

„ pulis suis, &c. *Publicata est supra in primo Ordine Panormitano.*

„ *Alia Oratio.*

„ Absolvimus vos vice B. Petri Apostolo-„ rum principis, &c. *Inde sequitur, ut in secundo Ordine Panormitano.*

„ *Alia Oratio.*

„ Absolutionem, & remissionem omnium „ peccatorum vestrorum tribuat vobis omni-„ potens, pius, & misericors Dominus. Amen.

Benedictio Cineris, & dicitur legendo.

„ Omnipotens sempiterne Deus, parce me-„ tuentibus, ignosce peccantibus. *Et sequitur ut in Missali Romano.*

„ *Deinde aspergat Cinere aquâ benedictâ.*

„ *Quando Sacerdos ponit Cinerem* : Memento „ homo, quia cinis es, & in cinerem rever-„ teris.

„ *Antiphon*. Sanctus Deus, Sanctus fortis, San-„ ctus & immortalis, qui tollis peccata „ mundi, miserere nobis.

„ ℣. Qui sedes ad dexteram Patris; miserere „ nobis.

„ *Antiph.* Immutemur habitu in cinere, &c.

„ *Antiph.* Juxtà vestibulum, & Altare, &c.

„ *His expletis dicat Presbyter hanc Ora-„ tionem.*

„ Concede nobis, Domine, præsidia, &c. *Extat unà cum antedictis duabus Antiphonis in Missali Romano.*

„ *Postea descendat Clerus in medio Eccle-„ siæ cum processione, & Episcopus, si adfuerit; „ sin autem Presbyter præcedat ad Ecclesiæ ja-„ nuas, ut ejiciat Pœnitentes, incipiendo hoc*

 „ ℟. In

„ ℟. In ſudore vultus tui veſceris pane tuo;
„ dixit Dominus ad Adam: cùm operatus
„ fueris terram non dabit fructus ſuos; *
„ Sed ſpinas, & tribulos germinabit tibi.
„ ℣. Pro eo quod obediſti voci uxoris tuæ
„ pluſquam mihi: maledicta terra in opere
„ tuo. Sed ſpinas.
„ *Hoc expleto, exeuntes cum proceſſione, inci-*
„ *piat Cantor has Antiphonas, quæ ſub-*
„ *ſequuntur, & eant circa Eccleſiam.*
„ *Antiphona*: Exaudi nos, Domine, quoniam
„ benigna eſt miſericordia tua: ſecundùm
„ multitudinem miſerationum tuarum re-
„ ſpice nos, Domine.
„ *Pſalmus*: Salvum me fac, Deus.
„ *Antiph.* Propitius eſto, Domine, peccatis no-
„ ſtris propter nomen tuum, ne quando
„ dicant gentes: Ubi eſt Deus eorum.
„ *Pſal.* Deus venerunt gentes.
Poſtea ſequitur Miſſa.

ADMONITIONES AD POPULUM
IN DIE CINERUM

Ex Synodo Eccleſiæ Montis-Regalis circa medium XVI. *Seculi celebrata* (a).

„ *IN die Cinerum, & Dominica ſequenti,*
„ *quando in Eccleſia major populi multi-*
„ *tudo aderit ante prædicationem, aut in Miſſæ*
„ *Offertorio, aut aliâ horâ magis opportunâ*
„ *tàm in Cathedrali, quàm in Parrochiis, &*
„ *aliis*

(a) *Synodus Alexandri Cardinalis de Farneſio pag.* 125 *& ſeq.*

„ *aliis locis Diœcesis, Statuimus præsentes ad-*
„ *monitiones fieri.*

„ Admonetur omnes utriusque sexus Christi „ Fideles, qui ad ætatem pervenerint discretio- „ nis, ut in hac Sanctissima Quadragesima om- „ nia eorum peccata proprio Sacerdoti devotè „ confiteri velint, juxtà Sanctæ Romanæ Eccle- „ siæ præceptum.

„ Item peracta eorum confessione omnes „ debeant, prout tenentur, Sanctissimum Eu- „ caristiæ Sacramentum sumere, nisi de proprii „ Sacerdotis consilio duxerint abstinendum: aliàs „ non confitentes, & communicantes per to- „ tam Octavam Paschæ excommunicabuntur, „ & tali statu decedentes Ecclesiasticâ carebunt „ sepulturâ, ac vivi à divinis expellentur.

„ Quilibet insuper in Paschate Sanctissi- „ mum Sacramentum à proprio Sacerdote in „ sua Parrochiali Ecclesia sumere debeat; nec „ aliquis Sacerdotum, aut Religiosorum aliquem „ non suum Parrochianum sub pœna excom- „ municationis admittere aliquo modo audeat, „ nisi de proprii Sacerdotis licentia.

„ Omnes etiam utriusque sexus tàm Cle- „ rici, sive conjugati, sive soluti fuerint con- „ cubinas eorum à se, & eorum domibus, & „ conversatione effectivè expellere debeant, sub „ pœnis in Constitutionibus Synodalibus con- „ tentis.

„ Item omnes utriusque sexus sani cor- „ poris, & alio canonico impedimento non im- „ pediti debeant totam Sanctissimam Quadra- „ gesimam jejunare, abstinentes à carnibus, la- „ cticiniis, caseo, & ovis, nisi de consilio utrius-

„ què Medici aliter esset faciendum.

„ Medici omnes ad infirmos vocati, ut ad „ communicandum, & confitendum pectora eo- „ rum inducant, cùm infirmitas corporalis ex „ spirituali plerumque procedat: & adhibita „ pharmaca magis proficiunt; quod si effectivè „ infirmi non fecerint, ultrà triduum eos visi- „ tate sub excommunicationis pœna nullatenus „ debeant.

„ Cum omnes utriusque sexus teneantur „ juxtà Apostoli sententiam suorum maximè, „ aut domesticorum curam habere, admonen- „ tur omnes Patres, Matres familias, ut Filios, „ & Filias religiosè nutriant, & quæ ad pie- „ tatem, & Religionem Christianam spectant „ edoceant: à blasphemia, inhonestis, & la- „ scivis verbis, Filias à fucis, & pigmentis ab- „ stinere instruant: Famulos, Ancillas, & alios „ tàm domesticos, quàm agrestes, & campestrio „ exercitio occupatos ad confitendum, & com- „ municandum in Paschate admoneant, & ad id „ faciendum facultatem præstent: blasphemos, „ & alios notabili vitio laborantes, si moniti „ non desistunt apud se non retineant: cibum „ cum gratiarum actione sumere præcipiant, „ alioquin rationem in die judicii pro eis erunt „ reddituri.

CAPUT XXV.

De Dominica 1. *Quadragesimæ, aliisque diebus usque ad Dominicam in Palmis.*

I. PRima Quadragesimæ Dominica apud Græcos inscribitur: ἡ κυριακὴ τῆς ὀρθοδοξίας περὶ τῶν ἁγίων εἰκόνων. *Dominica Orthodoxiæ de Sanctis Imaginibus*: quandoquidem Sacrarum in ea Imaginum priori cultui ope Michaelis Imperatoris, ejusque Matris Theodoræ restitutarum solemnis colitur memoria. Diem istam Majores nostros, cùm adhuc Græcæ disciplinæ legibus obsequerentur, summo reveritos esse honore, testatur sapientissimus ille, ac eloquentissimus Theophanes, sive Gregorius Cerameus in ea, quam ad majorem hujusce festi lætitiam Tauromenii habuit Homiliam (*a*), sic eam exordiens: *Præclara diei festi celebritas instat hodie religionis amantibus vobis, qua venerandarum Imaginum adorationis recoluntur Encænia: ideoque omnis Christiani populi multitudo huc congregata est spiritualem lætitiam perceptura*; ex qua, aliisque præclaris ingenii ejus monumentis multum Catholicæ fidei accessisse utilitatis contra omnis generis Dei hostes, diximus supra (*b*) cum Scorso, & Combefisio. Ex quibus ille potissimum planè demonstrat, Theophanem Homiliis suis auro, & cedro dignissimis adversus antiquiores Christianæ Religionis inimicos, Arium, Macedonium, Eunomium, Nestorium, Eutychetem, ejusque se-

Dominica 1. apud Græcos quàm solemnis.

(a) *Homil.* 20.
(b) *Cap.* 11. *n.* 3.

fectatores Acephalos, & Armenios, impiissimumque Julianum Apostatam strenuè certavisse, & in Græcos Schismaticos, Calvinistas, & alios, qui venturi erant, hæreticos arma posteris stringenda reliquisse.

Præfatio propria in ea decantata.

II. Sed age in viam redeamus, Gallicani ritus, Græco nunc omisso, recordati. Ex ceremoniis Dominicâ istâ adhibitis nihil singulare occurrit, nisi Præfatio propria ex antiquissimo Missali sæpius jam laudato Panormitanæ Ecclesiæ, dicenda.

Feria v. Dominicæ I.

III. Feriâ v. Dominicæ I. ex antiquo Siculorum ritu legi consueverat Evangelium Johannis: *Dicebat Jesus ad eos, qui crediderunt ei.*

Sabbatum quatuor temporum.

IV. Sabbato quatuor temporum nullum ex Missali superius laudato Panormitanæ Ecclesiæ dicendum erat, *Flectamus genua*; quod Missales Libri Messanenses hac in parte juxtà Ordinem Romanum, ad omnes Orationes, postremâ exceptâ, admittunt.

Dominica II.

V. Dominicâ II. ex ritu toti Siciliæ communi, omisso transfigurationis Evangelio, illud Cananææ ex Missali Romano in antedicta Dominica I. legendum, adhibebatur.

Feria v. Dominicæ II.

VI. Feria v. sequente in Officio Missæ, & Psalmodiæ non obtinebat Evangelium de Divite, & Lazaro, sed illud ex Johanne desumptum: *Non possum à me ipso facere quidquam.*

Feria v. Dominicæ III.

VII. Etsi de Evangelio Dominicæ III. cum hodiernâ Romanâ antiqua nostra conveniat Ecclesia, ipsæ tamen de Evangelio Feriæ v. ejusdem Dominicæ, sibi ambæ discrepant: nàm loco Evangelii de Socro Simonis ex ritu Romano recitandi, in Sicilia dicebatur illud Johannis:

Ope-

Operamini non cibum, qui perit.

VIII. Ad Feriam v. quæ Dominicam IV. excipit, antiqui Ecclesiæ nostræ Libri Evangelium pertinere insinuant ex Johanne: *Pater meus usque modo operatur, & ego operor.* Feria v. Dominicæ IV.

IX. Quod de Evangelii lectione observavimus hactenus, id non in una modò, verum & in omnibus Provinciæ nostræ Ecclesiis ad Missarum solemnia, matutinamque Psamodiam obtinuisse antiquorum Codicum mira consensio probat. Inter quos tamen id intercessisse discriminis comperimus, quod ex triplici Missali Ecclesiæ Messanensis Sabbato ejusdem hebdomadæ recitari solebat Epistola: *Omnes sitientes venite ad aquas.* Quando Epistolarum Liber, aliique M. SS. Codices Panormitanæ Ecclesiæ, ab Ordine Romano in hac parte non variantes, Epistolam illam legendam præscribunt: *In tempore placito exaudivi te.* Sabbatum Dominicæ IV.

X. Libeat nunc exponendis Dominicæ v. ceremoniis paullulum immorari. Tametsi nulla sit Quadragesimæ dies, cui Dominicæ Passionis contemplandæ idonea desit opportunitas; singulari tamen ratione hac in hebdomada ad celebrandam ejusdem Passionis memoriam animari Christianorum corda, atque moveri videntur, quovis lætitiæ signo in divinis celebrandis precibus deposito. Messanensis Ecclesia, ejus antiquis Missalibus testantibus, ad majorem tristitiæ demonstrationem Hymnum quoque, seu Antiphonam, *Salve Regina*, præ ejus ætatis more, in fine Missæ dicendam omittebat. Similis ritus haud obtinuit in Sacris Cursibus, in quibus hoc Passionis tempore *usque ad Feriam* Hebdomada de Passione.

IV.

IV. *majoris hebdomadæ* adhibebatur memorata Antiphona, *Salve Regina*, ut decernitur in Breviario Gallo-Siculo anno 1527. Venetiis in lucem emisso. *(a)*

CAPUT XXVI.

Dominica in Palmis.

Palmarum benedictio.

I. DOminica Palmarum adeo singulari ritu gaudet, ut principalioribus anni solemnitatibus non immeritò valeat æquiparari: nam celebratur in ea Palmarum benedictio, quam unam ex antiquioribus Ecclesiæ ceremoniis habendam esse, ex altissimo illorum silentio, qui ante nonum seculum scripserunt, negat Edmundus Martene *(b)*. Et sanè ex iis ipsis, qui hujusmodi benedictionis recordantur, nullum ei videre contigit antiquiorem Amalario, clarente tempore Ludovici Pii Occidentis Imperatoris, quem Operis Patronum appellavit.

Ejus antiquitas in Sicilia.

II. Quidquid tamen sit de Ecclesiis aliis ad Siculam quod attinet, extra omnem ingenii aleam positum est, eam in admittenda hac observantia vix uni cessisse: quandoquidem noster Theophanes, seu Gregorius Cerameus (qui, si ejus doctissimo, fidelissimoque Interpreti Francisco Scorso *(c)* credimus, ipso eodem Seculo nono Ecclesiam Tauromenitanam illustravit) devotam de benedicendis, gestandisque in mani-

(a) *In Rubr. Sabbati ante Dominicam Passionis.*
(b) *De Antiq. Eccl. Discipl. in Divinis celeb. Offic. cap.* 20.
(c) *In Homil. Theoph. Ceram. proœm.* 2. §. 4.

nibus Palmarum frondibus, ramisque Olivarum disciplinam non uti instituendam, sed institutam jam commemorat, Homiliam (a) ipsi solemnitati propriam ad populum habens, inscriptam: Εἰς τὴν βαϊοφόρον ἑορτήν. *In Solemnitate Palmarum*. Ubi ex Evangelii Historia, & Ecclesiæ observantia mysticum, & allegoricum sensum eruens, ad informandos auditorum mores totum incumbit; hæc inter alia exhibens verba: *Plantis hisce similes, quas gestamus in manibus, nos præstemus.....plantemur ut Oliva fructifera in domo Dei......est etiam optimum factu Palmas imitari*.

III. Quibus signanter precibus, actionibus, & ceremoniis ex ritu Gallicano, cui illustrando nunc vacamus, absolvebatur Palmarum benedictio, distributio, & processio, demonstrant duo Ordines, qui hoc novo opere è tenebris revocantur in lucem: alter ex duplici antiquissimo Missali Ecclesiæ Panormitanæ: alter ex tribus Missalibus totidem memoratis Ecclesiæ Messanensis, quibuscum de tribus ad benedicendos ramos Orationibus convenit Orationale ejusdem Panormitanæ Ecclesiæ, & de Processionis ordine, paucis exceptis, Missale Nicosiense. Ex iis, de quibus discrepat, illud præcipuum, quod Evangelio præmittit Epistolam ex Libro Exodi, qualem exhibet hodiernum Missale Romanum.

(a) *Homil.* 26.

ORDO

BENEDICTIONIS PALMARUM.

Ex duplici Missali Ecclesiæ Panormitanæ, uno in quarto sex circiter seculorum, altero paris antiquitatis in folio.

„ DEus, cujus Filius pro salute generis huma-
„ ni de cœlo descendit ad terras, & appro-
„ pinquante hora passionis suæ Jerosolymam in
„ asino venire, & à turba Rex appellari vo-
„ luit: bene✝dicere digneris hos Palmarum,
„ ceterarumve frondium ramos: & omnes, qui
„ eos laturi sunt; ita benedictionis tuæ dono re-
„ pleantur, quatenus & in hoc seculo hostis
„ antiqui tentamenta superare, & in futuro
„ cum palma victoriæ, & fructu bonorum ope-
„ rum tibi valeant apparere. Per.

„ *Alia*.

„ Quæsumus omnipotens Deus, his ramis,
„ & floribus benedictionem tuam dignanter im-
„ pendas, quos ad honorem, & gloriam san-
„ cti nominis tui cœtus parat gestare Fidelium:
„ præstesque propitius, ut ea, quæ hodierna die
„ asello sedens, turbisque tibi Hosanna cla-
„ mantibus, Jerusalem ingrediens, significari
„ voluisti, & competenter intelligamus, &
„ devotè tuâ gratiâ exequamur: quatenus &
„ ipsi, te largiente, felicem de hoste nostro
„ agere triumphum, & cœlestis Jerusalem, tua
„ perpetua contemplatione donati, mereamur
„ introitum. Per.

„ *Alia*.

„ Omnipotens sempiterne Deus, qui Do-
„ mi-

„ minum nostrum Jesum Christum , &c. *Extat, quibusdam immutatis verbis, in Missali Romano.*

„ *Evangelium* Cum appropinquasset. *Ex solo Missali in folio: tùm ex utroque Antiphonæ, & Versus, quæ sequuntur.*

„ *Ante portam Civitatis.*

„ *Antiph.* Collegerunt Pontifices, & Pharisæi
„ Concilium, &c.

„ ℣. Unus autem ex ipsis, Caiphas nomine „
„ &c.

„ Ne forte veniant Romani, &c.

„ *Antiph.* Cum audisset populus, quia venit
„ Jesus Jerosolymam, &c.

„ *Ad introitum.*

„ ℣. Gloria laus, & honor, &c.

„ ℣. Israel es tu Rex, &c.

„ ℣. Cœtus in excelsis, &c.

„ ℣. Plebs Hebræa tibi, &c. *Antiphonæ supradictæ, & Versus exhibentur, diverso tamen ordine, in Missali Romano.*

„ *Antiph.* Pueri Hebræorum vestimenta.

„ *Antiph.* Pueri Hebræorum tollentes ramos.

„ *Antiph.* Turba multa.

„ *Antiph.* Occurrerunt turbæ.

„ *Antiph.* Cœperunt omnes turbæ. *Postrema hac Antiphona excepta, aliæ, diverso quoque ordine, leguntur integræ in Missali Romano.*

„ *Antiph.* Cum appropinquaret Dominus Jero-
„ solymam, &c.

„ *Antiph.* Ante sex dies solemnis Paschæ, &c. *Ambæ extant in antedicto Missali Romano.*

„ ℟. Dominus Jesus ante sex dies Paschæ ve-

,, nit Bethaniam, ubi fuerat Lazarus mor-
,, tuus, quem suscitavit Jesus.
℣, Convenerunt autem ibi multi Judæorum,
,, ut & Lazarum viderent.
,, ℟. Ingrediente Domino. *Forte sequebatur hoc* ℟. *ut in Missali Romano.*
Inde Missa cum Præfatione propria.

ORDO
BENEDICTIONIS PALMARUM.

Ex tribus Missalibus jam editis Ecclesiæ Messanensis, ex parte concordantibus Orationali Panormitano, & Missali Nicosiensi manu exaratis.

,, *Dominicâ in Palmis horâ secundâ, convenientibus omnibus ad Ecclesiam, in primis cantent Tertiam; quâ expletâ, ponantur ante Altare Palmarum, & Olivarum rami: postea faciat Sacerdos aquam benedictam. Sequitur Benedictio Palmarum.*

,, *Oratio.*

,, Deus, cujus Filius pro salute, &c. *Extat supra in Ordine Panormitano.*

,, *Alia Oratio.*

Benedictio Palmarum.

,, Deus humanæ fragilitatis præsidium, qui ,, unigenito Filio tuo Domino nostro Jesu Christo Jerusalem pergenti Hebræorum pueros ,, cum ramis Palmarum occurrere voluisti, & ,, ex eorum vocibus Hosanna clamantium in ,, excelsis, Prophetæ vaticinium veritatis attestatione docuisti esse completum: humilitatis ,, nostræ vota propitius respice, ut hos ramos Oli-

„ Olivæ, ac Palmarum, quos tui famuli de-
„ vota mente fuscipiunt, cœlesti benedictione
„ sancti ✝ fica, & corda Fidelium gratiæ tuæ
„ rore perfusa, ad Dominicæ resurrectionis
„ diem synceris mentibus pervenire concede.
„ Per eundem.

„ *Alia Oratio.*

„ Omnipotens sempiterne Deus, supplices
„ te deprecamur, ut sicut olim Hebræorum
„ pueri, ita & nos unigenito Filio tuo Domi-
„ no nostro Jesu Christo, appropinquante hora
„ passionis ejus exultantes concedas occurrere:
„ ut quod tunc per infantiam portantem Pal-
„ marum ramos figuratum est, hoc nos per in-
„ nocentiam læta veritate fidei offeramus. Per
„ eundem.

„ *Postea incenset Sacerdos Altare, & Pal-* Palmarum distributio.
„ *mas, & aspergat super ramos aquam be-*
„ *nedictam; deinde accipiat Episcopus, vel Sa-*
„ *cerdos major Palmam unam, incipiens hanc*
„ *Antiph.* Pueri Hebræorum tollentes ramos Oli-
„ varum, &c.

„ *Antiph.* Pueri Hebræorum vestimenta pro-
„ sternebant in via, &c. *Amba habentur*
etiam in Missali Romano.

„ *Antiph.* Cum Angelis, & pueris fideles inve-
„ niamur triumphatori mortis clamantes:
„ Hosanna in excelsis.

„ *Et iterum distribuit Palmas; & Oli-* Processio extra Civitatem.
„ *vas; & postea exibunt cantando hoc Respon-*
„ *sorium: & fiat processio extra Civitatem*
„ *ad aliquam Ecclesiam proximam: & ibidem*
„ *dicatur Sermo.*

„ ℟. Dominus Jesus ante sex dies Paschæ. &c.

„ ℣.

„ ℣. Convenerunt autem ibi multi Judæorum, &c. *Exhibetur utrumque totidem verbis in superiore Ordine Panormitano.*

„ ℟. Cogitaverunt autem principes Sacerdotum, „ ut Lazarum interficerent, * Propter quem „ multi veniebant, & credebant in Jesum.

„ ℣. Testimonium ergo perhibebat turba, quæ „ erat cum eo quando Lazarum vocavit „ de monumento, & suscitavit eum à mor- „ tuis. Propter.

„ ℟. Cùm audisset turba, quia venit Jesus Je- „ rosolymam, * Cum ramis Palmarum pro- „ cesserunt ei obviam.

„ ℣. Cùm appropinquasset à descensu montis „ Oliveti, omnes turbæ gaudentes, & „ Deum voce magna collaudantes. Cum „ ramis.

„ ℟. Venit Dominus Jesus in Bethaniam juxta „ Jerosolymam, ubi Lazarus fuerat mor- „ tuus, & Maria erat, quæ unxit Domi- „ num unguento, & tersit pedes capillis „ suis, cujus Frater Lazarus mortuus fue- „ rat: Martha ergo, ut audivit, quia Je- „ sus venit, occurrit illi dicens: Domine „ si fuisses hîc, Frater meus mortuus non „ fuisset: nunc scio, Domine, quia quæ- „ cumque poposceris à Deo dabit tibi Deus.

„ *Antiph.* Cùm appropinquaret Dominus Jero- „ solymam, &c.

„ *Antiph.* Ante sex dies solemnitatis Paschæ, „ quando venit, &c. *Utraque legitur in Missali Romano.*

Crucis adoratio.

„ *Cum appropinquabunt Cruci, Cantor* „ *incipiet Antiphonam:* Cum audisset, *& præ-* „ *ce-*

„ *cedent quatuor, vel sex, & stabunt ultra*
„ *Crucem ex adverso, & dicent:* Hic est.
„ *Antiph.* Cum audisset populus, quia Jesus
„ venit Jerosolymam, &c. *Ut in Missali Romano.*

„ *Tunc incipiet Cantor Antiphonam, &*
„ *una pars Chori cum eo flectet genua tribus*
„ *vicibus, & alia pars Chori similiter, & di-*
„ *citur tribus vicibus.*
„ *Antiphona*: Occurrerunt turbæ cum floribus,
&c. *Extat quoque in Missali Romano.*

„ *Hanc Antiphonam postea Cantor inci-*
„ *piet*: Hosanna filio David: benedictus qui
„ venit in nomine Domini: Rex Israel: Ho-
„ sanna in excelsis. *Quâ finitâ, legat Evan-*
„ *gelium secundum Matthæum*: In illo tem-
„ pore: Cùm appropinquasset Jesus Jerosoly-
„ mis, &c. *Finito Evangelio, ad populum fiat* Sermo ad
„ *Sermo: peracto Sermone revertantur ad* populum.
„ *Ecclesiam cantando hoc*
„ ℟. Collegerunt Pontifices, & Pharisæi, &c.
„ ℣. Unus autem ex ipsis, Caiphas nomine, &c.

„ *Cùm autem venerint ad portam Civi-*
„ *tatis, ascendant pueri super portam, & Can-*
„ *tor cum toto Clero foris stans indutus cum*
„ *pluviali, & baculo suo, dicit Versum ca-*
„ *nendo*: Gloria laus, & honor, *& ceteri se-*
„ *quuntur: pueri autem intus supra portam*
„ *stantes, respondent Versum*: Israel es tu;
„ *& Cantor iterum parum accedens cum Clero,*
„ *dicit*: Gloria laus: *& ceteri sequuntur; &*
„ *illi intus respondent*: Cœtus in excelsis; *&*
„ *Cantor iterum accedens, dicit*: Gloria laus;
„ *& ceteri sequuntur: & pueri respondent*
Ver-

„ *Versum*: Plebs Hebræa tibi, *quousque expe-*
„ *diant sic alternatim*
„ Gloria, laus, & honor, &c.
„ ℣. Israel es tu Rex, &c.
„ ℣. Cœtus in excelsis te laudat, &c.
„ ℣. Plebs Hebræa tibi, &c.
„ ℣. Hi tibi passuro solvebant, &c.
„ ℣. Hi placuere tibi, &c. *Extant omnes in Missali Romano*. Inde hi alii Versus.
„ ℣. Fecerat Hebræos hos gloria sanguinis almi,
„ Nos facit Hebræos transitus ecce pius.
„ ℟. Gloria, laus.
„ ℣. Sis pius ascensor tu, & nos simus asellus:
„ Tecum nos capiat Urbs veneranda Dei.
„ ℟. Gloria, laus.
„ ℣. Vestis Apostolicæ rutilo fulgore tegamur:
„ Te bene docta ut ea nostra carina vehat.
„ ℟. Gloria.
„ ℣. Tegmine sic animæ, sternamus corpora nostra;
„ Quo per nos semper sit via tuta tibi.
„ ℟. Gloria.
„ ℣. Sit pia pro palmæ nobis victoria ramis,
„ Ut tibi victrici sorte canamus ita.
„ ℟. Gloria, laus.

„ *Et nota, quod hæc Carmina composuit* „ *Theodolphus Aurelianus Episcopus, qui cum* „ *ab Imperatore in carcere teneretur, illac* „ *transitum processione faciente, fenestrâ aper-* „ *tâ, dato signo, hæc coram Imperatore edi-* „ *dit, cui in tantum placuere, quòd eum ab-* „ *solvit, & Episcopatui restituit, instituens* „ *hæc semper tali die cantari*.

„ *Quo facto, accedat Cantor cum baculo* „ *tangens portam, & dicat*: Tollite portas;

& unus

„ *& unus fortiter intus respondeat*: Quis est iste? „ *& Cantor iterum* : Tollite portas; *& ille*: Quis „ est iste Rex gloriæ? *& Cantor* : Dominus vir- „ tutum ipse est Rex gloriæ. *Et aperiatur ja-* „ *nua : deinde intrent Civitatem cantando hoc* „ ℟. Ingrediente Domino, &c. ℣. Cumque au- „ disset populus, &c. *Utrumque exhibet Mis-* *sale Romanum.*

„ *Cum autem venerint ante Ecclesiam,* „ *incipiat Cantor illud* ℟. Circumdederunt me „ viri mendaces: sine causa flagellis cæciderunt „ me; * Sed tu Domine defensor vindica me. „ *Tunc intrent Ecclesiam, finiatur Responso-* „ *rium* ante Crucem, *quæ Crux sit discooperta*, „ *& dicant Versum duo Clerici*: Quoniam tri- „ bulatio proxima est, & non est qui adjuvet. „ Sed tu. *Quo dicto Cantor genuflectat ante* „ *Crucem cum ceteris, & dicat primò planè* „ *Antiphonam* : Ave Rex noster; *postea acce-* „ *dant aliquantulum ad Crucem, & Cantor* „ *altiùs dicat*: Ave Rex noster; *& ceteri se-* „ *quantur mediam*; *deinde accedant, & Can-* „ *tor altius cantet.*

Crux disco-operta iterum adoratur.

„ *Antiph.* Ave Rex noster fili David, Re- „ demptor Mundi, quem Prophetæ prædixe- „ runt Salvatorem domui Israel esse venturum: „ te enim ad salutarem victimam Pater misit „ in mundum, quem expectabant omnes San- „ cti ab origine mundi: & nunc Hosanna filio „ David: Benedictus qui venit in nomine Do- „ mini.

Deinde sequitur Missa cum Præfatione de Cruce, quam idem Ordinarium Missæ Ecclesiæ Messanensis exhibens in Dominica Passionis :

„ Et dicitur (*inquit*) usque ad Feriam V. in
„ Cœna Domini.

CAPUT XXVII.

Feria II. III. IV. & V. *majoris Hebdomadæ*.

In Feriis II. III. & IV. vix aliquid singulare obtinuit.

I. DE celebri Palmarum solemnitate expositis jam, quæ præcipua nobis videbantur, de reliquis majoris Hebdomadæ diebus non nihil attingere operæ pretium est. Feriæ II. III. & IV. illustrandæ non est multum temporis impendendum, cùm ex antiquo nostro ritu vix aliquid singulare occurrat, præter leve illud, quod præscribit Breviarium M. S. in octavo Ecclesiæ Messanensis, concinentibus ei Breviariis aliis Gallo-Siculis Venetiis editis, videlicet ut Festum duplex hocce in triduo occurrens, Feriæ non cedat; sed celebratâ istius memoriâ, Officium fiat de Sancto.

De Cœna Domini.

II. Verum enim vero Feria V. in Cœna Domini præ quàm tres aliæ non modo, sed & præ quàm omnes totius anni dies celebrior semper habita est. Quid enim non singulare obtinuit in ea? num talis non fuit nocturna Psalmodia? num Pœnitentium reconciliatio? num Missæ solemnia? num canones anathematum? num Eucharistiæ reservatio? num Vesperarum Officium? num Altarium denudatio? num trium Oleorum processio? num Mandati lectio cum lotione pedum pauperum? num Altarium lotio? Sed ut ad propositum revertamur, nobis exponere opus est, quo signanter ritu singula hæc fuerint in Sicilia celebrata.

III.

III. Primò igitur exponenda obviam venit nocturna Psalmodia, olim celebrata septemdecim accensis Cereis, quindecim in Candelabro triangulari, quod in antiquis nostris Codicibus *Barabas* inscribitur, reliqui duo in totidem Candelabris ante Altare positis. Hi septemdecim Cerei non omnes simul extinguebantur, sed alter post alterum, interpositâ debitâ morâ, ut recitandis Psalmis locus daretur, quemadmodum ex ritu Romano observatur hodie. Rursus ex Breviario Membranaceo Panormitanæ nostræ Ecclesiæ tres Lectiones postremæ recitari consueverant ex Homilia in Evangelium: *Ante diem Festum Paschæ*, suppresso Evangelistæ, & Expositoris titulo; ex antedicto autem Breviario M. S. Ecclesiæ Messanensis, & reliquis Gallo-Siculis jam editis aliæ non adhibebantur, ac illæ ex Epistola ad Corinthios hodierno Ordini Romano assignatæ. Non est tandem prætermittendus ritus, quo Laudum Officio ex uniformi totius Siciliæ observantia, finis imponebatur: absoluto enim Cantico, *Benedictus*, cum Antiphona, *Traditor autem*, Clerici circa majus Altare dispositi, has deprecationis voces alternatim cum Choro præcinebant. Nocturna Psalmodia.

„ *Chorus*. Kyrie eleison,

„ *Clerici*. Qui passurus advenisti propter nos.

„ *Chor*. Kyrie eleison,

„ *Cler*. Qui propheticè promisisti: Ero mors
„ tua, o mors.

„ *Chor*. Kyrie eleison;

„ *Cler*. Qui expansis in cruce manibus, traxi-
„ sti ad te omnia secula.

„ *Chor*. Christe eleison,

,, *Cler.* Agno miti basia, cui lupus dedit ve-
,, nenosa.
,, *Chor.* Christe eleison.
,, *Cler.* Te, qui viciri voluisti, nosque à mor-
,, tis vinculis eripuisti.
,, *Chor.* Christe eleison.
,, *Cler.* Vita in ligno moritur: infernus, &
,, mors lugens spoliatur.
,, *Chor.* Kyrie eleison:
,, *Cler.* Domine, miserere nostri.
,, *Chor.* Kyrie eleison.
,, *Cler.* Christus Dominus.
,, *Chor.* Kyrie eleison.

,, *Ante Crucem.*

,, ℣. Factus est obediens usque ad mortem.
,, ℟. Mortem autem crucis.

IV. Inde ex antedicto Breviario Ecclesiæ Panormitanæ, nullis aliis interpositis precibus, terminabatur Officium per Orationem, *Respice quæsumus Domine*, &c. ut in Breviario Romano; ex Breviario autem Messanensi superius memorato eidem Orationi præponebantur Oratio Dominica, Psalmus, *Miserere mei, Deus*, & Versus, *Christus factus est pro nobis*, &c. ut in modò citato Breviario Romano, omnia recitanda, productâ jam in medio Chori Candelâ illâ, quæ remanere solet accensa, & abscondita sub Altari, cum qua, finita postea Oratione, accendebantur *omnia* (exscribo verba ejusdem Breviarii Messanensis) *luminaria Ecclesiæ*. Etsi cum Messanensi reliqua Breviaria Gallo - Sicula, studio Matthæi Caldi jam edita, convenire videantur; tamen paullum discrepant: in istis enim decernitur, ut Ce-

reus

reus accensus de sub Altari, nisi absoluto Psalmo, *Miserere mei, Deus*, producatur: ulterius ut ante ipsam Orationem Dominicam *fiant tenebræ* (ut sunt eorum verba) *ter in Choro*. Addunt inde in fine: *Et hoc modo servatur in duobus diebus sequentibus*.

V. De Pœnitentium reconciliatione; qui Feriâ IV. in capite Quadragesimæ accepta solemni pœnitentia ejecti ab Ecclesia fuerant, agendum nunc est; circa quod defectu ulterioris monumenti antiquo Missæ Ordine Ecclesiæ Messanensis contenti simus oportet. Ubi præscribitur, ut hujusmodi reconciliatio horâ sextâ fieret, & quidem ipsis eisdem Psalmis, & Orationibus, quibus ejectio in antedicta Feria IV. Cinerum celebrata fuerat. Agedum ejusdem Missalis verba in medium proferamus: *Feriâ* V. *In Cœna Domini, horâ sextâ conveniant omnes ad Ecclesiam, & Clerus cum processione exeat in medium Ecclesiæ; ac Episcopus, si aderit, sin autem, Presbyter vadat ad Ecclesiæ januas, & reducat Pœnitentes in Ecclesiam: & cum reduxerit, faciat absolutionem, sicut in capite jejunii cum Psalmis, & Orationibus*. Pœnitentiũ reconciliatio.

VI. Venimus nunc jam ad Missarum solemnia, de quibus Ecclesiæ nostræ ipsæ sibi singulæ discrepasse videntur: quod vel ex solis Panormitanæ, ac Messanensis Ecclesiæ antiquis Codicibus jam habemus, unde planum fiat: Missale enim Panormitanum totidem memoratum, prætermissa Præfatione communi de Cruce, aliam prolixam satis exhibet, in qua Christi Domini bonitas ob id potissimum exaltatur, Missa solemnis.

quod

quod Judam, à quo noverat continuò esse tradendum, mansuetudinis, & humilitatis exemplum mundo relicturus, convivii sui participem fieri sit passus. In antiquo autem Ordine Missæ Ecclesiæ Messanensis, superius etiam memorato, decernitur ut *Gloria in excelsis*, *Credo*, & *Ite Missa est*, nisi Episcopus Crisma consecraturus Missam cantet, omninò sint prætermittenda.

Canones excommunicationum.

VII. Ex Synodo Ecclesiæ Montis-Regalis sub Archiepiscopo Alexandro Cardinali de Farnesio prima, in offertorio Missæ promulgari consueverant Canones excommunicationum, quibus anathemate feriebantur I. Blasphematores nominis Dei, ejusque unigeniti Filii, & almæ genitricis Mariæ. II. Sortilegia, maleficia, auguria, & divinationes operantes. III. Bona Ecclesiæ, & Piorum Locorum, redditus, jura, instrumenta, & alia id genus, occupantes. IV. Qui legata pia ad præscriptum Testatoris integra non persolvernit. V. Notarii hujusmodi legata infrà terminum dierum quindecim à morte Testatoris non denunciantes. VI. Non solventes, vel fraudantes quartam portionem canonicam. VII. Qui Sanctimonialium Cœnobia absque licentia ingrediuntur, vel Monialem à Monasterio abducunt, vel abductam apud se retinent: tripudia item, choreas, nuptias, aut convivia in Monasteriis tempore professionis Sanctimonialium celebrantes. VIII. Usurarios contractus stipulantes: Notarii item, & personæ aliæ ad id officium, vel consilium adhibentes. IX. Qui novis impositionibus, gabellis, pedagiis, & similibus

Eccle-

Ecclesiasticarum personarum bona aggravant: earumque caussas ad forum secularem avocant. x. Carnium, & piscium venditores, qui ter requisiti res suas Ecclesiasticis personis, justum pretium offerentibus, vendere recusant. xi. Mulieres repetitrices, quæ in funere luctuosas cantilenas, & lugubres lamentationes more Gentilium cantant: ex similiter, quæ post triduum à morte Parentum, aut Consanguineorum, de divinis rebus parum sollicitæ, in diebus festivis ad Ecclesiam non accedunt. xii. Qui matrimonium cum Consanguineis in gradu à jure prohibito contraxerint, & in eo, non obtenta dispensatione Apostolica, scienter perseverant. xiii. Qui sponsalia, vel matrimonium non in Ecclesia, aut locis publicis, sed absente Parocho, aut Testibus fide dignis, clandestinò contrahere non verentur.

VIII. Sed quoniam ex Eucharistia hac in Missa consecrata partim sumitur, partim reservatur in crastinum, non incuriosum erit, neque inutile prorsus, exhibere quod circa reservationem hanc me legisse memini in duplici antiquissimo Missali Libro Panormitanæ nostræ Ecclesiæ, altero in folio, altero in quarto, utroque alibi à nobis jam memorato: nempe ut cum Corpore Christi unà servetur & Sanguis: ergo antedicti Codices sequentis diei ritus describentes: *Post* (inquiunt) *Orationes expletas, ingreditur Diaconus in Sacrario, & procedit cum Corpore, & Sanguine Christi, quod altera die remansit, & ponit super Altare.* Sanguis Christi simul cum Corpore reservatur in crastinum.

IX. Sacerdotum communio, quæ intra istius Missæ solemnia fit, non ante, ut solemus ho- Sacerdotum communio.

hodie, sed post antedictam Eucharistiæ reservationem peragi præscribit antiquus Ordo Missæ sæpius laudatus Messanensis Ecclesiæ; qui exhibito ejusdem reservationis ritu; hæc statim adjungit: *Deinde Prælatus omnes Sacerdotes communicat immediatè*.

Vesperæ una cum Missa conjunctæ.

X. Sacerdotum communionem; aliqua non interposita actione, sequebatur Vesperarum Officium, complendum per Missæ Orationem; quæ *Postcommunio* nominatur, non secus ac exequimur in Sabbato Sancto: quamobrem duo illi Missales Libri Ecclesiæ Panormitanæ, quos supra, & alibi passim citavimus, medium inter ipsam Orationem, & Antiphonam *Communio* nuncupatam hæc exhibent verba: *Ad vesperas Antiphona: Calicem salutaris. Psalmus: Credidi propter*. Quibus concinit idem Ordo Missæ Ecclesiæ Messanensis, ordinans, ut reservato Sacramento, fiat Sacerdotum communio: *Postea Vesperæ sequuntur, & completur Missa*.

Altarium denudatio cũ sacrorũ Oleorum processione.

XI. Sequitur inde Altarium denudatio; de qua præter, quod modò laudatus Ordo Ecclesiæ Messanensis repræsentat, nihil nobis observare contigit. In eo porrò decernitur, ut absolutâ Missâ, denudentur Altaria, cantatâ Antiphonâ, *diviserunt sibi vestimenta mea*, cum Psalmo, *Deus Deus meus, respice in me*, & ut interim dum Altaria denudantur, ordinetur processio per Ecclesiam, & tria Sancta Olea à totidem Sacerdotibus sub pallio honorificè conducentur, duobus Sacerdotibus aliis in laudem ejusdem mysterii pangentibus Hymnum, *Audi Judex mortuorum*, cui duo præmitteban-

tur

tur Verſus ad ſingulas Strophas à Choro repe-
tendi.

„ O Redemptor, ſume carmen
„ Ore concinentium.
„ Audi judex mortuorum,
„ Una ſpes mortalium:
„ Audi voces proferentum
„ Donum pacis præmium.
„ ℟. O Redemptor.
„ Arbor fœta alma luce,
„ Hoc ſacrandum protulit:
„ Fert hoc prona præſens turba
„ Salvatori ſeculi.
„ ℟. O Redemptor.
„ Stans ad aram, immò ſupplex
„ Inſulatus Pontifex
„ Debitum perſolvit omne,
„ Conſecrato chriſmate.
„ ℟, O Redemptor.
„ Conſecrare tu dignare,
„ Rex perennis patriæ,
„ Hoc olivum ſignum vivum
„ Contra jura dæmonum.
„ ℟. O Redemptor.
„ Et novetur omnis ſexus
„ Unctione chriſmatis:
„ Et medetur ſauciata
„ Dignitatis gloria.
„ ℟. O Redemptor.
„ Lota mente ſacro fonte
„ Auſugantur crimina:
„ Uncta fronte, ſacroſancta
„ Influantur chriſmata.
„ ℟. O Redemptor.

 „ Cor-

„ Corde natus ex parentis ,
„ Alvum implens Virginis ;
„ Præſta lucem , claude noctem
„ Chriſmatis conſortibus .
„ ℟. O Redemptor .
„ Sit hæc dies feſta nobis
„ Seculorum ſeculis ,
„ Sit ſacrata digna laude ,
„ Nec ſeneſcat tempore .
„ ℟. O Redemptor .

Mandati lectio. XII. Omnes hujuſce diei ceremonias claudit mandati lectio cum lotione Altarium, & pedum pauperum , quæ quo ritu fiebat , apertè inſinuant tres iterum iterumque memorati Miſsales Libri Eccleſiæ Meſsanenſis . Ex eo ſanè Diaconus ſolemniter indutus , comitatuſque Acolythis ceroſeralia , & thuribulum deportantibus ſero procedit ante priores gradus Altaris, mandatum , ſeu Johannis Evangelium a cap. 13. ad 16. incluſivè legens ; tùm recedentibus Acolythis , Presbyter , ſeu Cantor proſequitur ea , quæ Chriſtus dixit in Cœna , ejuſdem Evangelii capite 17. contenta . Ad illa Evangelii verba : *Surgit à Cœna , & ponit veſtimenta ſua* , Epiſcopus , ſi officio intereſſet, nihilo aliter facit , quàm Chriſtum feciſſe Evangeliſta prædicat : depoſitis porrò veſtibus lavat pedes pauperum , ſingulis ſingulos argenteos nummos tribuens. Denique duo Presbyterorum vino , ſimul & aqua abluunt Altaria , cantatis duobus illis Reſponſoriis : *Circumdederunt* , & : *In monte Olive* , & quidem cum debito intervallo , ut omnium Altarium lotioni eſſet locus , adjuncta in fine Oratione : *Adeſto Domine* , &c. ut in Ordine Romano .

Lotio pedum.

Altarium lotio.

CA-

CAPUT XXVIII.

Feria VI. *Parasceves*.

I. QUanta cum religione sanctissima Parasceves dies olim celebrata in Sicilia fuerit, vel inde apparet, quòd præcedentem ei noctem ipsos etiam Laicos, spretis somni solatiis, stando, & psallendo non pigebat transigere insomnem; quos & manè, nisi habito per Episcopum de historia passionis Christi Sermone, ab Ecclesia recedere non patiebantur aurea illa secula, in quibus, fervente caritatis æstu, promptior, ac religiosior, quàm nunc, Fidelium apparebat devotio; qua de re testis extitit locupletissimus Theophanes, seu Gregorius Cerameus, qui Tauromenii, cui præerat Antistes, ipsa Parasceves die Homiliam (a) valdè eloquentissimam in pretiosam Redemptoris nostri passionem habens, sic eam exorditur: *Molestus, & gravis fortasse videar caritati vestræ, quòd per totam noctem stando, & canendo defatigatis, hujus etiam Sermonis auditionem, quasi alterum onus vobis imponam.*

Vigiliæ nocturnæ, & Sermo ad populum.

II. Observantiæ huic studuit Sicilia Græcam disciplinam sequuta, à qua heu quàm distat Gallicanus ritus post Græcum obtinens, qui illustrandus in præsenti nobis curæ est! ex eo enim Vigiliæ nocturnæ pridie, clara adhuc luce, nihilo aliter, quàm nunc, persolvebantur, de quibus, exceptis, quæ antecedenti capite observavimus, notatu dignum nihil omnino occurrit.

(a) *Homil.* 27.

Missa præsanctificatorum.

III. Ad Missam verò quod attinet, longe plura veniunt observanda; ex uniformi enim antiquorum Codicum ritu primùm dicebatur Oratio, *Deus à quo, & Judas*; tum Lectio Oseæ Prophetæ, *In tribulatione sua manè consurgent ad me*, cum Tractu, *Domine, audivi*; deinde Oratio altera, *Deus, qui peccati veteris*; postea secunda Lectio, *Dixit Dominus ad Moysen, & Aaron in terra Ægypti*, cum suo quoque Tractu, *Eripe me, Domine*; quo finito sequebatur Passio super nudum pulpitum, sine luminaribus. In qua ex solo Ordine Missæ Ecclesiæ Messanensis duo singularia obtinebant: ex quibus primum illud, quòd cantabatur suppresso Evangelistæ titulo: *Passio* (inquit) *Domini nostri Jesu Christi secundum Johannem dicatur sine titulo*: alterum quòd ad verba illa: *Partiti sunt vestimenta mea sibi*, duo Acolythi extrahebant hinc inde syndones illas, quas priùs cohærentes sibi composuerant super Altare.

IV. Ex duplici Missali Libro Ecclesiæ Panormitanæ completa Passione cum succedentibus sibi Orationibus, antequam fieret Crucis adoratio, afferebatur ad Altare Corpus non modò, sed & Sanguis Christi, utrumque ex præcedentis Feriæ sacrificio reservatum, & quidem non à Presbytero, sed à Diacono illi assistente. Subjiciamus eorumdem Codicum verba: *Orationibus expletis, ingreditur Diaconus in Sacrario, & procedit cum Corpore, & Sanguine Christi, quod altera die remansit, & ponit super Altare: & venit Sacerdos ante Altare adorans Crucem, & osculans: similiter, & om-*

omnes qui adsunt ad Crucem adorandam.

V. In ipsa eadem Crucis adoratione plures ex iisdem Panormitanis Codicibus apparent ritus singulares. Primùm enim cantabantur improperia hodiernis Romanis breviora, utpote quæ tribus solummodò constarent Versibus, videlicet: *Popule meus -- Quia eduxi te per desertum -- Quid ultrà debui facere*. tum afferebatur Crux ante Altare, cantatâ Antiphonâ, *Ecce lignum Crucis*, cum duplici Versu Psalmi 118. quales erant, *Beati immaculati -- Beati, qui scrutantur*; postea totidem Versus Psalmi 66. idest, *Deus misereatur nostri -- Ut cognoscamus*, præmissâ Antiphonâ alterâ, *Crucem tuam adoramus, Domine*; deinde sequebatur Hymnus, *Crux fidelis*, omissâ strophâ, *Lustra sex qui jam peregit*. Hymnum hunc comitabantur duæ Antiphonæ valdè prolixæ: una, *Dum fabricator mundi*; altera, *O admirabile pretium*.

Crucis adoratio ex ritu Panormit. Ecclesiæ.

VI. Cantatis his Antiphonis, concludebatur Missa præsanctificatorum una cum Vesperis, & quidem brevissimâ formâ: *His expletis* (inquiunt antedicti Panormitani Codices) *dicit Sacerdos: Oremus præceptis salutaribus, & Pater noster; deinde: Libera nos, quæsumus Domine; postea communicent Presbyteri, & omnes, qui adsunt; deinde Antiph. Calicem; Psalm. Credidi*.

Vesperæ unà cum Missa conjunctæ.

Communio generalis.

VII. Alius à Panormitano in Messanensi Ecclesia viguit adorandæ Crucis ritus: præmissis enim Orationibus solemnibus, Crucem de retro Altare producebant duo Presbyteri, planetis induti, unum ejus brachium ad primum improperio-

Crucis adoratio ex ritu Messanens. Ecclesiæ.

riorum Versum , *Popule meus* , alterum ad secundum , *Quia eduxi te per desertum* , reliquas partes , expedito tertio Versu , *Quid ultra debui facere* , discooperientes ; Crucem inde revelatam , & discoopertam sumebat qui Officium Missæ præsanctificatorum celebrabat , eam semel , iterum , atque tertio ostendens populo , qui eam adoraturus convenerat : primùm in destro cornu Altaris , tùm in sinistro , postremùm in medio , cantatâ totidem vicibus Antiphonâ illâ , *Ecce lignum Crucis* ; & continuò discooperiebantur quotquot erant in Ecclesia Cruces , Choro præcinente Antiphonam alteram , *Crucem tuam adoramus* , *Domine* , ad singulos Versus Psalmi , *Beati immaculati* , repetendam . Postea fiebat Crucis adoratio , pedibus etiam Ministrorum Altaris calceatis : *Non enim* (exscribo verba antiquorum Missalium ejusdem Messanensis Ecclesiæ) *decet Presbyterum* , *vel Diaconum ad Altare ministrare nudis pedibus* . Interim dum Crux adorabatur , cantabat Chorus Antiphonam , *Dum fabricator mundi* , & aliam , *O admirabile pretium* . Sequebatur inde Hymnus , *Crux fidelis* . Facta adoratione antedicti Sacerdotes , planetis induti , ipsam Crucem superponebant astæ , quam manu tenentes , cantabant , *Super omnia ligna cedrorum tu sola excelsior* , &c. & interim qui aderant detectis capitibus genua flectebant . Rursus cantatis octo Responsoriis , & Versibus , ordinabatur processio , ut Corpus Christi duceretur ad Altare ; postea Celebrans dicebat Antiphonam , *Hoc Corpus* , *quod pro vobis tradetur* , incensabat Sacramentum , & abluebat manus ; deinceps dicebatur Oratio ,

Præ-

Præceptis salutaribus moniti, cum *Pater noster*, & Oratione, *Libera nos*, & dividebatur Hostia, ejus particulâ more solito missâ in Calicem, & alia non interposita actione, sequebantur Orationes illæ, *Ave in æternum Sanctissima caro -- Deus propitius esto -- Domine non sum dignus -- Corpus Domini nostri*; quas integras ad calcem Tractatus publicare speramus.

VIII. *Deinde, seu interim dum communicat* (ut habet idem Ordo Missæ Ecclesiæ Messanensis) *dicuntur Vesperæ, prout in Cœna Domini, quibus finitis dicat Postcomm: Refecti, & nihil aliud, & ita finitur absolutè*.

CAPUT XXIX.

De Sabbato Sancto.

I. EX omnibus Sabbati Sancti ritibus qui in celebratione primus occurrit, ille primùm exponendus venit, qualis est forma cantandæ divinæ Psalmodiæ; in qua iis exceptis, quæ in Cœna Domini admonuimus, illud tantummodò singulare observare nobis contigit, quod ex antiquo insignis Panormitanæ Ecclesiæ Breviario ad matutinum tres Lectiones postremæ pronunciari solebant de expositione Evangelii, *Vespere autem Sabbati*, & quidem suppresso Evangelistæ, & Expositoris titulo. Psalmodia

II. Tum sequitur benedictio Ignis novi: quam non uno, eodemque ceremoniarum apparatu in omnibus Siciliæ Ecclesiis peractam esse ex antiquis Missalibus Libris, Panormitanæ potissimùm, ac Messanensis Ecclesiæ jam habe- Benedictio Ignis.

bemus ; unde planum fiat . Sanè ad novum Ignem benedicendum non tres, quemadmodum hodie, Orationes, ſed duas tantùm adhibebat Meſſanenſis, unicam verò Panormitana.

Incenſi benedictio.

III. Poſt novi Ignis benedictionem antiqui noſtri Codices, uno excepto Miſſali Panormitanæ Eccleſiæ in folio, exhibent Incenſi benedictionem unica, ut in Ordine Romano, abſolvendam Oratione. Deinde in introitu ad Eccleſiam poſt dictum, *Lumen Chriſti*, in Meſſanenſi Eccleſia præcini conſueverat longior illa Antiphona, *Cum Rex gloriæ Chriſtus*.

Benedictio Cerei Paſchalis.

IV. Ad conſecrationem Cerei Paſchalis quod attinet, nulli ex Siculis Eccleſiis conſuetudo erat, ut Diaconus *Exultet* cantaturus à Sacerdote benedictionem peteret. Ex Miſſali Libro membranaceo Panormitanæ Eccleſiæ in eodem *Exultet* non exhibebatur Oratio pro Antiſtite, & Imperatore, ſed pro Pontifice tantummodo.

Prophetiæ.

V. Cerei Paſchalis benedictionem excipiebant non duodecim, ut hodie, ſed quinque Prophetiæ, communi Siculorum uſu, Catechumenos proximè baptizandos inſtruendi gratia, ab iis, qui principem in Choro locum obtinebant, legendæ.

Litaniæ.

VI. Sequebatur inde Litania, quæ ex Ordine Miſſæ Panormitanæ Eccleſiæ unica erat, & ipſa major, ante & poſt benedictionem Fontis dicenda ; ex ritu autem Eccleſiæ Meſſanenſi proprio, erat triplex, *Septena*, *Quina*, & *Terna* : *Septena* ſic eſt dicta, quòd ejus invocationes ſingulæ ſepties repeterentur, ſcilicet à quinque Clericis ſingillatim, dehinc à dextro Choro, poſtea à ſiniſtro ; *Quina* quòd repeteretur quin-

quies

quies, à tribus nempè Clericis, & utroque Choro singulatim; *Terna* verò quòd triplici gauderet repetitione: nam ei cantandæ vacabant Archichori duo simul, respondente primùm Choro dextro, deinde sinistro. Ex his duæ priores, stantibus omnibus ante Altare, tertia autem ordinata processione ad Fontem recitabatur: eâ itaque ad invocationem illam productâ, ubi dicitur: *Omnes Sancti, & Sanctæ Dei, orate pro nobis*, Sacerdos, omisso Tractu, & Oratione prima ex duobus hodiernis Romanis, Fonti benedicendo incumbebat, absolutè incipiendo ab Oratione altera: *Omnipotens sempiterne Deus, adesto*. Veniens ad verba illa: *Qui pedibus super te ambulavit*, Crucis pedem immittebat in aquam, haud elevandum, nisi ad versum illum: *Hæc nobis præcepta servantibus*. Oleum Sanctum, & Chrisma separatim tantum, & non separatim primùm, deinde simul infundebat in Fontem. Peractâ Fontis benedictione, redeuntibus in Chorum Clericis, prosequebatur Litania cantata ab Archichoris duobus, respondente Choro, incipiendo ab invocatione illa: *Propitius esto, parce nobis Domine*. Fontis Benedictio.

VII. Absolutâ Litaniâ ex eodem ritu Messanensis Ecclesiæ celebrabatur Missa unà cum Vesperis more Romano complenda. Ad hanc Missam Symbolum olim recitari consueverat: ut inquiunt Missales Libri ejusdem Messanensis Ecclesiæ in Rubricis Generalibus. Eorum verba subjiciamus: *Credo in unum Deum, dicitur in Missa in omnibus Dominicis ... & in Sabbato Sancto*. Missa quo ritu cantata.

VIII. Ut autem, quæ de ritibus Sabbati

Sancti hactenus digessimus, magis magisque elucescant, integrum insignis Panormitanæ Ecclesiæ Ordinem ex optimæ notæ manuscripto Codice exscribamus oportet, quo potissimùm deprehenditur antiqua Ecclesiæ Siculæ disciplina in dando Catechumenis baptismate adhibita, de qua supra ne quidem verbum diximus. Subjiciemus inde Ordinem alterum ex triplici Missali Libro Ecclesiæ Messanensis.

O R D O

IN SABBATO SANCTO

Ex M. S. Missali sex circiter seculorum Panormitanæ Ecclesiæ in folio.

„ *Benedictio Ignis.*

„ DOmine Deus omnipotens, lumen indeficiens, & conditor omnium luminum,
„ exaudi nos indignos famulos tuos, & be-
„ ne ✝ dicere digneris hujus novi ignis lumen,
„ quod à te vero lumine nobis donatum est:
„ ut & tui amoris accendamur illustratione, &
„ veræ caritatis illuminemur igne: & sicut Moy-
„ sen famulum tuum mirabili illuminasti splen-
„ dore, ita corda, & sensus nostros illuminare
„ digneris: ut peccatorum labe expiati, ad te,
„ qui æterna vita es, pervenire mereamur.
„ Qui cum Deo.

Benedictio Cerei.

„ Exultet jam Angelica turba cœlorum, &c. *totidem verbis extat in Missali Romano, usque*

usquè ad verba illa: Apis mater eduxit. *Inde sequitur ita*: „ O verè beata, & mirabilis
„ Apis, cujus nec sexum masculi violant: fœ-
„ tus non quassant: nec filii destruunt castita-
„ tem; sed sicut Sancta concepit Virgo Maria,
„ Virgo peperit, & Virgo permansit! O beata
„ nox, quæ expoliavit Ægyptios, ditavit He-
„ bræos! Nox, in qua terrenis cœlestia jungun-
„ tur. Oramus te, Domine, ut Cereus iste in
„ honorem tui nominis consecratus, ad noctis
„ hujus caliginem destruendam, indeficiens per-
„ severet. In odorem suavitatis acceptus super-
„ nis luminaribus misceatur. Flammas ejus lu-
„ cifer matutinus inveniat. Ille, inquam, luci-
„ fer, qui nescit occasum. Ille, qui regressus
„ ab inferis humano generi serenus illuxit. Pre-
„ camur ergo te, Domine, ut nos famulos
„ tuos, omnemque Clerum, & devotissimum
„ populum, unà cum patre nostro Papa Ro-
„ mano, quiete temporum concessa, in his Pa-
„ schalibus gaudiis conservare digneris. Qui
„ semper vivis, regnas, imperas, nec non
„ & gloriaris solus Deus, solus Altissimus, Je-
„ su Christe cum Sancto Spiritu in gloria Dei
„ Patris. Amen.

„ *Lectio Libri Genesis.*

„ In principio creavit Deus cœlum, &
„ terram, &c.

„ *Oratio.*

„ Deus, qui mirabiliter creasti hominem, &c.

„ *Lectio Libri Exodi.*

„ In diebus illis: Factum est in vigilia ma-
„ tutina, &c.

„ *Tractus*.

„ Cantemus Domino : gloriosè, &c.

„ *Oratio*.

„ Deus, cujus antiqua miracula, &c.

„ *Lectio Isaiæ*.

„ In diebus illis : Apprehendent septem „ mulieres, &c.

„ *Tractus*.

„ Vinea facta est dilecto, &c.

„ *Oratio*.

„ Deus, qui nos ad celebrandum Pascha- „ le Sacramentum, &c.

„ *Lectio Deuteronomii*.

„ In diebus illis : Scripsit Moyses canti- „ cum &c.

„ *Tractus*:

„ Attende cœlum, & loquar, &c.

„ *Oratio*.

„ Omnipotens sempiterne Deus, spes uni- „ ca mundi, &c.

„ *Lectio Isaiæ Prophetæ*.

„ Hæc est hereditas servorum Domini, &c.

„ *Oratio*.

„ Deus, qui diversitate omnium gentium, „ in confessione &c.

„ *Tractus*.

„ Sicut cervus desiderat ad fontes aqua- „ rum, &c.

„ *Oratio*.

„ Omnipotens sempiterne Deus, respice, &c. *Omnia extant, inverso tamen ordine, in Missali Romano*.

In-

,, *Incipiunt Letaniæ*,

,, Kyrie eleiſon.
,, Chriſte eleiſon.
,, Kyrie eleiſon.
,, Chriſte audi nos.
,, Pater de cœlis Deus, miſerere nobis.
,, Spiritus ſancte Deus, miſerere nobis.
,, Sancta Trinitas unus Deus, miſerere nobis.
,, Sancta Maria, ora pro nobis.
,, Sancta Dei genitrix, ora.
,, Sancta Virgo Virginum, ora.
,, Sancte Michael, ora.
,, Sancte Gabriel, ora.
,, Sancte Raphael, ora.
,, Omnes Sancti Angeli, & Archangeli, orate.
,, Omnes Sancti beatorum ſpirituum ordines,
,, orate.
,, Sancte Johannes Baptiſta, ora.
,, Omnes Sancti Patriarchæ, & Prophetæ, orate.
,, Sancte Petre, ora.
,, Sancte Paule, ora.
,, Sancte Andrea, ora.
,, Sancte Johannes, ora.
,, Sancte Jacobe, ora.
,, Sancte Philippe, ora.
,, Sancte Bartholomæe, ora.
,, Sancte Matthæe, ora.
,, Sancte Thoma, ora.
,, Sancte Jacobe, ora.
,, Sancte Simon, ora.
,, Sancte Thaddæe, ora.
,, Sancte Matthia, ora.
,, Sancte Barnaba, ora.
,, Sancte Luca, ora.

,, San-

,, Sancte Marce, ora.
,, Omnes Sancti Apostoli, & Evangelistae, orate.
,, Omnes Sancti Discipuli Domini, orate.
,, Omnes Sancti Innocentes, orate.
,, Sancte Stephane, ora.
,, Sancte Line, ora.
,, Sancte Clete, ora.
,, Sancte Clemens, ora.
,, Sancte Corneli, ora.
,, Sancte Cypriane, ora.
,, Sancte Laurenti, ora.
,, Sancte Vincenti, ora.
,, Sancte Gervasi, ora.
,, Sancte Protasi, ora.
,, Sancte Dionysi cum sociis tuis, orate.
,, Sancte Juliane, ora.
,, Sancte Symphoriane, ora.
,, Sancte Timothee, ora.
,, Sancte Christophore, ora.
,, Sancte Georgi, ora.
,, Sancte Saturnine, ora.
,, Sancte Prate, ora.
,, Sancte Sergi, ora.
,, Sancte Bacche, ora.
,, Sancte Senator, ora.
,, Sancte Viator, ora.
,, Sancte Cafiodore, ora.
,, Omnes Sancti Martyres, orate.
,, Sancte Silvester, ora.
,, Sancte Albine, ora.
,, Sancte Martine, ora.
,, Sancte Maxime, ora.
,, Sancte Germane, ora.
,, Sancte Hilari, ora.

,, San-

,, Sancte Gregori, ora.
,, Sancte Augustine, ora.
,, Sancte Ambrosi, ora.
,, Sancte Hieronyme, ora.
,, Sancte Maurili, ora.
,, Sancte Nicolae, ora.
,, Sancte Benedicte, ora.
,, Sancte Maure, ora.
,, Sancte Florenti, ora.
,, Sancte Ægidi, ora.
,, Sancte Helia, ora.
,, Sancte Juliane, ora.
,, Sancte Leonarde, ora.
,, Sancte Audoene, ora.
,, Sancte Leobine, ora.
,, Sancte Launomare, ora.
,, Omnes Sancti Confessores, orate.
,, Sancta Maria Magdalena, ora.
,, Sancta Felicitas, ora.
,, Sancta Perpetua, ora.
,, Sancta Agatha, ora.
,, Sancta Agnes, ora.
,, Sancta Cecilia, ora.
,, Sancta Lucia, ora.
,, Sancta Euphemia, ora.
,, Sancta Juliana, ora.
,, Sancta Radegundis, ora.
,, Sancta Columba, ora.
,, Sancta Fides, ora.
,, Sancta Spes, ora.
,, Sancta Caritas ora.
,, Omnes Sanctæ Virgines, orate.
,, Omnes Sancti, orate. *bis*.
,, Propitius esto, parce nobis Domine.

,, Pro-

,, Propitius esto , libera nos Domine .
,. Ab hoste malo , libera .
,, A persecutione inimici , libera .
,, A concupiscentia iniqua , libera .
,, A peccatis omnibus , libera .
,, A morte subitanea , libera .
,, A ventura ira , libera .
,, Ab omni malo , libera .
,, Per mysterium sanctæ Incarnationis tuæ, libera .
,, Per passionem , & crucem tuam , libera .
,, Per sanctam resurrectionem tuam , libera .
,, Per gloriosam ascensionem tuam , libera .
,, Per Spiritum Paraclitum , libera .
,, In die judicii , libera .
,, Peccatores , te rogamus audi nos .
,, Ut veniam peccatorum nobis dones , te ro-
,, gamus .
,, Ut gratiam sancti Spiritus nobis dones , te rogamus .
,, Ut pacem , & salutem nobis dones , te roga-
,, mus .
,, Ut bonam perseverantiam nobis dones , te
,, rogamus .
,, Ut aeris temperiem nobis dones , te rogamus.
,, Ut fructum terræ nobis dones , te rogamus .
,, Ut omnia præsentis , & futuræ vitæ commoda
,, nobis dones , te rogamus .
,, Ut cunctis fidelibus vivis , & defunctis requiem
,, æternam donare digneris , te rogamus ,
,, Fili Dei , te rogamus . *bis* .
,, Kyrie eleison . *ter* .
,, Agnus Dei . *ter* .

In-

„ Incipit Ordo ad Catechumenum
„ faciendum.

„ Signum ſanctæ Crucis Domini noſtri Je-
„ ſu Chriſti in frontem tuam pono.

„ Signum Salvatoris Domini noſtri Jeſu
„ Chriſti in pectus tuum pono.

„ Dominus vobiſcum.

„ Oratio.

„ Omnipotens ſempiterne Deus, Pater Do-
„ mini noſtri Jeſu Chriſti, reſpicere dignare ſu-
„ per hunc famulum tuum N. quem ad rudi-
„ menta fidei vocare dignatus es: omnem cæ-
„ citatem cordis ab eo expelle: diſrumpe om-
„ nes laqueos ſathanæ, quibus fuerat colliga-
„ tus: aperi ei, Domine, januam pietatis tuæ,
„ ut ſigno ſapientiæ tuæ imbutus, omnium cu-
„ piditatum fœtoribus careat, & ad ſuavem
„ odorem præceptorum tuorum lætus tibi in
„ Eccleſia tua deſerviat, & proficiat de die in
„ diem, ut idoneus efficiatur accedere ad gra-
„ tiam baptiſmi tui, perceptâ medicinâ. Per
„ eundem Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum
„ Filium tuum. Qui venturus eſt judicare.

„ Oratio.

„ Preces noſtras, quæſumus Domine, cle-
„ menter exaudi, & hunc electum tuum N.
„ Crucis Dominicæ, cujus impreſſione eum ſi-
„ gnamus, virtute cuſtodi: ut magnitudinis glo-
„ riæ rudimenta ſervans, per cuſtodiam manda-
„ torum tuorum, ad novæ regenerationis gra-
„ tiam pervenire mereatur. Per.

„ Oratio.

„ Deus, qui humani generis ita es condi-
„ tor, ut ſis etiam reformator, propitiare po-

M m pu-

„ pulis adoptivis , & novo teſtamento ſobolem
„ novæ prolis adſcribe : ut Filii promiſſionis ,
„ quod non potuerunt aſſequi per naturam , gau-
„ deant ſe recepiſſe per gratiam . Per .

„ *Exorciſmus ſalis* .

„ Exorcizo te , creatura ſalis , in nomine
„ Dei Patris omnipotentis , & in caritate Domi-
„ ni noſtri Jeſu Chriſti , & in virtute Spiritus
„ ſancti . Exorcizo te per Deum vivum , per
„ Deum verum , per Deum , qui te ad tute-
„ lam humani generis procreavit , & populo ve-
„ nienti ad credulitatem per ſervos ſuos conſe-
„ crare præcepit . Proinde rogamus te , Domi-
„ ne Deus noſter , ut hæc creatura ſalis in no-
„ mine ſanctæ Trinitatis efficiatur ſalutare Sa-
„ cramentum ad effugandum inimicum , quam ,
„ tu Domine , ſanctificando ſancti ✝ fices , be-
„ nedicendo bene ✝ dicas : ut fiat omnibus ac-
„ cipientibus perfecta medicina permanens in vi-
„ ſceribus eorum . In nomine Domini noſtri Je-
„ ſu Chriſti . Qui venturus eſt .

„ Accipe ſal ſapientiæ , ut propitiatus tibi
„ ſit in vitam æternam . Amen .

„ Deus Patrum noſtrorum , Deus univer-
„ ſæ conditor veritatis , te ſupplices exoramus ,
„ ut hunc famulum tuum N. reſpicere digneris
„ propitius , & hoc primum pabulum ſalis gu-
„ ſtantem non diutiùs eſurire permittas , quo-
„ minus cibo expleatur cœleſti : quatenus ſit
„ ſemper , Domine , ſpiritu fervens , ſpe gau-
„ dens , tuo ſemper nomini ſerviens . Perduc
„ eum ad novæ regenerationis lavacrum , ut
„ cum fidelibus tuis promiſſionum tuarum æter-
„ na præmia conſequi mereatur . Per .

„ *Alia*

„ *Alia Oratio*.

„ Deus Abraham , Deus Isaac , Deus Ja-
„ cob , Deus , qui Moysi famulo tuo in monte
„ Sinai apparuisti , & filios Israel de terra Ægyp-
„ ti eduxisti , deputans eis Angelum pietatis tuæ ,
„ qui custodiret eos die , ac nocte : te quæsu-
„ mus Domine , ut mittere digneris sanctum
„ Angelum tuum , ut similiter custodiat & hunc
„ famulum tuum N. & perduc eum ad gra-
„ tiam baptismi tui .

„ *Item* .

„ Ergo , maledicte diabole , recognosce
„ sententiam tuam , & da honorem Deo vivo ,
„ & vero . Da honorem Jesu Christo Filio ejus
„ & Spiritui sancto , & recede ab hoc famulo
„ Dei : quia istum sibi Deus , & Dominus no-
„ ster Jesus Christus ad suam sanctam gratiam ,
„ & benedictionem , fontemque baptismatis do-
„ no suæ pietatis vocare dignatus est . Et hoc
„ signum sanctæ crucis , quod nos fronti ejus
„ damus , tu maledicte diabole , nunquam au-
„ deas violare . Per eundem .

„ *Super masculum* .

„ Deus immortale præsidium omnium po-
„ stulantium , liberatio supplicum , pax rogan-
„ tium , vita credentium , resurrectio mortuo-
„ rum , te invoco , Domine , super hunc fa-
„ mulum tuum N. qui baptismi tui donum
„ petens , æternam consequi gratiam spirituali
„ regeneratione desiderat . Accipe eum Domi-
„ ne , & quia dignatus es dicere : Petite , &
„ accipietis ; quærite , & invenietis ; pulsate ,
„ & aperietur vobis : petenti itaque præmium
„ porrige , & januam pande pulsanti , ut æter-

nam cœleſtis lavacri benedictionem conſecutus promiſſa tui muneris regna percipiat. Per.

„ *Item*.

„ Audi, maledicte ſathana, adjuratus per „ nomen æterni Dei, & Salvatoris noſtri Filii „ ejus: cum tua victus invidia tremens, gemenſ„ que diſcede; nihil tibi ſit commune cum ſer„ vo Dei jam cœleſtia cogitante, renunciaturo „ tibi, ac ſeculo tuo, & beatæ immortalitati „ victuro. Da igitur honorem advenienti Spi„ ritui ſancto, qui ex ſumma cœli arce deſcen„ dens, proturbatis fraudibus tuis, divino fon„ te purgatum pectus, ideſt ſanctificatum Deo „ templum, & habitaculum perficiat, ut ab „ omnibus penitus noxiis præteritorum criminum „ liberatus ſervus Dei, gratias perenni Deo re„ ferat ſemper, & benedicat nomen ſanctum ejus „ in ſecula ſeculorum. Amen.

„ *Item*.

„ Exorcizo te, immunde ſpiritus, in no„ mine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, ut „ exeas, & recedas ab hoc ſamulo Dei N. Ip„ ſe enim tibi imperat, maledicte, damnate, qui „ pedibus ſuper mare ambulavit, & Petro mer„ genti dexteram porrexit. Ergo maledicte.

„ *Super Feminam*.

„ Deus celi, Deus terræ, Deus Angelorum, „ Deus Archangelorum, Deus Prophetarum, „ Deus Martyrum, Deus Virginum, Deus om„ nium bene-viventium, Deus, cui omnis lin„ gua confitetur, & omne genuflectitur cœle„ ſtium, terreſtrium, & infernorum: te invoco, „ Domine, ſuper hanc ſamulam tuam N. ut

„ per-

„ perducere eam digneris ad gratiam baptiſmi
„ tui. Ergo, maledicte.

„ *Item*:

„ Deus Abraham, Deus Iſaac, Deus Ja-
„ cob, Deus, qui tribus Iſrael de Ægyptiaca ſer-
„ vitute liberaſti, & per Moyſen famulum tuum
„ de cuſtodia mandatorum tuorum in deſerto
„ monuiſti, & Suſannam de falſo crimine libe-
„ raſti: te ſupplex deprecor, Domine, ut libe-
„ res & hanc famulam tuam N. & perducere
„ eam digneris ad gratiam baptiſmi tui, Ergo.

„ *Item*.

„ Exorcizo te, immunde ſpiritus, per
„ Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum,
„ ut exeas, & recedas ab hac famula Dei N.
„ Ipſe enim tibi imperat, maledicte, damnate,
„ qui cæco nato oculos aperuit, & quatridua-
„ num Lazarum de monumento ſuſcitavit. Er-
„ go.

„ *Super utrumque*.

„ Æternam, ac juſtiſſimam pietatem tuam
„ deprecor, Domine ſante, Pater omnipotens,
„ æterne Deus, auctor luminis, & veritatis, ſu-
„ per hunc famulum tuum N. ut digneris eum
„ illuminare lumine intelligentiæ tuæ: munda
„ eum, & ſanctifica: da ei ſcientiam veram,
„ ut dignus efficiatur accedere ad gratiam bap-
„ tiſmi tui: teneat firmam ſpem, conſilium re-
„ ctum, doctrinam ſanctam, ut aptus ſit ad
„ percipiendam gratiam baptiſmi tui.

„ *Signaculum*.

„ Accipe ſignaculum Domini noſtri Jeſu
„ Chriſti in manu tua dextera, ut te ſignes, &
„ adverſas partes repellas, & in fide catholica

„ per-

„ permaneas, & vivas cum Domino ſemper in „ ſecula ſeculorum. Amen.

„ Signo te ſignaculo Domini noſtri Jeſu Chri- „ ſti in manu tua dextera, ut te conſervet contra „ adverſarios tuos, ut habeas vitam æternam, „ & vivas in ſecula ſeculorum. Amen.

„ *Super utrumque.*

„ Nec te latet, ſathana, imminere tibi „ pœnas, imminere tibi diem judicii, diem „ ſupplicii ſempiterni, diem, qui venturus eſt ve- „ lut clibanus ardens, in quo tibi, atque uni- „ verſis Angelis tuis æternus veniet interitus. „ Proinde, damnate, atque damnande, da „ honorem Deo vivo, & vero, da honorem „ Jeſu Chriſto Filio ejus, & Spiritui ſancto, in „ cujus nomine, atque virtute præcipio tibi, „ quicumque es, ſpiritus immundus. (*) ut exeas, „ & recedas ab hoc famulo Dei N. quem ho- „ die Deus, & Dominus noſter Jeſus Chriſtus „ ad ſuam ſanctam gratiam, & benedictionem, „ fontemque baptiſmatis dono vocare dignatus „ eſt, ut fiat ejus templum per aquam regene- „ rationis in remiſſionem omnium peccatorum. „ In nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti. Qui „ venturus.

(*) immunde

„ *Poſtea mitte de ſputo in aures,*
„ *& in nares.*

„ Ephpheta, quod eſt adaperire, in odorem ſua- „ vitatis. Tu autem effugare diabole, appro- „ pinquabit enim judicium Dei.

„ *Benedictio Fontis.*

„ Omnipotens ſempiterne Deus, adeſto magnæ „ pietatis tuæ myſteriis, &c. *Extat ipſiſſimis verbis in Miſſali Romano uſque ubi infundenda ſunt Olea;*

Olea; Inde prosequitur hoc modo.
„ *Fac signum Crucis in aqua*
„ *de Chrismate.*
„ Fecundetur, & sanctificetur fons iste de
„ hoc salutifero Chrismate, in nomine Domini no-
„ stri Jesu Christi. Qui venturus.
„ *Similiter de Oleo.*
„ Conjunctio Olei unctionis salutis, & aquæ
„ baptismatis. In nomine Patris, & Filii, &
„ Spiritus sancti. Amen.
„ *Interroga.* Abrenuntias sathanæ. ℟. Abre-
„ nuntio,
„ Et omnibus operibus ejus. ℟. Abrenuntio.
„ Et omnibus pompis ejus. ℟. Abrenuntio.
„ *Fac crucem de oleo in pectus,*
„ *& inter scapulas.*
„ Et ego linio te oleo salutis in Christo Je-
„ su Domino nostro in vitam æternam. Amen.
„ Credis in Deum, Patrem omnipotentem,
„ creatorem cœli, & terræ? ℟. Credo.
„ Credis in Jesum Christum, Filium ejus
„ unicum, Dominum nostrum, natum, & pas-
„ sum? ℟. Credo.
„ Credis in Spiritum sanctum, sanctam Ec-
„ clesiam catholicam, Sanctorum communio-
„ nem, remissionem peccatorum, carnis resurre-
„ ctionem, vitam æternam? Amen. ℟. Credo.
„ *Interrog.* Quid petis? ℟. Baptismum.
„ Vis baptizari? ℟. Volo.
„ Et ego baptizo te N. in nomine Patris, — Baptismus triplici immersione collatus.
„ *& mergit semel*, & Filii, *& iterum*, & Spi-
„ ritui sancti. Amen. *Et tertiò.*
„ Deus omnipotens, Pater Domini nostri Je-
„ su Christi, qui te regeneravit ex aqua, & Spi-
ritu

„ ritu ſancto, quique dedit tibi remiſſionem „ omnium peccatorum, ipſe te linit Chriſmate „ ſalutis, in Criſto Jeſu Domino noſtro, in vi„ tam æternam. Amen.

„ *Ad Veſtem.*

„ Accipe veſtem candidam, quam imma„ culatam perferas ante tribunal Chriſti, ut ha„ beas vitam æternam. Amen.

„ *Ad Candelam.*

„ Accipe lampadem ardentem irreprehen„ ſibilem: cuſtodi baptiſmum tuum, ut cum „ venerit Dominus ad nuptias, poſſis ei occur„ rere unà cum Sanctis in aula cœleſti, ut ha„ beas vitam æternam. Amen.

„ *Poſt communicet.*

„ Corpus Domini noſtri Jeſu Chriſti cu„ ſtodiat te in vitam æternam. Amen.

„ *Exorciſmus ſalis.*

„ Exorcizo te, creatura ſalis, per Deum „ vivum, &c.

„ *Oratio.*

„ Immenſam clementiam tuam, omnipo„ tens, æterne Deus, &c.

„ *Exorciſmus Aquæ.*

„ Exorcizo te, creatura aquæ, in nomine „ Dei Patris, &c.

„ *Oratio.*

„ Deus, qui ad ſalutem humani generis „ maxima, &c. *Omnia extant in Rituali Romano.*

„ *Hìc mittat ſal.*

„ Commixtio ſalis, & aquæ pariter, in „ nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. „ Amen.

„ Do-

„ Dominus vobiſcum.

„ *Oratio.*

„ Deus invictæ virtutis auctor, & inſupe-„ rabilis imperii Rex, &c. *Legitur in eodem Rituali Romano.*

„ *Oratio in Eccleſia.*

„ Exaudi nos, Domine Sancte, Pater om-„ nipotens, æterne Deus, & mittere dignare „ ſanctum Angelum tuum de cœlis, qui nos „ cuſtodiat, foveat, protegat, viſitet, & de-„ fendat. Per.

„ *Deinde Letania; poſtea* „ Kyrie eleiſon; „ Gloria in excelſis Deo. *Oratio ad Miſſam:* „ Deus, qui hanc ſacratiſsimam noctem, &c. *Et ſequuntur alia ut in Miſſali Romano, exceptâ Antiphonâ, & Oratione, quæ* Communio, & Poſtcommunio *nominantur: ex quibus altera omnino deeſt, ea fortaſſis ratione, quòd non erat à Sacerdote, ſed ab aſſiſtente illi Diacono, ad Veſperas unà cum Miſſa conjungendas, decantata; ut videbimus infra ex Ordine Meſſanenſis Eccleſiæ, altera verò diverſa ab hodierna Romana exhibetur: quam hîc exſcribimus.*

„ *Poſtcommunio.*

„ Præſta quæſumus omnipotens Deus, ut „ divino munere ſatiati, & ſacris myſteriis in-„ novemur, & moribus. Per.

ORDO

IN SABBATO SANCTO.

Ex triplici Missali, uno in folio, & duo in quarto Ecclesiæ Messanensis.

„ *Dicta Nona, procedatur processionaliter ad benedicendum Ignem novum cum Ministris, & Sacerdote suo nihil dicentes. Et portetur arundo, seu virga, in capite cujus sint tres candelæ extinctæ in modum tripodi adaptatæ, & ligatæ, quæ deferantur a Diacono semper. Et cum perventum fuerit ad januam Ecclesiæ, accendatur Ignis cum sarmentis, & non aliis lignis: & Sacerdos, ut moris est indutus, benedicat, dicens.*

„ In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Amen.

„ ℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.

„ ℟. Qui fecit cœlum, & terram.

„ *Benedictio Ignis.*

„ *Oratio.*

„ Domine Deus, Pater omnipotens, &c.

„ *Oratio.*

„ Deus, qui Filium tuum, angularem scilicet lapidem, &c. *Extant, aliquibus immutatis verbis, in Missali Romano.*

„ *Deinde cum aspergat aquâ benedictâ; „ & ex eo accendantur candelabra tantùm.*

„ Be-

,, *Benedictio Incensi.*

,, *Oratio.*

,, Veniat, omnipotens Deus, &c. *Extat quoque paullulum immutata in eodem Missali Romano.*

,, *Et aspergat aquâ benedictâ: intrent Ec-*
,, *clesiam; & Sacerdos arundinem illam cum*
,, *candelis manu gestans, genuflectat, & ceteri*
,, *cum eo, dicens:* Lumen Christi. *Et respon-*
,, *detur:* Deo gratias. *Deinde procedat paul-*
,, *lulum, dicens:* Lumen Christi. ℞. Deo gra-
,, tias. *Et iterum paullum procedens, dicat*
,, *altius:* Lumen Christi. ℞. Deo gratias. *Po-*
,, *stea Cantor incipiat Antiphonam:* Cum Rex
,, gloriæ Christus. *Et sic cantando, intret in*
,, *Chorum.*

,, Cum Rex gloriæ Christus infernum de-
,, bellaturus intraret, & Chorus Angelicus an-
,, te faciem ejus portas principum tolli præcipe-
,, ret, Sanctorum Chori, qui tenebantur in
,, morte captivi, voce lacrymabili clamaverunt:
,, Advenisti desiderabilis, quem expectabamus
,, in tenebris, ut educeres hac nocte vincula-
,, tos de claustris: te nostra flagrabant suspiria:
,, te larga requirebant lamenta: tu factus es
,, spes desperatis, magna consolatio in tormen-
,, tis.

Inde benedictio Cerei Paschalis eadem verborum congerie, ac in præfato Ordine insignis Panormitanæ Ecclesiæ ordinata, exceptis precibus pro his, qui sunt in sublimitate constituti, quas absolvit sic ,, Una cum patre nostro Papa N.
,, & Rege nostro N. & Antistite nostro N. quie-
,, te temporum concessa.

„ *Quâ finitâ, Sacerdote cum Ministris*
„ *ante Altare in locis sedente, Decanus, seu*
„ *Major in Choro incipiat in tono Prophetiæ;*
„ *& ceteri per ordinem descendendo sequantur.*

„ *Lectio Libri Genesis; sine titulo.*

„ In principio creavit Deus, &c.

„ *Oratio.*

„ Deus, qui mirabiliter creasti hominem, &c.

„ *Lectio Libri Exodi; sine titulo.*

„ In diebus illis: Factum est in vigila, &c.

„ *Tractus.*

„ Cantemus Domino: gloriosè, &c. *Leguntur in Missali Romano.*

„ *Oratio.*

„ Deus, qui peccati veteris hereditariam
„ mortem, in qua posteritatis genus omne suc-
„ cesserat, Christi Filii tui, Domini nostri, passio-
„ ne solvisti: da, ut conformes ejusdem facti,
„ sicut imaginem terrenam in naturæ necessita-
„ te portavimus, ita imaginem cœlestis gratiæ
„ sanctificatione portemus, Christi Filii tui, Do-
„ mini nostri. Qui tecum.

„ *Lectio Libri Exodi; sine titulo.*

„ In diebus illis: Dixit Dominus ad Moy-
„ sen, &c.

„ *Oratio.*

„ Deus, cujus antiqua miracula, &c.

„ *Lectio Libri Deuteronomii; sine titulo.*

„ In diebus illis: Scripsit Moyses, &c.

„ *Tractus.*

„ Attende cœlum, & loquar, &c.

„ *Oratio.*

„ Deus, qui nos ad celebrandum, &c.

Le-

,, *Lectio Isaiæ Prophetæ*.

,, In diebus illis: Apprehendent, &c. *Extat in eodem Missali Romano*.

,, *Oratio*.

,, Deus, qui nobis per Prophetarum ora
,, præcepisti temporalia relinquere, atque ad
,, æterna festinare: da famulis tuis, ut quæ à
,, te jussa cognovimus, implere cœlesti inspira-
,, tione valeamus. Per Dominum.

,, LETANIA SEPTENA.

,, *Quæ dicenda est ante Altare à quin-*
,, *que Clericis sigillatim ab unoquoque, à se-*
,, *niore semper descendendo ad juniores; dehinc*
,, *à dextro Choro; postea respondente sinistro*
,, *Choro*.

,, Kyrie eleison.
,, Christe eleison.
,, Pater de cœlis Deus, miserere nobis.
,, Sancta Maria, ora pro nobis.
,, Sancte Michael, ora.
,, Sancte Johannes Baptista, ora.
,, Sancte Petre, ora.
,, Sancte Paule, ora.
,, Sancte Andrea, ora.
,, Sancte Stephane, ora.
,, Sancte Line, ora.
,, Sancte Clete, ora.
,, Sancte Clemens, ora.
,, Sancte Sebastiane, ora.
,, Sancte Silvester, ora.
,, Sancte Martine, ora.

,, San-

„ Sancte Hilari, ora.
„ Sancte Nicolae, ora.
„ Sancta Anna, ora.
„ Sancta Maria Magdalena, ora.
„ Sancta Felicitas, ora.
„ Sancta Perpetua, ora.
„ Sancta Agatha, ora.
„ Sancta Catharina, ora.
„ Sancta Tecla, ora.

„ LETANIA QUINTA.

„ *Quae est dicenda à tribus Clericis; ab unoquoque sigillatim; dehinc similiter ab utroque Choro singulariter.*

„ Christe eleison.
„ Fili Redemptor mundi Deus, miserere nobis.
„ Spiritus sancte Deus, miserere nobis.
„ Sancta Dei genitrix, ora.
„ Sancte Gabriel, ora.
„ Omnes sancti Patriarchae, & Prophetae, orate.
„ Sancte Philippe, ora.
„ Sancte Bartholomaee, ora.
„ Sancte Matthaee, ora.
„ Sancte Corneli, ora.
„ Sancte Cypriane, ora.
„ Sancte Eleutheri, ora.
„ Sancte Laurenti, ora.
„ Sancte Vincenti, ora.
„ Sancte Gregori, ora.
„ Sancte Ambrosi, ora.
„ Sancte Augustine, ora.
„ Sancte Hieronyme, ora.

„ San-

„ Sancta Lucia, ora.
„ Sancta Scholastica, ora.
„ Sancta Anastasia, ora.
„ Sancta Ursula, ora.

„ LETANIA TERNA.

„ *Quam dicent Archichori duo, respon-*
„ *dente Choro destro, & postea sinistro, & eun-*
„ *tibus omnibus ad fontem.*

„ Kyrie eleison.
„ Christe eleison.
„ Kyrie eleison.
„ Sancta Trinitas unus Deus, miserere nobis.
„ Sancta Virgo Virginum, ora pro nobis.
„ Sancte Raphael, ora.
„ Omnes sancti Angeli, & Archangeli, orate.
„ Omnes sancti beatorum spirituum ordines,
„ orate.
„ Omnes sancti Patriarchæ, & Prophetæ, orate.
„ Sancte Matthia, ora.
„ Sancte Marce, ora.
„ Sancte Luca, ora.
„ Omnes sancti Apostoli, & Evangelistæ, orate.
„ Sancte Sixte, ora.
„ Sancte Christophore, ora.
„ Omnes sancti Martyres, orate.
„ Sancte Germane, ora.
„ Sancte Columbane, ora.
„ Sancte Antoni, ora.
„ Sancte Joseph, ora.
„ Omnes sancti Confessores, orate.
„ Sancta Fides, ora.

„ San-

" Sancta Spes, ora.
" Sancta Caritas, ora.
" Omnes sanctæ Virgines, orate.
" Omnes Sancti, & Sanctæ Dei, orate.

" *Quâ expletâ, sint Sacerdos, & Ministri circa fontem cum cruce, & candelabris, & cereo chrismali, Diacono cum arundine illa, & contra fontem sint stantes tres Presbyteri, tenentes singuli ampullas Chrismatis, Olei sancti, & Olei Catechuminorum, utroque Choro fontem in modum coronæ cingente, & Sacerdos incipiat benedictionem fontis, legendo altius in modum orationis.*

" *Incipit consecratio Fontis.*

" *Oratio.*

" Omnipotens sempiterne Deus, adesto magnæ pietatis tuæ mysteriis, &c. *Et sequitur, ut in Missali Romano usque ad elevationem Cerei de fonte, inde sic.*

" Ut omnis homo Sacramentum regenerationis ingressus, veræ innocentiæ novâ infantiâ renascatur. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum. Qui venturus est judicare vivos, & mortuos, & seculum per ignem. Amen. *Hîc deguttet Cereum faciendo crucem in fonte, dicendo.* Sanctificetur, & fecundetur fons iste. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Amen. *Tunc aspergat Sacerdos de ipsa aqua super populum, & qui voluerint accipere, accipiant. Deinde si opus fuerit, vel in festis Paschæ, vel in Pentecoste, ut nonnulli faciunt, mittatur Oleum sanctum, & Chrisma in fontem in modum Crucis cum ampulla sua, & dicat*

" *Sa-*

„ *Sacerdos* : Sanctificetur, & fecundetur fons „ iste conjunctione Olei unctionis, & aqua baptismatis. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Amen. *Hîc infundat Chrisma in modum crucis* : Sanctificetur, & fecundetur fons iste conjunctione hujus Chrismatis, & aqua baptismatis. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Amen.

„ *Cum hac singulari Letania redeant in Chorum, quam dicent Archichori, subsequente Choro.*

„ Propitius esto, parce nobis Domine.
„ Propitius esto, exaudi nos Domine.
„ Propitius esto, libera nos Domine.
„ Ab insidiis Diaboli, libera.
„ A damnatione perpetua, libera.
„ Ab imminentibus peccatorum nostrorum periculis, libera.
„ Ab infestationibus Dæmonum, libera.
„ A spiritu fornicationis, libera.
„ Ab appetitu inanis gloriæ, libera.
„ Ab omni immunditia mentis, & corporis, libera.
„ Ab ira, & odio, & omni mala voluntate, libera.
„ Ab immundis cogitationibus, libera.
„ A cæcitate cordis, libera.
„ A fulgure, & tempestate, libera.
„ A subitanea, & æterna morte, libera.
„ Per annunciationem tuam, libera.
„ Per incarnationem tuam, libera.
„ Per nativitatem tuam, libera.
„ Per circumcisionem tuam, libera.
„ Per apparitionem tuam, libera.
„ Per baptismum tuum, libera.
„ Per jejunium tuum, libera.

„ Per passionem, & crucem tuam, libera.
„ Per mortem, & sepulturam tuam, libera.
„ Per gloriosam resurrectionem tuam, libera.
„ Per admirabilem ascensionem tuam, libera.
„ Per gratiam sancti Spiritus Paracliti, libera.
„ In hora mortis, succurre nobis Domine.
„ In die Judicii, libera nos Domine.
„ Peccatores, te rogamus audi nos.
„ Ut pacem nobis dones, te rogamus.
„ Ut misericordia, & pietas tua nos custo-
„ diat, te rogamus.
„ Ut Ecclesiam tuam regere, & defensare di-
„ gneris, te rogamus.
„ Ut omnibus benefactoribus nostris sempiterna
„ bona retribuas, te rogamus.
„ Ut animas nostras, & parentum nostrorum
„ ab æterna damnatione eripias, te rogamus.
„ Ut fructus terræ dare, & conservare digne-
„ ris, te rogamus.
„ Ut nos exaudire digneris, te rogamus.
„ Fili Dei, te rogamus.
„ Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, parce
„ nobis Domine.
„ Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, exau-
„ di nos Domine.
„ Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, mise-
„ rere nobis.

„ *Finitâ Letaniâ, Sacerdos induat casu-*
„ *lam, & accedat cum Ministris ad Altare,*
„ *& faciat confessionem, ut moris est. Et in-*
„ *cipiat Cantor :* Kyrie eleison III. Christe
„ eleison III. Kyrie eleison III. *Postea inci-*
„ *piat Sacerdos alta voce :* Gloria in excelsis
„ Deo. *Pulsantur omnes campanæ. Deinde di-*
„ *cit*

„ *cit Sacerdos* : Dominus vobiscum . *Oremus*. *Sequitur Oratio* , *& reliqua omnia* , *ut in Ordine Missæ Romanæ* , *præter Antiphonam*, *quæ* Communio *nominatur* , *quam* , *tacente Sacerdote* , *Diaconus Altari serviens* , *præcinebat ad Vesperas unà cum Missa conjungendas*.

CAPUT XXX.

Dominica Resurrectionis.

I. EX ritu Ecclesiæ Siculæ ante nocturnas Vigilias Clerici, illius processionis memoriam recolentes, quam tres Mariæ, Magdalene, Jacobi, & Salome, emptis aromatibus, sacrum Christi Corpus uncturæ, peregerunt, procedebant ad navim Ecclesiæ, Domini Sepulchrum, & Crucem illi superimpositam adoraturi. Hujus processionis officium describunt Breviaria membranacea in octavo Ecclesiæ Messanensis, quibus concinunt & alia Gallo - Sicula sextodecimo ineunte seculo Venetiis edita. Quorum sunt verba : *Dominica Resurrectionis Domini nostri Jesu Christi* , *antequam incipiant Clerici matutinum* , *fit processio ad navem* ; *& ibi adorant præparatum Sepulchrum* , *& Crucem positum* , *ut moris est* , *super ipsum* ; *& stantes in circuitu ad modum coronæ* , *incipitur absolutè à Cantore* ℟. *Christus resurgens ex mortuis* . *Quo finito* , *absolutè dicitur* : *Oremus* . *Deus* , *qui hodierna die* .

Processio ad Sepulchrum.

II. Tres antiqui Missales Libri ejusdem Messanensis Ecclesiæ exhibent Hymnum in reditu hujusce processionis cantari solitum, quem in

Hymnus in reditu processionis.

gratiam sacræ Antiquitatis hîc transcribere deliberavimus.

„ Salve festa dies, toto venerabilis ævo;
„ Quâ Deus infernum vicit, & astra tenet:
„ Ecce renascentis testatur gratia mundi,
„ Omnia cum Domino dona rediisse suo:
Salve.
„ Tempora florigero rutilant distincta sereno;
„ Et majore poli lumine porta patet.
Quâ Deus.
„ Namque triumphanti, post tristia tartara,
„ Christo,
„ Undique fronde nemus gramina flore
„ favent. Salve.
„ Qui crucifixus erat Deus, ecce per omnia regnat:
„ Dantque Creatori cuncta creata precem.
Quâ Deus.
„ Christe, salus rerum, bone Conditor, atque
„ Redemptor:
„ Unica progenies ex Deitate Patris.
Salve.
„ Qui genus humanum cernens mersisse profundo:
„ Ut hominem eriperes, es quoque factus
„ homo. Quâ Deus.
„ Funeris exequias pateris novus auctor, & Orbis
„ Intras mortis iter, dando salutis opem.
Salve.
„ Pollicitam sed redde fidem, precor, alma
„ Potestas:
„ Tertia lux redit, (*) surge, sepulte Deus:
Quâ Deus.
„ Solve catenatas inferni carceris umbras:
„ Et revoca sursum quicquid ad ima ruit.
Salve.

(*) Rediit

Red-

„ Redde tuam faciem, videant ut fecula lumen:
„ Redde diem, qui nos, te moriente, fu-
„ git. Salve.

III. Sepulchri adorationem excipiebat matutina Psalmodia uno tantummodo Nocturno, partim cum hodierno Romano conveniente, partim autem discrepante, absolvenda. Ad Invitatorium siquidem adhibebatur Antiphona illa: *Alleluja, alleluja, Christus hodie surrexit, alleluja, alleluja*. Sequebantur inde tres Antiphonæ aliæ, totidemque Psalmi nihilo aliter, ac in Ordine Romano. Tum ℣. *Resurrexit Dominus, alleluja*. ℟. *Sicut dixit vobis, alleluja*. At nec tantum, nec ita ex Homilia XXI. S. Gregorii desumptum erat pro tribus Lectionibus in hodiernum Evangelium Marci cap. XVI. Ex Breviario membranaceo insignis Panormitanæ Ecclesiæ Lectio I. *Multis Lectionibus vobis, fratres charissimi*. Lect. II. *Unde nunc à memetipso*. Lect. III. *Et quidem ad opus hoc*. Ex Breviariis verò Gallo-Siculis jam editis Lect. I. *Congratulamini in Domino, dilectissimi*. Lect. II. *Illæ autem mulieres*. Lect. III. *Et sequitur: Jesum quæritis Nazarenum crucifixum*. Primum ℟. *Angelus Domini descendit de cœlo*. ℣. *Angelus Domini*. Alterum ℟. *Angelus Domini loquutus est mulieribus*. ℣. *Ecce præcedet vos in Galilæam*. Tertium ℟. *Dum transisset Sabbatum*. ℣. *Et valdè mane una Sabbatorum*. Dicto inde Hymno, *Te Deum*, Nocturnæ Psalmodiæ imponebatur finis per Versum cum Responsorio, sic: ℣. *In resurrectione tua, Christe, alleluja*. ℟. *Cœli, & terra lætentur, alleluja*. Matutina Psalmodia

IV. In matutinis Laudibus, Horisque diurnis Laudes & Horæ.

nis nihil, cui utiliter immorandum sit, ex antiquo nostro ritu occurrit: nàm eodem fermè pacto decurrebatur Officium, quo hodie ex Ordine Romano, exceptâ Primâ, quæ, omissis solita Oratione, & aliis, finiebatur per Orationem diei post ultimum Psalmum recitandam, quemadmodum & reliquæ Horæ concluduntur.

Missa. V. Ad Officium Missæ quod attinet, illud singulare observare mihi contigit, quod ex duobus vetustissimis Missalibus Libris Ecclesiæ Panormitanæ, altero in quarto, altero in folio quatuor dicebantur Orationes, quæ *Postcommunio* nominantur, quales sunt: *Spiritum nobis, Domine -- Concede, quæsumus omnipotens Deus, ut resurrectionis -- Præsta, quæsumus omnipotens Deus -- Præsta, quæsumus omnipotens Deus, ut qui.*

De Benedictionibus Paschalibus. VI. In primo ex his duobus valde antiquis Missalibus post ultimam Orationem exhibentur tres benedictiones, quæ tunc temporis solemni Paschatis die fieri consueverant, quas nos Eruditorum non vanæ curiositati consulentes, ad calcem præsentis Capitis in lucem emittere deliberavimus. Ex his prima, quæ inscribitur, *Benedictio Logi*, in antiquo Ordine Romano à Melchiore Hittorpio edito, nominatur, *Benedictio Carnium.*

Vesperæ. VII. Antiqui Vesperarum ritus nobis exponendi nunc sunt. Communis Siciliæ usus obtinuit, ut Vesperarum Officium non quinque in Paschate, sed tribus constaret Psalmis, totidemque Antiphonis, primis Laudum: hæc porrò Officii pars absolvebatur ita: Antiphona: *Angelus autem Domini.* Psalmus: *Dixit Dominus.*

An-

Antiph. *Et ecce terremotus*. Psalm. *Confitebor tibi, Domine*. Antiph. *Erat autem aspectus ejus*. Psalm. *Beatus vir, qui timet*. Inde dicebatur Antiphona: *Haec dies, quam fecit Dominus*. Quam comitabantur Responsorium, & Versus, prae illius aetatis more, ad Vesperas post Capitulum praecinenda. ℟. *Confitemini Domino*. ℣. *Pascha nostrum*. Postea ad Magnificat, Antiphona: *Et respicientes viderunt*. Postremò Oratio: *Concede, quaesumus, omnipotens Deus*.

VIII. Absolutis Vesperis, ex uniformi Codicum nostrorum consensu ordinabatur solemnis processio, delatis summo cum honore, Chrismate, & Oleo sancto. Antiquum Missale Ecclesiae Messanensis in folio praescribit, ut cum duobus his Oleis sacris unà duceretur Oleum Catechumenorum cum Cereo Paschali. In hujus processionis reditu fieri solita erat statio ad Crucem, id est ante Crucifixum in Ecclesiae navi suspensum, diversis utrobique recitatis Responsoriis, Versibus, & Orationibus. Interim dum Chorum ingrediebatur processio, celebrabatur solemnis memoria de S. Maria cum ejus Antiphona: *Regina coeli, laetare*. Versu, Responsorio, & Oratione. Processio ad Fontem. Statio ad Crucem.

IX. *Ad Completorium* (ut habent verba Breviarii Gallo-Siculi anno 1527. editi) *Antiphona: Respondens autem Angelus*: Psalmi: *Cum invocarem -- In te Domine -- Ecce nunc -- Nunc dimittis*; ℣. *Haec dies*; *quibus finitis, dicitur Oratio: Spiritum nobis*. Singulare est illud, quod exhibetur in antiquiori Breviario manu exarato insignis Panormitanae nostrae Ecclesiae, nempe ut medium inter Psalmum, *Ecce nunc*, & Can- Completorium.

& Canticum, *Nunc dimittis*, dicatur ipsa eadem Sequentia, quæ in Officio Missæ recitari etiam nunc solet: *Victimæ Paschalis*.

ORDO

BENEDICTIONUM PASCHALIUM

Ex M. S. Missali in quarto Ecclesiæ Panormitanæ ante sexcentos annos scripto.

Benedictio Logi.

„ DEus, qui universæ carnis Noe, filiis (*)
„ suis de mundis, & immundis animali-
„ bus præcepta dedisti, quique sicut olera herba-
„ rum humano generi quadrupedia munda ede-
„ re permisisti, quique agnum in Ægypto Moy-
„ si famulo tuo in vigilia Paschæ comedere
„ præcepisti, in figura Domini nostri Jesu Chri-
„ sti, cujus sanguine omnia primogenita de
„ mundo redemisti, & in nocte illa primogeni-
„ tum in Ægypto percutere præcepisti, servans
„ populum tuum agni sanguinem pernotatum: (*)
„ dignare, bene ✝ dicere, & sancti ✝ care
„ has ovium mundarum carnes; ut quicum-
„ que fideles de populo tuo ex eis commede-
„ rint, omni benedictione cœlesti, & gratiâ
„ repleantur. Per.

(*) Deus universæ carnis, qui Noe, & filiis.

(*) Sanguine prænotatum.

„ *Alia Benedictio Agni.*
Oratio.

„ Deus, qui per Moysen famulum tuum
„ in liberatione populi tui de Ægypto agnum
„ occidi jussisti, in similitudinem Domini nostri
„ Je-

„ Jesu Christi, & utrumque postem domorum „ de sanguine agni ipsius perungi præcepisti: „ sancti ✝ fica ipsius agni, sive avium carnes; „ ut eas in hac solemnitate sanctæ Paschæ cum „ tua gratia edere gratulanter meream. Per „ eundem.

„ *Benedictio Casei, & Ovorum*:

„ Deus, qui nos per Paschalia festa lætificas, „ dona hæc tua, caseum, & ova in nobis san„ cti ✝ fica, & fac nos ad gaudia pervenire „ æterna. Per.

CAPUT XXXI.

De Octava Paschæ, deque tempore Paschali.

I. QUæ de antiqua Siculorum disciplina in festo Paschæ adhibita notatu digna habebamus, exposuimus hactenus: nunc de ritibus subsequentium solemnitatem istam dierum agamus; circa quos pauca hæc veniunt observanda.

II. Primò ad ampliorem sanctæ Paschæ ostendendam lætitiam, non unam dumtaxat hebdomadam, sed quinque consecrarunt religiosa Siculorum corda: quamobrem dies omnes usque ad Sabbatum ante Dominicam v. post Pascham, quæ in antiquis nostris Codicibus inscribitur *Dominica Rogationum* in divinis celebrandis Officiis Paschatis rationem obtinebant, Psalmodiæ ordinem admittentes brevissimum. Verba Breviarii Gallo-Siculi anni 1527. subjiciamus: *Do-*

Tempus Paschale quinque hebdomadibus constabat.

minica IV. *post Octavam Paschæ, quæ dicitur Rogationum; & ideo ab aliis præteritis differt, quia in hac terminatur Paschale tempus.* Hinc plane constat Gregorii Papæ VII. generale synodicum decretum (a) de uno solum Nocturno tres Psalmos, tresque Lectiones continente *in die Resurrectionis usque in Sabbatum in Albis, & in die Pentecostes usque in Sabbatum ejusdem*, non vero diebus aliis recitando, contrariam Ecclesiæ Siculæ consuetudinem minimè derogasse, quæ ita inoleverat, ut quotidie ad Dominicam usque Rogationum non modo, verum & usque ad Octavam Pentecostes inclusivè non nisi, ac unum solum Nocturnum admittebat.

Officium nocturnum Octavæ.

III. Secundò qui in festo Resurrectionis adhibebatur precum ecclesiasticarum ordo, idem singulis Octavæ, seu prioris hebdomadæ diebus obtinebat, illo tantùm excepto, quod Feriâ v. & deinceps usque ad Sabbatum in Albis ad nocturnum Officium, matutinasque Laudes una dicebatur Antiphona super Psalmos; ut præscribit antedictum Breviarium ritus ejusdem Feriæ v. exhibens: *Feria* v. *ad Nocturnum, Antiphona una usque ad Sabbatum*. Et iterum: *Ad Laudes, & per Horas, Antiphona una, & Psalmi ut supra*. Quæ verba iterum iterumque Feriâ VI. & Sabbato repetit.

Psalmorum pro tempore Paschali distributio.

IV. Tertiò exacta priore hebdomada, Psalmi ad nocturnum Officium eâ methodo ordinabantur, ut qui unius alioquin hebdomadæ circulo toti recitandi erant, quatuor his implen-

(a) *Apud Gratianum de consecrat. dist.* 5. *cap.* 15.

plendis hebdomadibus sufficerent. Sanè ex duodecim Feriæ II. Psalmis tres priores admittebat Feriæ II. secundæ hebdomadæ, quæ dicitur in Albis, totidem Feria II. alterius hebdomadæ, septimum, octavum, & nonum Feria II. quartæ hebdomadæ, tribus postremis Feriæ II. quintæ hebdomadæ relictis. Et ita in Feria III. aliisque diebus observabatur.

V. Quartò altera post Pascham die, & per totam Octavam eundem Siculi vespertini Officii admiserunt ordinem, quem ipsâ Paschatis die, trium videlicet Psalmorum, & trium Antiphonarum, ex quinque hodiernis Romanis primorum; quemadmodum referunt omnia cum edita, tum manu exarata Breviaria Sicula, antiquius Panormitanum membranaceum in quarto hac in parte sequuta, quod Dominicâ Resurrectionis hæc exhibet: *Ad Vesperas, Antiphona: Angelus autem Domini. Psalmus: Dixit Dominus. Antiph. Et ecce. Psalm. Confitebor. Antiph. Erat autem. Psalm. Beatus vir.* Adjunctis his, quæ Feriâ IV. ejusdem hebdomadæ repræsentat: *Ad Vesperas, Antiphona: Angelus autem. Psalmus: Dixit Dominus. Cum ceteris Antiphonis, & Psalmis; & dicuntur per totum Octavam.* Omnibus Sabbatis, & Festis intra Paschale tempus occurrentibus tres pariter Psalmos ex antiquo nostro ritu admissos esse constat; reliquis vero diebus quinque. Afferamus ejusdem Breviarii Panormitani testimonium ex Sabbato in Albis: *Ad Vesperas Antiphona: Alleluja, alleluja, alleluja. Psalmus. Benedictus. Antiphona: Alleluja, alleluja, alleluja. Psalmus: Exaltabo. Antiphona: Al-*

Vespertini Officii descriptio.

leluja ; alleluja , alleluja . Psalmus : Lauda anima mea . Quæ dicuntur per omnia Sabbata Resurrectionis . Et iterum ex Feria III. Dominicæ in Albis : *Nota quod per totam Resurrectionem ad Vesperas dicuntur Psalmi quinque tàm in Dominicis , quàm in aliis diebus ferialibus , exceptis Sabbatis , & primis Vesperis Festorum .*

Processiones serotinæ.

VI. Quintò ipsâ eâdem Feriâ II. post Pascham, & deinceps usque ad Sabbatum in Albis post Vesperas ad Fontem , & ad Crucem processiones quotidiè fieri consueverant , nihilo aliter , quàm in ipsa Paschatis die , cum diversis tamen pro diversitate dierum Orationibus ; licet Responsorium , & Versus , nisi in Feria V. & Feria VI. haud variebantur . Usque , inquam , ad Sabbatum in Albis , ista enim die , omissâ processione ad Fontem altera tantùm ad Crucem retinebatur , aliis quoque Sabbatis intra Paschale tempus occurrentibus semper iteranda . Ità , omissis aliis , præscriptum invenio in memorato Breviario Gallo-Siculo ubi ritus solemnitatis Paschæ repræsentat.

Quicumq; & Psalmus *Qui habitat* non admissa.

VII. Sextò per totum tempus Paschale , & ultrà *usque post Octavam Pentecostes* , (verba sunt modo laudati Breviarii Gallo - Siculi in Dominica in Albis) Symbolum *Quicumque* ad Primam , & Psalmus *Qui habitat* ad Completorium minimè recitabantur .

Commemorationes communes.

VIII. Septimò altera post Dominicam in Albis die , & deinceps usque ad vigiliam Ascensionis ex antiquo Breviario Panormitanæ nostræ Ecclesiæ in utrisque Vesperis , & Laudibus fiebant Commemorationes *de Cruce -- de Sanctis -- de S. Maria* , exceptis Sabbatis , & Festis , in quibus

re-

retentâ illâ *de Sanctis*; reliquæ omittebantur. Apud Messanensem Ecclesiam usus alius invaluit: nam in Sabbatis, & Festis duæ recitabantur Commemorationes, *de Resurrectione* nempe, & *de S. Maria*; in Feriis autem tres, una *de Resurrectione*, altera *de Cruce*, tertia *de Sanctis*. Conveniunt de hoc cum Messanensi Ordinario antiqua omnia Breviaria Gallo-Sicula sextodecimo ineunte seculo Venetiis in lucem emissa.

IX. Octavò in antedicta Fera II. & reliquis post Octavam Paschatis nocturnæ Psalmodiæ minimè subjungebatur *Te Deum*. Hymnus *Te Deum non dicitur in Feriis*. Verba sunt Breviarii Gallo-Siculi anni 1527. ubi ritus ejusdem Feriæ II. exhibet. In Feriis Paschalibus *Te Deum* omissum.

X. Nonò Festa omnia intra Paschale tempus occurrentia, etiam dominicalia, & ritu duplicia, uno pariter nocturno celebrabantur. Quæ qualia fuerint, ne cum Festis trium Lectionum perperam confunderentur, nunc jam exponimus, antedicti Breviarii Gallo-Siculi (a) verba exscribentes: *Notandum est, quod Festa Sancti Eleutherii, Sancti Georgii, Sancti Petri Martyris, Inventionis Sanctæ Crucis, Coronæ Domini, Sanctæ Catarinæ de Senis, Sancti Angeli de Leocata, S. Cathaldi, & S. Philippi de Argyrione, quamvis trium Lectionum sint; tamen sunt Festa Dominicalia propter Paschale tempus.* Festa Dominicalia in Paschali tempore occurrentia.

XI. Decimò in toto tempore Paschali, & ultrà, usque scilicet ad Ascensionem, etiam cele- Hymni Paschales.

(a) *In Rubr. general. post Psalterium positis* §. 21.

lebrato alicujus Festi dominicalis Officio, non obtinebant Hymni matutinales, vel vespertini, qui, variante metro, Paschalis clausula, non poterant finiri: *Omnes Hymni cantantur in tono: Ad cœnam Agni providi. nec dicitur in Martyribus Hymnus: Sanctorum meritis; sed dicitur Hymnus: Rex gloriose Martyrum; usque ad Ascensionem. Nec dicitur: Iste Confessor; sed: Jesu Redemptor omnium. cum cæteris propter metrum, ut possit semper addi: Quæsumus Auctor. Et: Gloria tibi Domine.* Hæc Breviarium Gallo-Siculum modo laudatum *(a)*. In medium afferamus integras duas Hymni Strophas, quas idem Breviarium citat, ex eodem, alio in loco *(b)*.

„ Quæsumus Auctor omnium,
„ In hoc Paschali gaudio
„ Ab omni mortis impetu
„ Tuum defende populum.
„ Gloria tibi, Domine,
„ Qui surrexisti à mortuis,
„ Cum Patre, & sancto Spiritu
„ In sempiterna secula. Amen.

CAPUT XXXII.

De Litania in festo S. Marci, & in triduo ante Ascensionem.

Litaniarum dies an, & quomodo festivi.

I. Dies Litaniæ majoris in festo S. Marci, & Litaniæ minoris in triduo, quod Dominicam v. post Pascham excipit, in quibus solem-

(a) *In offic. S. Georgii Mart. die 21. Aprilis.*
(b) *In offic. Completorii Sabbati in Albis.*

lemnes agere supplicationes solet Ecclesia, festivos esse, quousque duraret processio, voluerunt Siculi: quatenus ab opere manuum omnes abstinentes, divinis precibus devotiùs animum intenderent. Id absque ulteriori testimonio planè confirmat Syracusana Synodus (a), Præsule Hieronymo Bononio, coacta, ubi agit de observatione festorum, inquiens: *Rogationum similiter quousque finiatur processio, idemque in die S. Marci*. Concinit ei Synodus altera Ecclesiæ Montis-Regalis sub Archiepiscopo Alexandro Cardinali de Farnesio prima (b); agens enim hisce de Litaniis: *Ad quas* (inquit) *juxtà ecclesiasticam disciplinam omnes utriusque sexus & convenire, & devotè assistere, ac rectè celebrare, omni servili opere semoto, jubemus*. Id est, ut alibi (c) exponit: *Durantibus Missis, in Civitate tantùm, propter processionem*. Imò ipsam diem Litaniæ majoris divino cultui integram consecravit Panormitanæ Urbis devotio, ratione processionis manè celebratæ non solum, sed & in gratiam beati Evangelistæ Marci: apud enim eam usus invaluit, ut Evangelistæ nihilo aliter, quàm Apostoli, interdicto omni servili opere, honorificentiâ diei festi afficerentur (d).

De jejunio in Rogationibus.

II. Ex antedicta Synodo Monteregalensi non leve nos argumentum elicere posse intelleximus, veterem illam, ac laudabilem Ecclesiæ di-

(a) *Tit.* 21. *cap. unic.*
(b) *Tit.* 12. *cap.* 2.
(c) *Tit.* 11. *cap.* 2.
(d) *In Tabulario Senatus Panormit. die* 4. *Martii*. 4. *Indict. Anni* 1425.

disciplinam de jejunio in Rogationum diebus observando, quam refert antiquus Ordo Romanus(a), circa medium decimisexti seculi jam, quo ad Siculos, in desuetudinem abjisse. Agedum Synodi verba subjiciamus (b): *Rogationes, indicto triduano jejunio, ante Domini ascensionem Orthodoxis celebrari placuit .... & licet jejunium in desuetudinem abjerit, Litaniæ eo tempore, & in die S. Marci fieri consueverunt.*

Litania major quot diebus celebrata.

III. Litanias majores in festo S. Marci institutas, non per unam tantum diem, sed per triduum, perinde ac in Rogationibus ante Ascensionem, olim celebrari existimat vir de antiqua Ecclesiæ disciplina benè meritus, Ludovicus Thomassinus (c); ei tamen adsentiendum esse cordatè negat Edmundus Martene (d), in palæstra sacræ Antiquitatis optimè quoque exercitatus: utpote cùm verba *Litaniæ majoris*, in quibus tota Thomassini argumenti summa, & cardo consistit, non minus ad triduanas supplicationes ante Ascensionem, quàm ad illas in festo S. Marci referri commodè possent. Et quidem in memorata Synodo Ecclesiæ Montis - Regalis triduum Rogationum ante Domini Ascensionem inscribitur: *Litaniæ majores, quas Rogationes dicimus*. Utut circa Ecclesias alias res se habeat, ad Siculam quà spectat, ex ipsa eadem Synodo mo-

(a) *De divinis offic. cap. de Litan. minor.*
(b) *Tit. 12. cap. 2.*
(c) *Tract. de Jejunio.*
(d) *De antiqu. Eccl. Discipl. in divinis celebr. Offic. cap. 27. n. 13.*

modò laudata (a) hujusmodi supplicationes in festo S. Marci neque per tres, nec per unam, benè tamen per duas dies celebratas esse colligere licet: enumerans enim dies festos per Civitatem observandos, inquit: *Marci Evangelistæ, & sequens dies, durantibus Missis, in Civitate tantum, propter processionem.*

IV. Hîc observandum venit, quod etsi ecclesiasticum diebus istis officium admodum prolixum admittebat Gallicana Ecclesia (b); at ei tamen hac in parte non adhæsit Sicula, in qua viguit usus, ut Dominicâ Rogationum cum tribus suis Feriis, & ultrà, Psalmodia potissimùm nocturna esset brevissima, tribus, quemadmodum in Paschate, constans Psalmis, totidemque Antiphonis, Lectionibus, & Responsoriis; ita antiqui nostri Codices ad unum demonstrant, & nos aptiùs diximus supra (c).

Officium breve.

V. Hac in processione *Letanias*, *Psalmos*, *& Hymnos* cantari statuit Hieronymus Bononius Syracusarum Episcopus, in antedicta sua Diœcesana Synodo (d); sed quales fuerint hujusmodi Litaniæ, quales Psalmi, quales Hymni, altissimo silentio præterit. Missales Libri Ecclesiæ Messanensis, Synodo ista paullo antiquiores, preces in exitu processionis adhibitas etiam reticent; illas verò, quæ in reditu cantari consueverant, integras exhibent; in quibus duo potissimum singularia observantur: unum quòd ad singulas Litaniarum invocationes, loco *Ora*

Preces in processione recitatæ.

(a) *Tit.* 11. *cap.* 2.
(b) *Apud Marten. cit.* *cap.* 27. *n.* 2.
(c) *Cap.* 31. *n.* 2.
(d) *Tit.* 2, *cap.* 15.

pro nobis, addebatur clausula: *Quæsumus almum poscere Regem jure memento, salvet ut omnes nos jubilantes*: alterum quòd uniformi semper deprecatione respondebat Chorus, dicens: *Kyrie eleison, qui pretioso sanguine mundum eripuisti de maledicti fauce draconis*. Ceterum mutilus non videtur esse processionis ordo, quem repræsentat iterum, iterumque memorata Synodus Ecclesiæ Montis-Regalis (a). Afferamus in medium hujusmodi sacræ Antiquitatis tabulas.

ORDO

IN ROGATIONIBUS.

Ex triplici Missali Libro Ecclesiæ Messanensis sæpius jam memorato.

„ *Antiphona.*

„ EXurge Domine adjuva nos. *Cum aliis* „ *Antiphonis.*

„ *Ad Missam, Introitus.*

„ Exaudivit de templo sancto suo vocem „ meam, alleluja. *Et sequitur Missa, ut in hodierno Missali Romano, cum unica tamen Oratione. Inde hæc.*

„ *Ad processionem in reversione dicatur à* „ *Cantore*: Kyrie eleison, qui pretioso san- „ guine mundum eripuisti de maledicti fauce „ draconis. *Et sic respondetur; sed duo Pres-* „ *byteri cantent Letaniam, dicentes*: Sancta „ Maria quæsumus almum poscere Regem ju- re

(a) *Tit. 12. cap. 7.*

„ re memento, salvet ut omnes nos jubilan-
„ tes. *Et Chorus semper respondet* : Kyrie
„ eleison, *prout supra*. *Et illi duo sequun-*
„ *tur Letaniam, ut assolet cum illis prædi-*
„ *ctis verbis, quousque veniant ad januam Ec-*
„ *clesiæ, unde processio egressa est : ad quàm*
„ *cùm venerint, duo Sacerdotes, vel illi, qui*
„ *prius induti sunt cappis, incipient cantan-*
„ *do* : Agne Dei, qui tollis peccata mundi,
„ miserere nobis. *Et Chorus idem respondeat* ;
„ *semper autem Crux stet in janua. Et illi*
„ *duo dicant* : ℣. Suscipe deprecationem no-
„ stram, qui surrexisti à mortuis. *Et Cho-*
„ *rus* : Miserere nobis. *Et illi duo* : Gloria
„ Patri. *Quâ inceptâ, transeat Crux, & in-*
„ *tret in Ecclesiam. Et illi sequantur* : Sicut
„ erat. *Et Chorus* : Agne Dei, qui tollis,
„ *ut supra*.

„ *Et illi duo* : Sancte Sanctorum Deus.
„ *Et Chorus* : Miserere nobis.

„ *Et illi duo* : Sancta Maria. *Et Chorus* :
„ Intercede pro nobis.

„ *Et illi* : Sancte Michael. *Chorus* : In-
„ tercede pro nobis.

„ Sancte Johannes Baptista,	intercede.
„ Sancte Petre,	intercede.
„ Sancte Paule,	intercede.
„ Sancte Stephane,	intercede.
„ Sancte Laurenti,	intercede.
„ Sancte Nicolae,	intercede.
„ Sancte Joseph,	intercede.
„ Sancte Benedicte,	intercede.
„ Sancta Maria Magdalena,	intercede.
„ Sancta Agatha,	intercede.

„ Sancta Lucia, intercede.
„ Sancta Catharina, intercede.
„ Omnes Sancti, & Sanctæ Dei, Intercedite pro
„ nobis,
„ *Et in fine dicant illi duo*:
„ Exaudi Deus voces nostras.
„ Exaudi Christe, miserere nobis.
„ Exaudi Deus orationem populi tui.
„ *Et Chorus respondeat genuflexus*:
„ Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.
„ *Deinde Cantor dicat summissa voce*: Exaudiat nos omnipotens, & misericors Dominus. ℟. Amen. *Et ita fit in his tribus diebus Rogationum. Feriâ tertiâ dicitur Missa de Dominica.*

ORDO

IN ROGATIONIBUS.

Ex antiqua Synodo Ecclesiæ Montis-Regalis.

„ IN *primis à Cantore, vel Majore intonetur Antiphona*: Exurge Domine, adjuva nos: & libera nos propter nomen sanctum tuum. *Psalmus*: Deus auribus nostris audivimus, & patres nostri annunciaverunt nobis. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto. *Et repetitur Antiphona. Deinde à Sacerdote dicatur*: Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster. Et ne nos inducas in tentationem. *Resp.* Sed libera nos à malo.

„ Do-

„ Dominus vobiſcum.

„ *Oremus*.

„ Mentem familiæ tuæ, quæſumus Domi-
„ ne, intercedente beata Maria ſemper Virgi-
„ ne cum omnibus Sanctis tuis, & munere com-
„ punctionis aperi, & largitate pietatis exau-
„ di. Per Chriſtum Dominum noſtrum. *Reſp.*
„ Amen.

„ *A Diacono, & Subdiacono, vel Can-*
„ *toribus, ſi ſunt parati, in proceſſione di-*
„ *catur*.

„ Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie
„ eleiſon. *Et ſequuntur Litaniæ, ut in Ri-*
tuali Romano, aliquibus invocationibus paul-
lulum immutatis.

„ *Quibus finitis, Sacerdos, ſi eſt indutus,*
„ *vel Major dicat*.

„ ℣. Exaudi, Domine, ſupplicum preces.
„ ℟. Et confitentium tibi parce peccatis.
„ ℣. Averte à nobis indignationem tuam.
„ ℟. Et procul ſit à nobis furor tuus.
„ ℣. Fiat ſuper nos miſericordia tua, Domine;
„ ℟. Quemadmodum ſperavimus in te.
„ ℣. Domine exaudi orationem meam.
„ ℟. Et clamor meus ad te veniat.
„ ℣. Dominus vobiſcum.
„ ℟. Et cum ſpiritu tuo.

„ *Oremus*.

„ Concede, quæſumus omnipotens Deus,
„ ut interceſſio nos ſanctæ Dei genitricis Virgi-
„ nis Mariæ, ſanctorum Angelorum, Archan-
„ gelorum, Patriarcharum, Prophetarum,
„ Apoſtolorum, Martyrum, & Confeſſorum,
„ atque ſanctarum Virginum, & omnium ele-

„ cto-

„ ctorum tuorum, ubique lætificet: ut dum
„ eorum merita recolimus, patrocinia sentia-
„ mus.

„ Dimitte, Domine, peccata nostra, &
„ tribue nobis misericordiam tuam, quam pre-
„ camur: ut humilitatem attendas, vincula
„ solvas, delicta deleas, tribulationes inspicias,
„ adversitatem repellas, effectumque petitionis
„ nostræ largiaris, & supplices tuos clementer
„ exaudias.

„ Omnipotens, & sempiterne Deus, in
„ cujus manu sunt omnium potestates, & om-
„ nium jura regnorum, respice in auxilium
„ Christianorum, ut gentes Paganorum, quæ
„ in sua feritate confidunt, potentiæ tuæ dexte-
„ râ comprimantur.

„ Deus, in quo vivimus, movemur, &
„ sumus, pluviam nobis tribue congruentem:
„ ut præsentibus subsidiis sufficienter adjuti, sem-
„ piterna fiducialiùs appetamus.

„ Omnipotens sempiterne Deus, mœstorum
„ consolatio, laborantium fortitudo, perveniant
„ ad te preces, de quacumque tribulatione
„ clamantium: ut omnes sibi in necessitatibus
„ suis misericordiam tuam sentiant adfuisse.
„ Per Dominum nostrum, &c.

CA-

CAPUT XXXIII.

Ascensio Domini.

I. GLoriosæ Ascensionis festum valde solemne apud Siculos fuisse, vel ex sola divini Officii ratione apparet: nam recitabantur ad primas Vesperas, quinque Feriæ v. Psalmi; quorum primum comitabantur septem *Alleluja* loco Antiphonæ, alterum novem, octo tertium, quartum tria; & duo postremum. Tribus nocturnum Officium constabat Psalmis, totidemque Antiphonis, Lectionibus, & Responsoriis: ex antiquo enim nostro ritu ultimum Responsorium, etiam adhibito *Te Deum*, non omittebatur. Quam matutinæ Psalmodiæ brevitatem per totam Octavam, & ultrà retentam fuisse, antiqui Ecclesiæ nostræ Codices unanimi demonstrant consensu. Officii divini descriptio.

II. Ad omnes Hymnos (verba Breviarii Gallo-Siculi anni 1527. exscribo) *usque ad Pentecosten adjungitur: Tu esto — Gloria tibi Domine*. Afferamus Strophas has integras, quemadmodum exhibet idem Breviarium ad primas Vesperas ejusdem festi. Hymni.

„ Tu esto nostrum gaudium,
„ Qui es futurus præmium:
„ Sit nostra in te gloria,
„ Per cuncta semper secula.
„ Gloria tibi, Domine,
„ Qui scandis supra sidera,
„ Cum Patre, & sancto Spiritu,
„ In sempiterna secula. Amen.

III. Præ

Processio. III. Præ omnibus hujus diei ceremoniis principalior videtur esse processio. Quales in illius exitu decantatæ fuerint preces, nullibi legere mihi contigit; Hymnum verò in reditu ipsius ejusdem processionis cantari solitum afferunt tres sæpius memorati Missales Libri Ecclesiæ Messanensis: unus in quarto anni 1527. alter in folio anni 1534. tertius in quarto anni 1538.

„ Salve festa dies, toto venerabilis ævo,
„ Quâ Deus in cœlum scandit, & astra tenet.
„ Ecce renascentis testatur gratia mundi,
„ Omnia cum Domino dona redisse suo.
Salve.
„ Altius ignivomum solem cœli orbita ducit,
„ Quas vagus oceani exit, & intrat aquas.
Quâ Deus.
„ Armatus radiis elementa liquantia lustrans;
„ Adhuc nocte brevi tendit in orbe Deus.
Salve.
„ Splendida sincerum producunt æthera vultum:
„ Lætitiamque suam sidera clara probant.
Quâ Deus.
„ Rus gaudens vario fundit munuscula fœtu:
„ Cum bene vernarit, reddit & annus opes.
Salve.
„ Mollia purpureum pingunt violaria campum:
„ Prata virent, herbis, & micat herba comis.
Quâ Deus.
„ Paulatim subeunt stellantia lumina florum:
„ Floribus arrident gramina cuncta suis.
Salve.
„ Tempore sub hiemis foliorum crine revulso,
„ Jam reparat viridans frondea tecta nemus.
Quâ Deus.

„ Myr-

„ Myrta , salix, abies, corilus, silex; ulmus,
„ acer , nux ,
„ Plaudit quæque suis arbor amœna comis.
Salve.
„ Ad cantum revocatur avis ; quæ , carmine
„ clauso ,
„ Pigrior hiberno frigore muta fuit.
Quâ Deus.
„ Hinc Philomena (*) suis obtemperat organa
„ cantis ,
„ Fitque repercusso dulcior aura melo.
Salve.
„ Legibus inferni oppressis, super astra meantem,
„ Laudant ritè Deum lux , polus , arva
„ fretum . Quâ Deus.
„ Mobilitas anni, mensium, lux alma dierum,
„ Horarum splendor, stridula cuncta favent.
Salve.
„ Eripis innumerum populum de carcere mortis,
„ Et sequitur liber quò suus Auctor adit.
Quâ Deus.
„ Hinc tumulum repetens post tartara, carne re-
„ sumpta ,
„ Belliger ad cœlos ampla trophæa refers.
Salve.

(*) Philomela.

IV. Ad secundas Vesperas una tantummodò adhibebatur Antiphona , prima ex officio Laudum cum quinque Psalmis . Hujusmodi quinarius Psalmorum numerus obtinebat quotidie per totum tempus Ascensionis, videlicet ad vigiliam usque Pentecostes , etiam celebrato officio de Sancto , ad differentiam temporis Paschalis, intra quod , nisi in feriali officio , quinque Psalmi ad Vesperas non recitabantur .

De secundis Vesperis.

CAPUT XXXIV.

De Vigilia, Festo, & Octava Pentecostès.

Officium vigiliæ.

I. SAbbato in vigilia Pentecostes idem penè nocturni officii ordo, qui in Sabbato post Ascensionem: porro sicuti Sabbati Ascensionis officium, ita & Sabbati Pentecostes tres continebat Psalmos, totidemque Lectiones, & Responsoria. De Antiphonarum tamen numero una ab altera discrepabat dies, utpote cum Sabbatum Ascensionis tres, Sabbatum verò Pentecostes unam tantum admiserit: *In vigilia Pentecostes totum fit de Ascensione, sicut in Sabbato præcedenti. In nocturno Antiphona una tantum.* Verba sunt antiqui Breviarii membranacei insignis Panormitanæ nostræ Ecclesiæ.

Lectionum numerus.

II. Prophetias, quæ ex antiquo ordine Missæ Ecclesiæ Messanensis non senarium, sed quinarium numerum complebant, Succentor, qui *in Siciliæ Cathedralibus vocatur Succiantro, voce gallica* (a), & alii gradatim recitabant. In vetustiori Missali Libro ejusdem Panormitanæ Ecclesiæ manu exarato in quarto quinque similiter ante officium Missæ exhibentur Orationes, totidem, ut remur, Prophetiis subjiciendæ, ab hodiernis Romanis, ut numero, ita & ordine diversæ. Ergo ex Ordinario Messanensi repræsentantur Lectio I. *Tentavit Deus Abraham.* Oratio: *Deus, qui in Abrahæ famuli tui opere.* Lectio II. *Facta est super me manus Domini.* Re-

(a) *Mauri Hierolex. pag. 566.*

Responsorium: *Vinea facta est*. Oratio: *Deus, qui Sacramento festivitatis hodiernæ*. Lectio III. *Factum est verbum Domini ad Jonam*. Oratio: *Omnipotens sempiterne Deus, qui Paschale Sacramentum*. Lectio IV. *Hæc est hæreditas servorum Domini*. Tractus: *Sicut cervus desiderat*. Oratio: *Deus, qui nos celebrandam*. Lectio V. *Audi Israel mandata vitæ*. Oratio: *Concede, quæsumus omnipotens Deus*. Ex Missali verò Panormitano Oratio I. *Da nobis, quæsumus Domine*. Oratio II. *Deus, qui in Abrahæ famuli tui opere*. Tractus: *Vinea facta est*. Oratio III. *Deus, qui nobis per Prophetarum ora*. Tractus: *Attende cælum*. Oratio IV. *Deus, qui nos ad celebrandam*. Tractus: *Sicut cervus*. Oratio V. *Concede, quæsumus omnipotens Deus*.

III. Prophetias excipiebant Litaniæ; inde benedictio Fontis, & alia quemadmodum in vigilia Paschæ: Post Prophetias, inquit antedictum Ordinarium Messanensis Ecclesiæ *Letaniæ in Choro, postea ad Fontem: & officium aquæ, & cetera sicut in Sabbato sancto*. Sed quoniam Litaniarum numerus, benedictionis formula, & alia in vigilia Paschæ adhibita, pro Ecclesiarum diversitate variabant: ea igitur in vigilia quoque Pentecostes haud debiè varia fuisse videntur. Vide sis ritus Sabbati sancti, ex ordine potissimum Panormitanæ, & Messanensis Ecclesiæ (a). — Litaniæ cum benedictione fontis.

IV. In officio Missæ ex peculiari ritu Ecclesiæ Messanensis cantari consueverat Symbolum: *Et dicitur Credo*, inquiunt antiqui ejus Missales Libri. — Missa.

 V. Ve-

(a) *Supra cap. 25. pag. 266. & seqq.*

Vesperæ. V. Vesperarum officium tribus solummodo constabat Psalmis sub unica tantum Antiphona recitandis, qui erant primi ex quinque ferialibus ejusdem Sabbati. Ad Magnificat, quemadmodum in præcipuis aliis festivitatibus, adhibebatur Antiphona *Triumphare*, sic nominata, quòd triplici repetitione gauderet.

Nocturnum officium Pentecostes. VI. Pentecostes solemnitas tantam, talemque cum Paschatis solemnitate affinitatem habet, ut eosdem penè ritus in utraque advertere liceat: sanè Pentecostes nocturnum officium, sicut & Paschale brevitatem retinebat, tres solum admittens Psalmos, totidemque Lectiones, Responsoria, & Antiphonas: idque observabatur quoque in Feria II. & deinceps per Octavam.

Solemnis processio. VII. Antiquum Missale Nicosiense membranaceum in folio anni 1346. post Primam, solemnem fieri processionem præscribit. Tres Missales Libri Messanenses iterum, iterumque memorati hæc addunt: *Ad aliquam Ecclesiam propè*. Ex eodem Nicosiensi Codice cantabatur in exitu processionis duplex Responsorium, cum duplici Versu, videlicet: ℟. *Repleti sunt omnes*. ℣. *Loquebantur*. ℟. *Jam non dicam vos servos*. ℣. *Quorum remiseritis*. Cùm ventum fuerit ad Ecclesiam, præcinenda erat Antiphona cum Oratione ejus Sancti, cui illa dedicata erat. Postea, redeunte processione, à duobus Clericis cantabatur Hymnus, Choro ad singulas Strophas alterum Versum repetente: *Quâ Deus*, &c. Afferamus nunc Hymnum integrum, quemadmodum antedicti nostri Codices exhibent.

„ Salve festa dies toto venerabilis ævo;
„ Quâ Deus à superis Spiritum sanctum
„ misit

„ Spiritus ecce Deus, Patri, Natoque coævus,
„ Ignis adeſt ſpecie Diſcipulis hodie.
Quâ Deus.

„ Senſibus humanis opes deitatis infundit,
„ Diſtribuens lucis myſtica dona ſuis.
Quâ Deus.

„ Non ceſſat variis Chriſti magnalia linguis
„ Plebs edocta loqui gentibus omnigenis.
Quâ Deus.

„ Laus tibi, Pneuma ſacrum, fons vitæ, lux ani-
„ marum
„ Omnia juſtificans ſemper, & irradians.
Quâ Deus.

„ Poſcimus, omnipotens, terram, mare, ſide-
„ ra complens,
„ Nos tibi purifica, protege, ſalvifica.
Quâ Deus.

„ Pax, decus, omne bonum; dulcis concor-
dia fratrum
„ Reple corda tuo munere mellifluo.
Quâ Deus.

„ Intima divinæ, da, præguſtare ſophiæ,
„ Quam reddet Cherubin prævius ordo Dei.
Quâ Deus.

„ Noſtra, pie, tangat Seraphin carbunculus ora,
„ Ut mens perpetuo flagret amore tuo.
Quâ Deus.

VIII. Ex Ordinario Meſſanenſis Eccleſiæ Hymnum hunc præcinebant duo Presbyteri, non ſecundum ſemper Verſum, ſed nunc primum, nunc ſecundum Choro repetente. Secundus hic Verſus ab antedicto Nicoſienſi diverſus, ejuſmodi erat.

„ Quâ nova de cœlo gratia fuit humo.

IX. Ex-

Statio ad Crucem cum Florum immissione.

IX. Expleto Hymno, Ecclesiam, unde exierat, ingrediebatur processio, quæ ut pervenerat in medio navis, ubi statio erat sanctæ Crucis, Cantor inchoabat Hymnum alterum: *Veni Creator Spiritus*; & ex memorato Codice Nicosiensi Flores desursum immittebantur; postea omnes Chorum introibant, præcinentes Antiphonam: *Accipite Spiritum sanctum*; cui subjicebatur Oratio: *Adsit nobis, quæsumus Domine*.

Vespertini officii descriptio.

X. Die ista, & quotidie per Octavam ex membranaceo Breviario Panormitanæ Ecclesiæ anni 1452. ad Vesperas tres solum Psalmi, tresque Antiphonæ dicebantur. Ex Breviario etiam manu exarato Ecclesiæ Messanensis hac die cum tribus pariter Psalmis, Feriâ II. cum duobus, Feriâ III. cum uno, reliquis autem Octavæ diebus cum quinque, unâ singulis diebus adhibitâ Antiphonâ, Vesperarum officium decurrebatur. Ex Breviario demum Gallo-Siculo anni 1527. hac die, Feriâ II. & Feriâ III. tribus Psalmis, & unicâ Antiphonâ, sed aliis Octavæ diebus unicâ Antiphonâ, & quinque Psalmis constabat Vespertinum Officium.

Completorium.

XI. Ad Completorium die ista, & duabus immediate sequentibus ex antedicto Breviario Gallo Siculo præcinebatur Hymnus: *Alma Chorus Domini*; reliquis vero Octavæ diebus Hymnus alter: *Jesu Salvator*.

Missa Sabbati quatuor temporum.

XII. Sabbato quatuor temporum Pentecostes dicebatur Missa ab hodierna Romana omninò diversa: nam Hymnus: *Gloria in excelsis*, ante primam Collectam decantari solebat, non verò recitatis quinque Lectionibus, quæ etsi partim ex antiquo, partim ex novo Testamento

to hodie desumantur; at ex antiquo tamen nostro ritu eædem erant, ac illæ, quæ Feriâ II. III. IV. V. & VI. ejusdem hebdomadæ lectæ fuerant, & quidem ex novo omnes Testamento exscriptæ.

XIII. Remanet jam nunc, ut de Octava Pentecostes die, quam solemnem in Ecclesia fecit sanctissimæ Trinitatis festum aliquid dicamus. Ecclesiastica Psalmodia, quæ die ista ex ritu Romano brevitatem deponere solet, ex antiqua Ecclesiæ nostræ disciplina mutationi non subjiciens, haud secus, ac in Pentecoste cum uno solum nocturno, tribus Psalmis, & Lectionibus admittente, absolvebatur. Singulare est officium Missæ, ex duplici M. S. Codice ejusdem Panormitanæ Ecclesiæ membranaceo, hac in Octava adhibitum; cui in parte concordat antiquum Missale Nicosiense superius laudatum. Illud in vetustatis memoriam afferamus. SS. Trinitatis festum.

M I S S A

IN OCTAVA DIE PENTECOSTES.

Ex duplici Missali sæpius jam memorato Panormitanæ Ecclesiæ.

„ *Introitus*.

„ SPiritus Domini replevit, &c. *ut in die Pentecostes*.

„ *Oratio*.

„ Deus, qui hodierna die, &c. *ut in eadem die*.

„ *Lectio Libri Apocalypsis Johannis Apostoli*.

„ In diebus illis: Vidi ostium apertum in „ cœlo, & vox prima, &c. *usque ad verba illa*:

„ Et

„ Et adorabant viventem in ſecula ſeculorum.

„ *Evangelium ſecundum Johannem.*

„ In illo tempore: Erat homo ex Phariſæis, „ Nicodemus nomine, &c. *uſque ad illum locum:* „ Ut omnis, qui credit in ipſo non pereat, ſed „ habeat vitam æternam.

„ *Secreta.*

„ Munera, Domine, oblata ſanctifica, & „ corda noſtra ſancti Spiritus illuſtratione emun- „ da. Per Dominum noſtrum.

„ *Præfatio.*

„ Æterne Deus. Qui cum unigenito Filio „ tuo, & Spiritu ſancto, &c. *Sequitur ut Præfatio de Trinitate in Miſſali Romano.*

„ *Poſtcommunio.*

„ Quæſumus omnipotens Deus, ut quos „ divina tribuiſti participatione gaudere, humanis „ non ſinas ſubjacere periculis. Per.

„ *Oratio.*

„ Deus, qui conſpicis omni nos virtute „ deſtitui, interius, exteriuſque cuſtodi, ut & „ ab omnibus adverſitatibus muniamur in cor- „ pore, & a pravis cogitationibus mundemur „ in mente. Per.

„ *Alia.*

„ Gratiæ tuæ, quæſumus Domine, ſuppli- „ cibus tuis tribue largitatem, ut mandata tua, „ te operante, ſectantes, conſolationem præſentis „ vitæ percipiant, & futuræ. Per.

„ *Alia.*

„ Subveniat nobis, quæſumus Domine, „ miſericordia tua, ut ab imminentibus pecca- „ torum noſtrorum periculis, te mereamur pro- „ tegente eripi, te liberante, ſalvari. Per.

„ *Alia.*

„ *Alia*.

„ Propitiare, Domine, ſupplicationibus no-
„ ſtris, & animarum noſtrarum medere lango-
„ ribus, ut remiſsione percepta, in tua ſemper
„ dictione lætemur. Per.

„ *Alia*.

„ Eccleſiæ tuæ, Domine, voces placatus
„ admitte, ut deſtructis adverſitatibus univer-
„ ſis, ſecura tibi ſerviat libertate. Per.

„ *Alia*.

„ Noſtris, quæſumus Domine, propitiare
„ temporibus, ut tuo munere dirigatur & Ro-
„ mana ſecuritas, & devotio Chriſtiana. Per.

„ *Alia*.

„ Reſpice, Domine, propitius plebem
„ tuam, & tibi toto corde ſubjectam præſidiis
„ invictæ pietatis attolle. Per.

„ *Alia*.

„ Excita, Domine, tuorum corda fidelium,
„ ut ſacris intenta doctrinis, & intelligant quod
„ ſequuntur, & ſequendo feliciter apprehen-
„ dant. Per.

„ *Alia*.

„ Quæſumus omnipotens Deus, ne nos tua
„ miſericordia derelinquat, quæ & errores no-
„ ſtros ſemper amoveat, & noxia cuncta depel-
„ lat. Per.

„ *Alia*.

„ Protector in te ſperantium, Deus, ſalva
„ populum tuum, ut à peccatis liber, & ab
„ hoſte ſecurus in tuà ſemper gratia perſeveret.
„ Per.

„ *Alia*.

„ Guberna, quæſumus Domine, plebem

„ tuam, & nos beneficiis ſemper accumula, ut „ & præſentis vitæ ſubſidia gaudeat, & æternæ. „ Per.

„ *Alia.*

„ Percipiat, Domine quæſumus, populus „ tuus miſericordiam, quam depoſcit, & quam „ precatur humiliter indulgentiam conſequatur, „ & pacem. Per.

„ *Alia.*

„ Prætende nobis, Domine, miſericordiam „ tuam, ut quæ votis expetimus, converſatio- „ ne tibi placita conſequamur. Per.

„ *Alia.*

„ Illumina, Domine quæſumus, in te cor- „ da credentium, ut tuo ſemper munimine, „ & tuo auxilio protegamur. Per.

„ *Alia.*

„ Tua nos, Domine, veritas ſemper illu- „ minet, & ab omni pravitate defendat. Per.

„ *Alia.*

„ Salva nos, omnipotens Deus, & lu- „ cem nobis concede perpetuam. Per.

„ *Alia.*

„ Exaudi nos, miſericors Deus, & men- „ tibus noſtris gratiæ tuæ lumen oſtende. Per.

„ *Alia.*

„ Matutina ſupplicum vota, Domine, pro- „ pitiatus intuere, & occulta cordis noſtri re- „ medio tuæ clarifica pietatis, ut deſideria te- „ nebroſa non teneant, quos lux cœleſtis gra- „ tiæ reparavit. Per.

„ *Alia.*

„ Emitte, quæſumus Domine, lucem tuam „ in cordibus noſtris, ut mandatorum tuorum

„ lege

„ lege percepta , in via tua ambulantes , nihil
„ patiamur erroris . Per.

„ *Alia*.

„ Gratias tibi agimus , Domine ſancte ,
„ Pater omnipotens , æterne Deus , qui nos de
„ tranſacto noctis ſpatio ad matutinas horas per-
„ ducere dignatus es , quæſumus , ut dones
„ nobis diem hunc ſine peccato tranſire : qua-
„ tenus ad veſperam , & ſemper tibi Deo gra-
„ tias referamus . Per.

„ *Alia* .

„ Exurgentes de cubilibus noſtris , auxi-
„ lium gratiæ tuæ matutinis , Domine , preci-
„ bus imploramus , ut diſcuſſis tenebris vitio-
„ rum , ambulare mereamur in luce virtutum :
„ Per.

„ *Alia* .

„ Veritas tua , quæſumus Domine , ſem-
„ per luceat in cordibus noſtris , & omnis fal-
„ ſitas inimici deſtruatur . Per.

„ *Alia* .

„ Oriatur , Domine , naſcentibus tenebris
„ aurora juſtitiæ in cordibus noſtris , ut peracto
„ die , tibi ſuppliciter gratias agentes , etiam
„ manè dignanter reſpicias vota ſolventes .
„ Per.

„ *Alia* .

„ Tuus eſt dies , Domine , & tua eſt nox ,
„ concede , ſolem juſtitiæ permanere in cordi-
„ bus noſtris , ad repellendas tenebras cogita-
„ tionum iniquarum . Per.

„ *Alia* .

„ Gratias tibi agimus , Domine , cuſtoditi
„ per diem , grates tibi exſolvimus cuſtodiendi

„ per noctem : repræsenta nos , quæsumus Do-
„ mine , matutinis horis incolumes , ut nos
„ omni tempore habeas laudatores . Per.

„ *Alia*.

„ Omnipotens sempiterne Deus , vesperè ,
„ & manè , & meridiè majestatem tuam suppli-
„ citer deprecamur , ut expulsis de cordibus
„ nostris peccatorum tenebris, ad veram lucem
„ (quæ Christus est) nos facias pervenire :
„ Qui tecum.

CAPUT XXXV.

Festum Corporis Christi, ejusque Octava.

Festi antiquitas in Sicilia.

I. SAcratissimam Corporis Christi solemnitatem gentici Scriptores in Sicilia , ac potissimum hîc Panormi , volunt antiquissimam , primam ejus originem supra tempora Urbani Papæ IV. agente Theutonicorum Ordine , substollentes . Piget viros ingenuos, quorum princeps est Canonicus Antoninus Mongitore (a) , ad rem contestandam sincera eis venerandæ Antiquitatis monumenta deesse , nihilominus non scripta ostendere traditione conantur , nullam hac in re subesse falsi suspicionem . In duplici Missali Libro insignis Panormitanæ Ecclesiæ , altero in folio , altero in quarto , in Codice ecclesiasticæ Psalmodiæ Ecclesiæ Messanensis in folio , in Evangeliorum Libro Seminarii Agrigentini , & in antiquis aliis id genus monumentis , de hujusmodi festo ne ver-

(a) *Monum. Histor. Sacræ Domus Mansionis Ss. Trinitatis cap.* 11.

verbum quidem ullum exhibetur, quod argumento est, Codices illos antequam festum fuerit in Orbe Catholico institutum, vel certè in Sicilia receptum, scriptos revera fuisse. Missale Nicosiense membranaceum in folio anni 1346. & Codices alii subinde manu exarati, solemnitatem istam haudquaquam silentio prætereunt: ex quibus unus solus, id est Breviarium Panormitanæ nostræ Ecclesiæ anno 1452. scriptum, hocce festum inscribit: *Corporis & Sanguinis Christi*.

II. Utut circa primariam solemnitatis originem res se habeat, extra omnem ingenii aleam positum est, diem hanc jam inde ab anno 1425. unam ex illis esse, quæ Panormi, totius Siciliæ Metropoli, habebantur festivæ, ab omni Fidelium cœtu, servilibus interdictis operibus, observandæ; ita præscribitur in edicto de observatione festorum, quod prædicto anno, die quarto mensis Martii piissimo Senatui Panormitano publicare curæ fuit. Dies festiva ex præcepto.

III. Ecclesiasticas hujusmodi solemnitatis preces, quarum verus, germanusque Auctor est S. Thomas Aquinatis, etsi Ecclesia Sicula decantandas, ac persolvendas haud in vita susceperit; attamen patriæ disciplinæ observatrix, ad proprios illas ritus accommodare studuit, tres priores Lectiones nihilo aliter, ac tres alteras, omissis illis de Scriptura, ex Sermone Patris admittens, adjiciensque Responsorium post nonam Lectionem, & post Capitula in utrisque Vesperis, cum multis aliis in qualibet officii parte. Officii divini ratio.

IV. Imò pro Ecclesiarum diversitate, diversa extitit in una eademque Siliciæ provincia Psalmo- Officii divini varietas.

modiæ ratio: quamobrem in Panormitana nostra Ecclesia viguit usus, ut duæ hodierni Breviarii Romani Lectiones, quarta, & septima, illa in sex, in tres ista distributæ partes, loco novem omnium Lectionum legerentur. Diversus apud Messanensem Ecclesiam invaluit usus: nam quatuor ejus primæ Lectiones eædem erant, ac quarta illa Ordinis Romani, quater divisa; totidem inde sequentes partim ex quinta, partim ex septima Breviarii Romani desumebantur, postremâ aliundè, quàm ex eodem Ordine Romano, depromtâ. Reliquæ verò Siciliæ Ecclesiæ ordini Breviarii Gallo-Siculi anni 1527. addictæ, consuetudinem aliam sectatæ sunt: utpote cum sex primæ ejusdem Breviarii Lectiones tribus mediis Romanis, singulis in duplices divisis, constarent, septimâ, & nonâ cum septima, & nona Romanis, octavâ verò cum nona Messanensi convenientibus.

Officium Primæ. V. In officio quoque Primæ hodierno Romano vetus Siciliæ ritus non respondet: ut enim Breviarium manu exaratum Messanensis Ecclesiæ, concordante Gallo-Siculo Venetiis jam edito, præscribit, tres consuetos Psalmos comitabatur Symbolum, *Quicumque*. Versus post Responsorium breve dicendus, ex Breviario Panormitanæ Ecclesiæ superius laudato, talis erat: *Qui Corpus tuum sanctum dedisti in cibum*; ex antedicto Messanensi: *Qui Corpus tuum nobis dedisti in cibum*; ex Gallo-Siculo modò quoque allegato: *Qui de Virgine dignatus es nasci*. Ceterum omisso Versu *Pretiosa* & aliis, Officium ex communi Codicum nostrorum consensu concludebatur Oratione: *Deus, qui*

qui nobis sub Sacramento mirabili, &c.

VI. Rursus ex antiquo Missali Libro Nicosiensi superius laudato Sequentia : *Lauda Sion Salvatorem* , non ante , sed post Evangelium præcini consueverat ; quando triplex Missale Ecclesiæ Messanensis , intra cujus Diœceseos fines sita est Nicosiensis Civitas, alium ab hodierno Romano hac in parte non præscribit celebrandæ Missæ ordinem. Sequentia post Evangelium.

VII. Denique , ne etiam levia memorando sim prolixus, ad secundas Vesperas simile discrimen reperi : nam Breviarium Panormitanum , exceptis Responsorio, & Antiphona, *ad Magnificat*, cum hodierno Romano convenit ; Messanense Antiphonas Laudum super Psalmos adhibet : Responsorium ex postrema tertii nocturni Lectione, mox edenda, mutuatur : Antiphonam *ad Magnificat*, ut in Panormitano Codice exhibet ; Breviarium verò Gallo - Siculum Vespertinum hoc officium cum Antiphona : *Cœnantibus Apostolis*, & quatuor aliis, tali officio propriis, absolvit , eadem , ac quæ Messanense , Responsorium , & Antiphonam *ad Magnificat* admittens. Secundæ Vesperæ.

VIII. In expositione Corporis Christi die ista fieri solita ritum omninò singularem apud Ecclesiam Politiensem in Diœcesi Cephalæditana jam ab antiquis temporibus invaluisse refert ejusdem Ecclesiæ ceremoniarum Magister Joseph de Fiore (*a*). Facta enim expositione, cantatur Completorii Officium , quo absoluto , dicitur Symbolum Missæ, cum trina Sacramenti in vase gesta-

(a) *In suo M. S. Diario Sacro Civitatis Politii*.

ſtatorio poſiti, elevatione: una quidem ad verba illa: *Et in unum Dominum Jeſum Chriſtum*: altera ad verba: *Et incarnatus eſt de Spiritu ſancto, ex Maria Virgine, & homo factus eſt*. tertia ad verba: *Qui cum Patre, & Filio ſimul adoratur*.

Proceſſio. IX. Circa proceſſionem illud incurioſo ſilentio involvendum non eſt, quod Panormi proceſſio non inde redit, undè primùm egreſſa eſt: ſanè a Sacra Domo Manſionis ſanctiſſimæ Trinitatis ad Cathedrale Templum ex antiqua obſervantia ordinatur. Quod quo ſolemni triumpho fieri ſolitum ſit, argumentum antedicto Mongitore (*a*) diſtinctè, & expreſsè tractante, hîc exponere ſuperfluum exiſtimavimus.

De Octava. X. Hæc ſunt præcipua, quæ de ſolemni ſacratiſſimi Corporis Chriſti Feſto notatu digna habebamus: de ejus nunc Octava agamus. Nocturnum Officium cum una tantummodo Antiphona, novem Pſalmis, tribus Lectionibus propriis, totidemque Reſponſoriis decurrebatur: Matutinæ Laudes cum una pariter Antiphona ſuper quinque conſuetos Pſalmos: Horæ diurnæ, Veſperæ, & Completorium cum eodem precum apparatu, quo in feſtivitatis die. Ipſa verò octava dies in divinis curſibus abſolvendis ejuſdem quoque feſti rationem obtinebat. Verba Breviarii Gallo-Siculi Venetiis anno 1527. editi ſubjiciamus: *Omnia prædicto modo dicuntur uſque ad Octavum: & dicuntur novem Pſalmi ſub prima Antiphona, ad Noctur., & tres*

(a) *Monum. Hiſt. Sacr. Domus Manſionis Ss. Trinit. cap.* 10.

tres Lectiones. . . Ad Laudes una Antiphona super Psalmos . . . In octava autem omnia dicuntur sicut in die. Adjunctis iis, quæ exhibet in vigilia hujus festi ad Completorium, & ad Primam: *Et sic dicitur per octavam*.

XI. Ut quæ hactenus dicta sunt magis magisque elucescant, integrum Corporis Christi officium, prout jacet in memorato Breviario Panormitano, proferamus. Officio Breviarii Messanensis, & Breviarii Gallo-Siculi jam editi chartam hanc nostram onerari non sustinuimus: nam exceptis, quæ suprà observavimus, utrumque Breviarium vix hac in parte a Panormitano discrepat.

OFFICIUM

CORPORIS, ET SANGUINIS CHRISTI.

Ex M. S. Breviario anni 1452. *Panormitanæ Ecclesiæ*.

„ *Ad Vesperas*.

Antiphona, Psalmi, Hymnus, Versus cum Responsorio, Antiphona ad Magnificat, & Oratio exhibentur quemadmodum in hodierno Breviario Romano.

„ *Capitulum*: Dominus Jesus, in qua no-
„ cte tradebatur, accepit panem, & gratias
„ agens, fregit, & dixit: Accipite, & man-
„ ducate: hoc est Corpus meum, quod pro
„ vobis tradetur.

„ ℞. Homo quidam fecit cœnam magnam,

„ & misit servum horâ cœnæ dicere invitatis, ut
„ venirent: * Quia parata sunt omnia. ℣. Ve-
„ nite, comedite panem meum, & bibite vi-
„ num, quod miscui vobis. Quia parata. Glo-
„ ria Patri.

„ *Ad Completorium.*

„ *Sicut in die Natalis Domini.* *Oratio*:
„ Deus, qui nobis sub Sacramento. *Et sic agi-*
„ *tur per totam Octavam.*

„ *Ad Matutinum.*

Invitatorium, Hymnus, Antiphonæ, & Psalmi sicut in Breviario Romano, cetera ut sequuntur.

„ *Lectio* I. *Sermo S. Thomæ de Aquino.*
„ Immensa divinæ largitatis beneficia, exhibita
„ populo Christiano, inæstimabilem ei conferunt
„ dignitatem.

„ ℟. Immolabit hædum multitudo, &c.

„ *Lectio* II. Neque enim est, aut fuit
„ aliquando tam grandis natio, quæ habeat
„ Deos appropinquantes sibi, sicut adest nobis
„ Deus noster.

„ ℟. Comedetis carnes, &c.

„ *Lectio* III. Unigenitus siquidem Dei Fi-
„ lius, suæ divinitatis nos volens esse partici-
„ pes, naturam nostram assumpsit.

„ ℟. Respexit Elias, &c.

„ *Lectio* IV. Et ut homines Deos faceret,
„ factus est homo. Et hoc insuper, quod de
„ nostro assumpsit, totum nobis contulit ad sa-
„ lutem.

„ ℟. Panis, quem ego dabo caro mea est
„ pro mundi vita: litigabant ergo Judæi, di-
„ centes: * Quomodo potest hic nobis carnem

„ suam

,, ſuam dare ad manducandum. ℣. Locutus eſt ,, populus contra Dominum: Anima mea nau- ,, ſeat ſuper cibo iſto leviſsimo. Quomodo.

,, *Lectio* v. Corpus namque ſuum pro noſtra ,, reconciliatione in ara crucis hoſtiam obtulit ,, Deo Patri: & Sanguinem ſuum in pretium, ,, & lavacrum: ut redempti a miſerabili ſervi- ,, tute, à peccatis omnibus mundaremur.

,, ℟. Cœnantibus autem illis, &c.

,, *Lectio* VI. Ut tanti beneficii jugis in no- ,, bis remaneret memoria, Corpus ſuum in po- ,, tum ſub ſpecie panis, & vini ſumendum fi- ,, delibus reliquit.

,, ℟. Accepit Jeſus Calicem, &c.

,, *Lectio* VII. *Secundum Johannem*. In il- ,, lo tempore: Dixit Jeſus turbis Judæorum: ,, Caro mea verè eſt cibus: & Sanguis meus ,, verè eſt potus. *& reliqua*.

,, *Homilia ſancti Auguſtini Epiſcopi*: Cum ,, enim cibum, & potum appetant homines, ,, ut non eſuriant, neque ſitiant: hoc verè non ,, præſtat, niſi iſte cibus, & potus, quod eos, ,, a quibus ſumitur immortales, & incorrupti- ,, biles facit: id eſt ſocietas Sanctorum ſuo- ,, rum.

,, ℟. Qui manducat, &c.

,, *Lectio* VIII. Ubi pax erit, & unitas ,, plena, atque perfecta. Propterea quippe, ,, ſicut etiam ante nos hoc intellexerunt homi- ,, nes Dei, Dominus noſter Jeſus Chriſtus Cor- ,, pus, & Sanguinem ſuum in eis rebus com- ,, mendavit, quæ ad unum aliquid redigun- ,, tur.

„ ℟. Misit me vivens Pater, &c.

„ *Lectio* IX. Ex multis namque granis unum
„ conficitur: ex multis racemis unum vinum
„ confluit: sic ex diversis membris Ecclesiæ nos
„ unum corpus in nomine Christi fidei, spei,
„ & charitatis efficimur.

„ ℟. Unus panis, & unum corpus multi
„ sumus: omnes quidem de uno pane, * Et de
„ uno calice participamus. ℣. Parasti in dulce-
„ dine tua pauperi Deus, qui habitare facis
„ unanimes in domo. Et de uno. Gloria Pa-
„ tri.

„ Te Deum.

„ ℣. Qui edunt me adhuc esurient, alle-
„ luja.

„ ℟. Et qui bibunt me adhuc sitient, al-
„ leluja.

„ *Ad Laudes.*

Antiphonæ, Psalmi, Hymnus, & reliqua omnia, excepto Capitulo, quod legitur ut in primis Vesperis, exhibentur sicut in antedicto Breviario Romano.

„ *Ad Primam.*

„ *Antiphona*: Sapientia. *Psalm.* Deus in
„ nomine. *Capit.* Domine miserere. ℟. Jesu
„ Christe. ℣. Qui corpus tuum sanctum dedi-
„ sti in cibum. Gloria Patri. ℣. Exurge. *Ora-*
„ *tio*: Deus, qui nobis.

„ *Ad Tertiam, Sextam, & nonam.*

Officium eâdem omnino formâ, qua ex ritu Romano decurrebatur.

„ *Ad Vesperas.*

„ *Dicatur sicuti jacet in primis Vesperis.*

„ ℟. Re-

„ ℟. Respexit Elias. *Ad Magnificat*, *Antipho-*
„ *na* : O sacrum mysterium, in quo Christus
„ sumitur. *Et sequitur ut in Breviario Romano*.

CAPUT XXXVI.

Ritus singulares ab octava Corporis Christi usque ad Adventum in Sicilia observati.

I. EXponendi nobis nunc sunt singulares illi ritus, qui majoribus nostris, Gallicanæ disciplinæ addictis, usui erant: ex quibus Primus ille, quòd Dominica prima post octavam Corporis Christi, quam ex hodierno Ordine Romano Dominicam tertiam post Pentecosten dicimus, in antiquis nostris Codicibus inscripta erat: *Dominica prima post octavam Pentecostes*: non quòd talis reverà fuerit; sed ea signanter ratione, quòd admisso in Dominica, quæ infra octavam Corporis Christi occurrit, officio de octava, illud de Dominica, retento antiquo suo nomine, in Dominicam proximè sequentem transferebatur: quamobrem summa cum circumspectione in Breviario insignis Panormitanæ Ecclesiæ sub Archiepiscopo Simone de Bononia non incomptè scripto, dicitur: *Dominica prima post octavam Pentecostes, quæ ponitur Dominicâ primâ post octavam Corporis Christi*. Dominica I. post octavam Pentecostes.

II. Alter est, quod recitandæ Scripturæ ordo, qualis ex hodierno ritu Romano est, talis ex antiqua Siculorum observantia non fuit: & Lectiones de Scriptura.

sa-

sanè Liber primus Regum, alioquin ex ritu Romano Feriâ II. post octavam Pentecostes legi cœptus, in antedicta Dominica, quæ octavam Corporis Christi excipit, inchoari solebat. Idem pariter discrimen; imò verò non idem, sed multo majus in legendis Prophetarum scriptis antiquam inter, & hodiernam officii formam intercessisse deprehendimus; de qua, aliisque id genus diversitatibus dicere supersedeo, quandò quidem hocce argumentum aptius loco suo (a) illustravimus.

Processio in Sabbatis. III. Tertius ille est, quòd omnibus Sabbatis, concluso propria Oratione Vesperarum officio, fieri solita erat processio, Clero ad navim Ecclesiæ exeunte; in qua cantabatur unum ex Responsoriis de Trinitate cum sua Oratione: *Omnipotens sempiterne Deus, qui dedisti famulis tuis*. fiebat inde Commemoratio de SS. Petro, & Paulo, & revertebatur ad Chorum processio, præcinendo Antiphonam cum Oratione de Virgine Deipara: id est, Antiph. *Sancta Maria succurre miseris*. Oratio: *Concede nos*. Ritum istum exhibet Breviarium Gallo-Siculum anni 1527. (b), cui ex parte concinit antiquius Breviarium membranaceum secundum usum Clericorum Secularium Majoris Ecclesiæ Messanensis, asservatum Tauromenii in Bibliotheca Patrum Ordinis Prædicatorum.

Dominica de Trinitate. IV. Quartus denique ritus est ille, quòd ultimam Pentecostes Dominicam, quæ Dominicam primam Adventus præcedit, festum sancti-

(a) *Cap. 15. n. 13.*
(b) *In Offic. Sabbati post octavam Corporis Christi.*

ctissimæ Trinitatis in Sicilia reddidit solemnissimam. Ad hoc confirmandum unius, aut alterius Codicis auctoritate nos uti, non fuit opus: cùm ne uno quidem excepto, omnes cum editi, tum manuscripti de hoc ad unum conveniant.

CAPUT XXXVII.

Festa ex ritu Gallo-Siculo observanda.

I. AD illustranda officia de tempore modò exhibita, & illa de Sanctis mox exhibenda, non inutile visum est, neque importunum hîc exponere dies festos, ac celebres in quibus Fideles ab omni servili opere se abstinentes, divinis laudibus unà cum Clericis vacare debebant. Cui argumento sat superque nos fecisse arbitramur, si Eruditorum notitiæ submittimus quæ nancisci potuimus venerandæ Antiquitatis monumenta: ex quibus primum incomptâ, quâ tunc majores nostri utebantur, linguâ scriptum, ut omnibus intelligibile sit, in Latinum fideliter vertimus.

CA-

CATALOGUS

FESTORUM PANORMITANÆ URBIS

Ex Edicto Senatus ejusdem Urbis, confirmante Siciliæ Prorege, & Panormitano Archiepiscopo, edito (a):

„ NAtivitas Domini nostri Jesu Christi, „ cum duabus diebus sequentibus. Re„ surrectio ejusdem Domini nostri Jesu Christi „ cum duabus diebus sequentibus. Ascensio „ ejusdem Domini nostri Jesu Christi. Pente„ costes. Item antiquæ festivitates beatissimæ „ Virginis Mariæ: videlicet, ejus Conceptio, „ Nativitas, Annunciatio, Purificatio, & As„ sumptio. Item festum Corporis Christi. Item „ festivitas Apostolorum, & Evangelistarum; „ nec non & Epiphaniæ Domini nostri Jesu Chri„ sti, ac etiam sancti Johannis Baptistæ. Et „ omnes dies Dominicæ.

CATALOGUS

FESTORUM SYRACUSANÆ CIVITATIS

Ex Synodo sub Episcopo Hieronymo de Bononio publicata (b).

„ STatuimus, & ordinamus, ut de cetero „ subsequentes dies tantùm ab omnibus „ tàm

(a) *In Archiv. Senat. Panormit. die 4. mensis Martii. 4. Ind.* 1425.

(b) *Syracusana Synodus anni* 1553. *Tit.* 21. *Cap. unic.*

„ tàm in civitatibus , quàm in campis , festi,
„ ac celebres habeantur, & unusquisque à quovis opere se abstineat , videlicet : Dominica
„ dies, quæ in Dominicæ Resurrectionis gloriam
„ à primitiva Ecclesia ad nos usque , maxime
„ celebris semper est habita ; dies quoque Na-
„ tivitatis Domini nostri Jesu Christi, sanctorum
„ Stephani , Johannis, Innocentium , Circum-
„ cisionis , Epiphaniæ , Paschæ Resurrectionis,
„ cum Feria II. & III. Ascensionis , Penteco-
„ stes, cum Feria II. & III. Corporis Christi,
„ ac etiam quatuor beatæ Mariæ Virginis festa :
„ Purificationis scilicet, Annunciationis, Assum-
„ ptionis , & Nativitatis ; natalia quoque om-
„ nium Apostolorum ; festum Inventionis sanctæ
„ Crucis , Johannis Baptistæ , Laurentii , De-
„ dicationis sancti Michaelis , omnium Sancto-
„ rum , & sanctæ Luciæ ; Patronorum verò
„ uniuscujusque civitatis, & loci , ubi consue-
„ tum est, in sua civitate , vel loco tantum,
„ & non in campis ; Rogationum similiter quo-
„ usque finiatur processio, idemque in die san-
„ cti Marci . In ceteris autem festivitatibus
„ quacumque ratione vel institutis , vel recep-
„ tis, & quæ sub præcepto celebrari debeant,
„ permittimus, liberumque cuique facimus, ut
„ Missâ auditâ (de qua suam cujusque one-
„ ramus conscientiam) ad operas suas, quibus
„ suam , & suorum alimoniam quærere cogi-
„ tur , redire possit ; nisi aliter ex sanctæ
„ Apostolicæ Sedis præcepto , esset observan-
„ dum.

CATALOGUS

FESTORUM CIVITATIS MONTIS-REGALIS

Ex Synodo Archiepiscopi Alexandri Cardinalis de Farnesio (a).

„ Circumcisio Domini, Epiphania, Purificatio beatæ Virginis, Annunciatio ejusdem, Marci Evangelistæ, & sequens dies, durantibus Missis, in civitate tantùm propter processionem, Inventio sanctæ Crucis, Nativitas Johannis Baptistæ, Mariæ Magdalenæ, Transfiguratio Domini, Laurentii Martyris, Assumptio beatæ Virginis, & Nativitas ejusdem, Dedicatio Michaelis Archangeli, Lucæ Evangelistæ, omnium Sanctorum, Commemoratio Defunctorum, durantibus Missis, Martini Episcopi, Conceptio beatæ Virginis, Nativitas Domini, sancti Stephani Prothomartyris, Johannis Evangelistæ, sanctorum Innocentium, Silvestri Papæ, duodecim Apostolorum; dies omnes Dominici, festum Resurrectionis cum duobus sequentibus, Ascensionis, Pentecostes cum duobus sequentibus; Corporis Christi, sancti Castrensis in civitate tantùm. In ceteris festis quacumque ratione vel institutis, vel receptis, liberum unicuique facimus, ut, auditâ Missâ, ad operas suas, quibus suam, suorumque alimoniam quærere cogitur, redire possit.

CA-

(a) *Synodus Eccles. Montis - Regal. anni* 1554. *Tit.* 11. *cap.* 2.

CAPUT XXXVIII.

Officia Sanctorum mensis Januarii.

I. EXpositis, ut vires nostræ tulerunt, quæ ad præcipua Christi Domini festa attinent, susceptæ provinciæ ratio postulat, ut ad Sanctorum ejus solemnitates seorsum exponendas animum intendamus. In digerendis his varia methodo exordiuntur antiqui Ecclesiæ Siculæ Codices: porrò Breviarium Panormitanæ nostræ Ecclesiæ anni 1452. à S. Saturnino, qui colitur die xxix. Novembris, proprium Sanctorum incipit; Evangeliorum Liber Ecclesiæ Agrigentinæ, triplex Missale Ecclesiæ Messanensis, Breviarium Gallo-Siculum anni 1527. cum aliis quàm multis à S. Silvestro, cui diem xxxi. Decembris consecravit Ecclesia; Messanensis Codex in folio, continens propria Sanctorum officia, à S. Paulo primo Eremita, celebri apud nos die xxv. Januarii; Missale autem ejusdem Panormitanæ Ecclesiæ membranaceum in quarto sanctorum officia non separatim exhibet; sed proprium de tempore, & proprium de Sanctis ita commiscentur in eo, ut ex duobus fiat unum. Nos faciliorem ordinem æmulati, à mense Januarii inchoare deliberavimus.

Die 1. præter festum Circumcisionis Domini, in Breviario Gallo-Siculo superius laudato, consignatur natale S. Basilii Episcopi, & Confessoris cum Oratione, & tribus Lectionibus propriis. S. Basilius.

S. Thelesphorus.

Die v. In Calendario Panormitanæ Ecclesiæ ante ejus antiquum Breviarium posito, exhibetur memoria S. Thelesphori Papæ, & Martyris.

SS. Isidorus Felix, & Januarius.

Die VII. in eodem Calendario occurrit commemoratio sanctorum Isidori Episcopi, Felicis, & Januarii; in Calendario ante Breviarium membranaceum in octavo Messanensis Ecclesiæ, legitur natale S. Luciani Martyris; in Collectario verò, seu Orationali ejusdem Panormitanæ Ecclesiæ exhibetur Oratio sanctorum Martyrum Luciani, Juliani, & Maximiani.

S. Lucianus, &c.

S. Severinus.

Die VIII. in utroque Calendario Panormitano, & Messanensi colitur memoria S. Severini Episcopi, & Confessoris: unde errorem irrepsisse arbitror in recentiora Calendaria edita ante Missales Libros ejusdem Messanensis Ecclesiæ anno 1527. & 1534. nam in uno, loco *Severini*, legitur *Sveri*, & in altero *Severi*.

SS. Julianus, & Basilissa.

Die IX. antiqua omnia Calendaria Sicula, uno Catanensi excepto, consignant memoriam Sanctorum Juliani, & Basilissæ.

S. Paulus primus Eremit.

Die x. ex precum Codice Messanensis Ecclesiæ sexcentis annis antiquiore, membranaceo in folio, celebratur festum S. Pauli primi Eremitæ cum tribus solummodo Lectionibus, quem ritum sequitur Matthæus Caldo Presbyter Siculus in sua Breviarii Gallo-Siculi editione.

SS. Petrus Severinus, &c.

Die XI. ex uniformi antiquorum Calendariorum consensu colitur memoria Sanctorum Petri, Severini, & Leuci Confessorum.

SS. Johannes, & Satyrus.

Die XII. in ipsis eisdem Calendariis habetur commemoratio Sanctorum Johannis Papæ, & Satyri Martyris. Die

Die XIII. octavâ Epiphaniæ, solemnitatem S. Hilarii Episcopi, & Confessoris jam inde ab ultimis disciplinæ Gallo-Siculæ temporibus agebant Siculi; ut observavimus supra ritus ejusdem octavæ exponentes (a). S. Hilarius.

Die XIV. in pervetusto Breviario Panormitanæ Ecclesiæ, & in ejusdem Orationali occurrit natale S. Felicis cum ejus Oratione propria; quam in Breviario manu exarato Ecclesiæ Messanensis, & in edito Matthæi Caldo comitantur tres Lectiones ex gestis ejusdem Sancti excerptæ, S. Felix.

Die XV. in antedictis duobus postremis Breviariis assignatur festum cum officio trium Lectionum S. Mauri Abbatis; quando in memorato Breviario Panormitano Oratio tantùm exhibetur. S. Maurus.

Die XVI. in eodem Breviario Panormitano notatur natale S. Marcelli, cum ejus propria Oratione; cui in prolixioribus Breviariis Messanensi, & Gallo-Siculo subjiciuntur tres Lectiones ex gestis ejus compositæ. S.Marcellus.

Die XVII. Codices Siculi sex circiter seculorum, veluti sunt: Missale Panormitanum in quarto, Psalmodiæ Codex Messanensis in folio, & Evangeliorum Liber Agrigentinus, carent festo S. Antonii Abbatis; sed Missale Nicosiense in folio anni 1346. & alii Ecclesiastici Libri subinde in lucem emissi, illud afferunt: ex quibus Breviarium Panormitanum anno 1452. scriptum, & Messanense ejusdem ætatis novem Lectiones ex historia Sancti depromptas exhibent; in S.Antonius.

(a) *Cap.* 20. *n.* 9.

in antedicto autem Breviario Matthæi Caldo Lectiones non modo, verùm & integrum officium cum Invitatorio, Hymnis, Antiphonis, & Responsoriis propriis extat.

S. Prisca. Die XVIII. in antiquis Ecclesiæ Siculæ Codicibus occurrit memoria S. Priscæ Virginis, & Martyris; cujus vitam tribus contentam Lectionibus, repræsentat idem Breviarium Gallo-Siculum anni 1527. Calendarium Messanense manuscriptum in octavo, addit memoriam S. Mariani Episcopi, & Martyris. S. Marianus.

SS. Launomarius, Marius, & Martha. Die XIX. in antiquis nostris Calendariis exhibetur natale Sancti Launomarii Presbyteri, & Sanctorum Marii, & Marthæ Martyrum; in Breviario superius laudato Matthæi Caldo, omisso S. Launomario, alii duo cum tribus Lectionibus propriis notantur.

SS. Fabianus, & Sebastianus. Die XX. in pervetusto Psalmodiæ Codice Messanensis Ecclesiæ notatur festum S. Sebastiani Martyris cum novem Lectionibus, historiam de rebus per eum gestis, continentibus; in aliis Codicibus, isto recentioribus, adjungitur & S. Fabianus.

S. Agnes. Die XXI. in omnibus sacræ vetustatis Monumentis Siculis celebratur solemnitas S. Agnetis Virginis, & Martyris.

S. Vincentius Martyr. Die XXII. in ecclesiasticis nostris Libris consignatur festum S. Vincentii Martyris cum ejus officio proprio; ex quibus unus Messanensis Codex superius laudatus, illud singulare præfefert, quod loco Lectionum, sparsim inter Psalmos non nulla exhibet Responsoria, & Versus ex historia Sancti composita.

S. Emerentiana. Die XXIII. in duplici Breviario, Panormi-

mitano in quarto, & Meſſanenſi in octavo, extat memoria S. Emerentianæ Virginis, & Martyris; cujus hiſtoriam tribus contentam Lectionibus, legimus in memorato Breviario Gallo-Siculo Matthæi Caldo.

Die XXIV. in Calendario Meſſanenſis Eccleſiæ anno 1534. publicato, habetur commemoratio Sanctorum Timothei, & Babilæ Epiſcoporum. SS. Thimotheus, & Babilas.

Die XXV. in triplici Miſſali Libro Eccleſiæ Meſſanenſis, uno in quarto anni 1527. altero in folio anni 1534. & tertio in quarto anni 1538. una cum converſione S. Pauli, in omnibus alioquin notata Codicibus, aſſignatur natale S. Projecti Martyris. S. Projectus.

Die XXVI. celebris eſt S. Polycarpus Epiſcopus, & Martyr; cui in Breviario Matthæi Caldo modò laudato, adjungitur S. Projectus, ex Miſſalibus Meſſanenſibus præcedenti die veneratus. S. Polycarpus.

Die XXVII. in omnibus penè pervetuſtis Codicibus Siculis aſſignatur S. Julianus Epiſcopus, & Confeſſor cum integro ejus officio proprio. S. Julianus.

Die XXVIII. ibidem notatur officium ſanctæ Agnetis ſecundò. S. Agnes ſecundò.

Die XXIX. in antiquis Calendariis Panormitano, & Meſſanenſi habetur memoria S. Valerii Epiſcopi, & Martyris. S. Valerius.

Die XXX. in antedicto Calendario Panormitano M. S. extat commemoratio ſanctæ Radegundis Virginis; in Meſſanenſi etiam manu exarato, natale ſancti Flaviani Martyris; & in Meſſanenſi anno 1527. prelo tradito, ſolemni- SS. Flavianus & Radegundis.

tas

bus primis cum Oratione, & novem Lectionibus propriis; in tertio autem etiam cum Invitatorio, Antiphonis, Hymnis, & Responsoriis ex historia Sancti compositis.

Die IV. in duplici Calendario M. S. Panormitano, & Messanensi, ac in triplici edito ejusdem Messanensis Ecclesiæ notantur SS. Gelasius, Magnus, & Aquilinus, seù, ut in Panormitano legitur, Aquilonus; in Calendario autem nostri Matthæi Caldo exhibetur *Simeon Confessor* (ejus verba exscribo), *qui tertia die postquam Christum præsentavit, obiit*. SS.Gelasius, Magnus, &c. S.Simeon

Die V. in omnibus antiquis nostris Codicibus consignatur solemnitas cum integro officio proprio præclarissimæ Virginis, & Martyris Agathæ. S. Agatha.

Die VI. antiqui Missales Libri Ecclesiæ Messanensis, ejusque Breviarium manu exaratum, & Breviarium Matthæi Caldo habent natale SS. Vedasti, & Amandi Episcoporum; quibus antiquum Calendarium Panormitanæ Ecclesiæ adjungit festum S. Dorotheæ, cujus historiam tribus contentam Lectionibus, legimus in Breviario M. S. ejusdem Ecclesiæ. SS.Vedastus, Amandus, &c.

Die VII. in membranaceo Calendario Panormitano in quarto recolitur memoria S. Anguli Episcopi, & Martyris; in Messanensi manuscripto in octavo; & in Gallo-Siculo anni 1527. S. Dorotheæ Virginis, ex antedicto Panormitano præcedenti die veneratæ; in Calendario verò ante antiquum Missale Messanense anno 1534. edito, S. Anguli, & S. Dorotheæ. S. Angulus.

Die VIII. in præfatis Calendariis manu- S.Dionysius, &c.

ſcripto Meſsanenſi, & edito Gallo - Siculo notantur SS. Dionyſius, & Emilianus Martyres; in Panormitano additur & S. Sebaſtianus.

SS. Sabinus, & Apollonia. Die IX. memoratum Calendarium Panormitanum feſto quàm celebri S. Apolloniæ, in reliquis omnibus conſignato Codicibus, præponit memoriam S. Sabini Canuſii Archiepiſcopi.

SS. Scholaſtica, & Sotheris. Die X. in pervetuſtis omnibus Breviariis, & Miſsalibus Libris celebratur feſtum S. Scholaſticæ Virginis, quod in Calendario jam edito Eccleſiæ Meſsanenſis comitatur memoria S. Sotheris Virginis.

SS. Deſiderius, Severinus, &c. Die XI. in Calendariis cum editis, tum manu exaratis Meſsanenſis Eccleſiæ legimus commemorationem S. Deſiderii Epiſcopi, & Confeſſoris; cui in manuſcripto Panormitano adjungitur memoria S. Severini Abbatis, & S. Euphroſinæ Virginis.

S. Eulalia. Die XII. in Breviario Meſsanenſi membranaceo in octavo exhibetur Oratio S. Eulaliæ Virginis, & Martyris; in Gallo - Siculo Matthæi Caldo tres etiam extant Lectiones; in Panormitano autem novem, ab illis in verborum quoque congerie diſcrepantes.

S. Lucinus. Die XIII. in Calendariis Meſsanenſibus, & Gallo - Siculo conſignatur S. Lucinus Epiſcopus.

SS. Valentinus, Vitalis, &c. Die XIV. In antiquo Breviario Panormitano extat officium trium Lectionum SS. Martyrum Valentini, Vitalis, & Feliculæ; quos cum ſola Oratione S. Zenoni etiam communi, in priſco ſuo Breviario, & Miſſalibus Libris venerabatur Meſſanenſis Eccleſia; Breviarium verò antedicti Matthæi Caldo, omiſſo S. Valentino, aſ-

affert SS. Vitalem, Feliculam, & Zenonem.

Die xv. in memorato Breviario Panormitano, & Calendariis Messanensibus jam editis, notantur SS. Faustinus, & Jovita Martyres; in Calendario autem Messanensi manuscripto in octavo, & Gallo-Siculo Venetiis edito, S. Valentinus Martyr. SS. Faustinus, Jovita, &c.

Die xvi. ex uniformi Codicum antiquissimorum consensu occurrit festum S. Julianæ Virginis, & Martyris. S. Juliana.

Die xvii. in Calendariis Panormitano, Messanensibus, & Gallo-Siculo habetur memoria S. Polocronii Episcopi, & Martyris. S. Polocronius.

Die xviii. in Calendario manuscripto Messanensi notatur S. Simeon Episcopus, & Confessor; in Gallo-Siculo S. Simeon Episcopus, & Martyr filius Cleophe; in Panormitano SS. Maximus, & Claudius; in Messanensi autem anno 1527. & 1534. edito, S. Simeon Episcopus, & SS. Maximus, & Claudius Martyres. S. Simeon, Maximus, &c.

Die xix. in manu exarato Calendario Panormitano, locum invenit S. Barbatus Episcopus, & Confessor; in Messanensi etiam manuscripto, S. Barbatus Abbas; in triplici Messanensi jam in lucem emisso, S. Barbatus Episcopus, & S. Gabinus Presbyter, & Martyr; sed in Gallo-Siculo anni 1527. SS. Silvanus, & Pelagius, *& alii infiniti Martyres* apud Tyrum. S. Barbatus, &c.

Die xx. in Breviario antedicti Matthæi Caldo celebris habetur memoria S. Leonis Catanensis Episcopi. In Missali Ecclesiæ Messanensis in folio curâ Francisci de Stephano Venetiis anno 1534. prelo tradito, post Missam legitur S. Leo Catan. Episc.

Benedictio Panis. *Benedictio Panis* (ut sunt ejus Verba) *utilis ad fugandam omnem infirmitatem ab humanis corporibus per intercessionem beati Leonis Cathinensis Episcopi : & præsertim quando sumitur ab ægrotis cum maxima devotione.*

S. Simeon, &c. Die XXI. in Calendario Panormitano extat memoria S. Simeonis Episcopi, & Martyris; in M. S. Messanensi, SS. Sabini, & Claudi Martyrum; in edito ejusdem Ecclesiæ, S. Hilarii Papæ, & LXXIX. Martyrum; in Gallo - Siculo Matthæi Caldo, SS. Sabini, & Claudi, & aliorum LXXIX. Martyrum apud Siciliam.

Cathedra S. Petri. Die XXII. in omnibus ecclesiasticis Codicibus Siculis notatur festum Cathedræ S. Petri Apostoli.

S. Polycarpus. Die XXIII. in Calendariis cum editis, tum manu exaratis Messanensis Ecclesiæ, & in illo Matthæi Caldo consignatur solemnitas S. Polycarpi Confessoris.

S. Matthia. Die XXIV. ex uniformi antiquorum Librorum Ecclesiæ Siculæ consensu notatur S. Matthia Apostolus.

S. Gerlandus, &c. Die XXV. in Calendario Panormitanæ Ecclesiæ anno 1452. scripto, consignatur natale S. Gerlandi Episcopi Agrigentini; in Messanensibus autem & editis, & manuscriptis, uti, & in Gallo - Siculo, memoria SS. Victorini, & Victoris, & aliorum Martyrum.

SS. Alexander, & Fortunatus. Die XXVI. in memoratis M. SS. Calendariis Panormitano, & Messanensi habetur commemoratio S. Alexandri Episcopi; cui Calendaria edita ejusdem Messanensis Ecclesiæ adjungunt S. Fortunatum Martyrem.

SS. Julianus, & Leander. Die XXVII. in Calendariis Messanensibus, &

& Gallo-Siculo reperitur S. Julianus Martyr; quem in Calendario Panormitano comitatur S. Leander Episcopus.

Die XXVIII. in præfato Calendario M. S. Messanensi occurrit memoria S. Macharii Abbatis; in Panormitano, & Gallo-Siculo S. Romani Abbatis; in Messanensibus editis SS. Macharii, & Rustini Abbatis. S. Macharius, &c.

CAPUT XL.

Officia Sanctorum Mensis Martii.

Die I. consignatur in antiquo Breviario Ecclesiæ Messanensis natale S. Albini, Episcopi, & Confessoris, cum ejus Oratione propria; cui in Breviario Gallo-Siculo Matthæi Caldo subjiciuntur tres Lectiones historiam Sancti complectentes; Calendarium ante Missale ejusdem Messanensis Ecclesiæ editum exhibet quoque S. Donatum Martyrem; sed Calendarium manu exaratum Panormitanæ Ecclesiæ S. Albino S. Lucam Abbatem conjungit; cujus vitam novem Lectionibus contentam legimus in veteri Breviario ejusdem Panormitanæ Ecclesiæ. S. Albinus, S. Donatus, S. Lucas.

Die II. occurrit in eodem Calendario Panormitano memoria SS. Jovini, & Basilei Martyrum; in Messanensi manuscripto, & Gallo-Siculo jam edito, S. Simplicii Papæ, & Martyris; in altero Messanensi etiam edito, S. Mariæ Ægyptiacæ, & S. Theodosiæ. S. Jovinus, &c.

S. Pelagius. Die III. in antedictis Calendariis Panormitano, Messanensibus, & Gallo-Siculo notatur S. Pelagius Martyr.

S. Lucius, &c. Die IV. præfatum Calendarium Panormitanum exhibet S. Lucium Pontificem, & Martyrem; Messanense manuscriptum SS. Silvanum, & Rogatum Martyres; editum Messanense adjungit S. Adrianum; sed Gallo-Siculum affert S. Lucium, & alios xc. Martyres.

S. Eusebius, &c. Die V. in Calendariis Messanensibus cùm editis, tùm manu exaratis legimus natale S. Eusebii Martyris; in Panormitano S. Eusebii Episcopi, & Martyris; in Gallo-Siculo S. Eusebii Martyris, & aliorum IX.

SS. Victor, & Victorinus. Die VI. omnia Calendaria superius laudata exhibent SS. Victorem, & Victorinum Martyres.

S. Thomas. Die VII. in antiquis Breviariis Panormitano, & Messanensi extat officium novem Lectionum S. Thomæ de Aquino; in Calendariis ante utrumque Breviarium positis, & in Missalibus Libris Ecclesiæ Messanensis additur memoria SS. Perpetuæ, & Felicitatis Martyrum; sed in Breviario Gallo-Siculo memorati Matthæi Caldo habetur duplex officium: alterum trium Lectionum SS. Perpetuæ, & Felicitatis, alterum novem Lectionum S. Thomæ cum Antiphonis, Hymnis, Responsoriis, & aliis ex historia Sancti compositis.

SS. Perpetua, & Felicitas.

SS. Cyprianus, & Cyrillus. Die VIII. in omnibus antiquis nostris Calendariis consignatur memoria SS. Cypriani, & Cyrilli Episcoporum.

SS. XL. Martyres. Die IX. ibidem notantur SS. Quadraginta Martyres; de quibus in antedicto Breviario Gallo-Siculo extat Oratio propria.

Die X. habetur in ipsis eisdem sacræ antiqui-

quitatis Monumentis commemoratio SS. Alexandri, & Gay (*Caii*) Martyrum. SS. Alexander, & Cajus.

Die XI. in Calendario ante præfatum Breviarium Matthæi Caldo edito, legimus memoriam S. Piperionis, & aliorum XXV. Martyrum. S. Piperion, &c.

Die XII. in omnibus Ecclesiæ Siculæ Codicibus occurrit solemnitas S. Gregorii Papæ, & Ecclesiæ Doctoris. In cujus Missa Messanæ legebatur Epistola: *Dedit Dominus confessionem Sancto suo*. S. Gregorius.

Die XIII. memorata Calendaria Sicula tàm edita, quàm manuscripta sacram peragunt memoriam S. Macedonii Presbyteri. S. Macedonius.

Die XIV. in Calendario membranaceo Panormitano anni 1452. habetur memoria S. Leonis Papæ, & S. Petri Martyris; in Messanensi ejusdem fermè ætatis S. Nicomedis, & S. Petri Martyris; in Messanensi anno 1527. edito, S. Leonis Papæ, S. Nicomedis, & S. Petri Martyris; in Gallo-Siculo eodem anno typis consignato, S. Nicomedis, S. Petri Martyris, & aliorum XLIX. ab Apostolo Petro baptizatorum. S. Leo, &c.

Die XV. in utroque M. S. Calendario Messanensi, & Panormitano occurrit celebritas S. Longini Martyris; in Gallo-Siculo hæc adduntur verba: *Qui Christi latus lanceâ perforavit*; in Messanensi anni 1527. omisso S. Longino, notatur S. Matrona Martyr. S. Longinus. S. Matrona.

Die XVI. in Ecclesiasticis nostris Libris consignatur natale SS. Cyriaci, Largii, & Smaragdi Martyrum. S. Cyrianus, &c.

Die XVII. ibidem exhibetur memoria S. Patricii Episcopi, & Confessoris; cui idem Calendarium Messanense jam editum, adjungit S. Geltrudem Virginem. S. Patricius. S. Geltrudis.

Die

S. Alexander. Die XVIII. in eisdem Calendariis extat memoria S. Alexandri Episcopi.

Die XIX. in Calendariis Catanensi, Messanensibus, & Gallo-Siculo habetur solemnitas S. Joseph Sponsi Beatissimæ Virginis Mariæ; de qua ne verbum quidem est in Panormitano anni 1452. ubi die ista notatur S. Johannes Episcopus, & Confessor. S. Joseph. S. Johannes.

S. Vulfrannus. Die XX. in omnibus sacræ vetustatis Monumentis Siculis reperitur memoria S. Vulfranni Episcopi, & Confessoris.

S. Benedictus. Die XXI. ibidem notatur natale S. Benedicti Abbatis.

Die XXII. in Calendariis Panormitano, & Messanensibus consignatur S. Aphrodisius Episcopus, & Confessor; in Gallo-Siculo Matthæi Caldo S. Paulus Episcopus Narbonæ, Pauli Apostoli discipulus. S. Aphrodisius. S. Paulus Episc. Narb.

SS. Theodorus, & Julianus. Die XXIII. eadem Calendaria afferunt festum SS. Theodori, & Juliani Martyrum.

Die XXIV. Calendaria Panormitanum, & Catanense vacant; reliqua venerantur memoriam SS. Romuli, Seleuci, & Agapiti Martyrum. S. Romulus, &c.

Die XXV. omnia veneranda vetustatis Monumenta Sicula Annunciationem B. Mariæ Virginis festiva celebritate venerantur. Annunciatio B. Mariæ Virg.

Die XXVI. ex Calendariis Ecclesiæ Messanensis & editis, & manuscriptis celebrabatur natale S. Caroli Martyris; in Calendario autem Matthæi Caldo additur etiam festum S. Dismæ Latronis. S. Carolus. S. Disma.

Die XXVII. in antedictis Calendariis Panormitano, Messanensibus editis, & Gallo-Siculo notatur festum gloriosissimæ Resurrectionis Do- Pascha Resurrectionis.

Domini nostri Jesu Christi; in Messanensi M.S. S. Alexander Martyr. S. Alexander.

Die XXVIII. in eisdem Calendariis, Messanensi manu exarato, & Gallo-Siculo jam edito, extant SS. Priscus, & Malchus Martyres; quibus in altero Messanensi anno 1527. prelo tradito, additur S. Alexander Martyr. S. Priscus, &c.

Die XXIX. idem Calendarium Messanense manuscriptum, cui concinit & Gallo-Siculum jam editum, repræsentat SS. Armogastem, & Archimim Episcopos; sed Messanense typis demandatum adjungit S. Satyrum Confessorem. S. Armogastes, &c.

Die XXX. in antedictis tribus Calendariis consignatur S. Victor Martyr. S. Victor.

Die XXXI. idem duplex Calendarium Messanense, editum, & manuscriptum exhibet S. Albinam Virginem, & Martyrem; quæ in Calendario Matthæi Caldo nominatur Balbina. S. Albina.

CAPUT XLI.

Officia Sanctorum mensis Aprilis.

DIe I. in Calendariis Messanensibus, editis, & manu exarato, & Gallo-Siculo consignatur natale S. Venantii Episcopi, & Martyris; in Panormitano autem anni 1512. additur & solemnitas S. Theodoræ Martyris. S. Venantius. S. Theodora.

Die II. in eadem Panormitanæ Ecclesiæ Tabula extat memoria S. Eustosii Abbatis, & S. Mariæ Ægyptiacæ; quæ, omisso S. Eustosio, notatur etiam in aliis sacræ antiquitatis Monumentis modò laudatis; & in Breviario nostri S. Eustosius. S. Maria Ægyptiaca.

Matthæi Caldo officium obtinet trium Lectionum ex ejus historia compositarum.

Translat. S. Matthæi. Die III. antedicta Calendaria, uno excepto Panormitano, quod die ista celebrat festum Translationis S. Matthæi Apostoli, venerantur memoriam Sanctorum Rufi, & Pancratii Martyrum.

SS. Rufus, & Pancratius.

S. Ambrosius. Die IV. omnes Ecclesiæ Siculæ Libri afferunt natale S. Ambrosii Episcopi, & Confessoris.

S. Amphianus, &c. Die V. in memorato Calendario Panormitanæ Ecclesiæ occurrit S. Amphianus Martyr, & S. Irenes Virgo; in reliquis autem, S. Vincentius Confessor.

Dedicat. Altaris, &c. Die VI. in ipso eodem Panormitanæ Ecclesiæ Monumento habetur *Dedicatio majoris Altaris Ecclesiæ Dei genitricis Mariæ Panormi*; sed in Calendariis aliis sæpiùs laudatis extat memoria Sanctorum Timothei, & Diogenis.

S. Timotheus, &c.

S. Pelutius. S. Joseph ab Arimath. Die VII. utrumque Calendarium, editum, & manuscriptum Ecclesiæ Messanensis exhibet S. Pelutium Confessorem; illud Matthæi Caldo, S. Joseph Confessorem ab Arimathæa.

Septem SS. Virgines. Die VIII. ibidem notatur festivitas Septem Sanctarum Virginum, & Martyrum.

S. Apollonius. Die IX. eodem loco consignatur natale S. Apollonii Presbyteri.

S. Leo. S. Philippus. Die X. in ipsis eisdem Calendariis Messanensibus, & Gallo-Siculo notantur S. Leo Papa, & S. Philippus Episcopus.

S. Julius. S. Zeno. Die XI. in præfato Calendario membranaceo Ecclesiæ Messanensis, & in Gallo-Siculo exhibetur passio S. Julii Papæ, & Martyris; in Messanensi Venetiis jam publicato, additur memoria S. Zenonis Episcopi.

Die

Die XII. antedicta antiqua Calendaria repræsentant memoriam S. Euphemiæ Virginis, & Martyris. S. Euphemia.

Die XIII. ibidem, & in Panormitano quoque occurrit martyrium Sanctorum Maronis, Victorini, & Eutychetis. S. Maro. Eutyches, &c.

Die XIV. eodem loco celebris extat memoria Sanctorum Tiburtii, Valeriani, & Maximi; quorum res gestæ, tribus comprehensæ Lectionibus, leguntur in memorato Breviario Gallo-Siculo anni 1527. S. Tiburtius, &c.

Die XV. in omnibus antedictis Calendariis consignatur solemnitas S. Partenii Episcopi; & in Messanensi M. S. additur memoria S. Maximi Martyris. S. Partenius. S. Maximus.

Die XVI. in Calendario membranaceo Panormitanæ Ecclesiæ reperitur festum S. Callisti Martyris; in Gallo-Siculo, & in Messanensi manuscripto, S. Petri Diaconi, & Martyris; cui in Messanensi edito adjungitur memoria S. Nemogeni. S. Callistus, &c.

Die XVII. antedicta Calendaria, edita, & manu exarata Ecclesiæ Messanensis, & Gallo-Siculum exhibent festivam commemorationem S. Eleutherii Papæ, & Martyris. S. Eleutherius.

Die XVIII. in Calendario Panormitano anni 1452. notatur S. Vincentius Martyr; in Messanensi manuscripto ejusdem fermè ætatis, adduntur S. Eleutherius Episcopus, & Mater ejus Anthia; in Missali Libro ejusdem Messanensis Ecclesiæ anno 1527. edito, & in Breviario illo Matthæi Caldo eodem anno in lucem emisso, idem S. Eleutherius nominatur Messanensis Episcopus, & nisi venerit intra Paschale tempus, S. Vincentius. S. Eleutherius, & S. Anthia.

 ob-

obtinet officium Dominicale, novem ſcilicet Lectionum: quamobrem falluntur, ſimul ac fallunt viri, alioquin eruditiſſimi, Bollandi Continuatores (a), quibus aſſerere placet, quod *nullus certè S. Eleutherii cultus apud Meſſanenſes unquam fuit; & ſi nunc eſt aliquis, ſolius nititur Cajetani auctoritate*: nàm Cajetani ætas antedictorum Codicum ætate longè recentior fuit.

Translat. S. Gerlandi. Die XIX. in memorato Calendario Panormitano occurrit Translatio S. Gerlandi Confeſſoris; in Meſſanenſibus natale S. Marcellini Epiſcopi, vel ut inſcribitur in Gallo-Siculo, S. Marcelli. S. Marcellinus.

S. Vitalis, &c. Die XX. eadem Calendaria Eccleſiæ Meſſanenſis referunt certamen S. Vitalis Martyris; Panormitanum addit memoriam S. Victorini Papæ; qui in Gallo-Siculo rectiùs dicitur Victor Papa, & Martyr.

S. Cajus. Die XXI. in antedictis Calendariis Meſſanenſibus ſignatur paſſio S. Caii Papæ, & Martyris; ſed in Gallo-Siculo S. Simeonis Epiſcopi, & Martyris in Perſide. S. Simeon.

S. Anaſtaſius. Translat. S. Dionyſii. Die XXII. ibidem recolitur memoria S. Anaſtaſii Papæ, & Martyris; in Panormitano autem Translatio S. Dionyſii.

S. Georgius. Die XXIII. in antiquis omnibus Eccleſiæ Siculæ Codicibus celebris habetur feſtivitas S. Georgii Martyris.

S. Melphiſtus, &c. Die XXIV. Calendaria cùm edita, tùm manuſcripta Eccleſiæ Meſſanenſis celebrant natale S. Melphiſti Epiſcopi; Panormitanum S. Cleti Pa-

(a) *Act. Sanctor. menſis Aprilis die* 18.

Papæ, & Martyris ; Gallo-Siculum S. Alexandri Martyris.

Die xxv. ex omnibus antiquis nostris Codicibus celebris occurrit solemnitas S. Marci Evangelistæ. S. Marcus.

Die xxvi. in pervetusto Calendario Panormitano legitur S. Cyriacus Confessor ; in Messanensi manuscripto, & Breviario Gallo-Siculo, S. Cletus, & S. Marcellinus ; in Messanensi edito, SS. Marcellinus, & Cyriacus. S. Cyriacus, &c.

Die xxvii. in eodem Calendario Panormitano consignatur S. Anastasius Episcopus, & Martyr ; in omnibus Messanensibus S. Cita Virgo, de Lucana civitate. S. Anastasius. S. Cita.

Die xxviii. omnia Monumenta Sicula afferunt S. Vitalem Martyrem, Patrem Sanctorum Gervasii, & Protasii ; cujus historiam tribus distributam Lectionibus, refert prædictum Breviarium Gallo-Siculum anni 1527. S. Vitalis.

Die xxix. ibidem notatur S. Petrus Martyr Ordinis Prædicatorum. S. Petrus M.

Die xxx. in Calendario M. S. in octavo Ecclesiæ Messanensis, & in Gallo - Siculo occurrit memoria S. Eupræpii Martyris. S. Eupræpius.

CA-

CAPUT XLII.

Officia Sanctorum mensis Maji.

SS. Philippus, & Jacobus. Die I. solemniter recolebatur in Sicilia Sanctorum Apostolorum Philippi, & Jacobi festum; & ex Calendario Gallo-Siculo addebatur memoria S. Amatoris Episcopi, & Confessoris. S. Amator.

S. Athanasius. Die II. in Calendario Ecclesiæ Panormitanæ sub Archiepiscopo Simone de Bononia pulcherrimè scripto, & in Breviario etiam M. S. Ecclesiæ Messanensis notatur S. Athanasius; in antedicto Calendario Matthæi Caldo adjungitur S. Oliva Virgo; quam in Calendario Messanensi manu exarato, omisso S. Athanasio, comitatur S. Anastasius Episcopus; sed in Missali Libro ejusdem Messanensis Ecclesiæ anno 1527. publicato, exhibetur duplex Missa: altera S. Anastasii Episcopi; altera S. Francisci de Paula. S. Oliva. S. Anastasius. S. Franciscus de Paula.

Inventio S. Crucis. Die III. in eisdem Missali Messanensi, & Calendario Panormitano, præter festum Inventionis vivificæ Crucis, habetur natale Sanctorum Alexandri, Eventii, & Theodoli. S. Alexander, &c.

SS. Florianus, & Quiriacus. Die IV. Idem Calendarium Panormitanum exhibet memoriam S. Floriani Martyris, & S. Quiriaci Episcopi, & Martyris; Missale Messanense, & Calendarium Gallo-Siculum memoriæ S. Quiriaci, prætermisso S. Floriano, festum Coronæ Domini præmittunt; hocce solum festum veneratur Calendarium manuscriptum in octa- Festum Coronæ Domini.

octavo ejusdem Messanensis Ecclesiæ. Singulare est illud, quod videre nobis contigit in Breviario Gallo - Siculo ipsius ejusdem Matthæi Caldo, ubi tria extant officia propria: unum Coronæ Domini; alterum S. Quirini, tertium S. Catharinæ de Senis, primâ ejusdem mensis Dominicâ celebrandum. S.Catharina de Senis.

Die v. in Missali Libro Ecclesiæ Messanensis, & in Breviario Gallo - Siculo signatur natale S. Angeli Martyris de Leocata Siciliæ; in Calendario Messanensi M. S. additur S. Juvenalis Episcopus; in Panormitano notatur Ascensio Domini in cœlum; in altero Messanensi Calendario jam edito, S. Hilarius Episcopus, & Confessor. S. Angelus Carmel. S. Juvenalis Ascēsio Domini. S. Hilarius.

Die vi. uno solo Calendario M. S. Messanensi in octavo excepto, reliqui omnes Ecclesiæ Siculæ Libri exhibent festum S. Johannis ante portam Latinam. S.Johannes ante portam Latinam.

Die vii. in Calendario Panormitano occurrit Translatio S. Christinæ Virginis; in Messanensi tàm edito, quàm manu exarato, natale S. Faustini Episcopi; in Gallo - Siculo, memoria S. Domicillæ (*Domitillæ*) Virginis, & Martyris. Translat. S. Christinæ. S. Faustinus. S.Domitilla.

Die viii. in omnibus antiquis nostris Codicibus consignatur Apparitio, seu (ut in Calendario manuscripto in quarto Ecclesiæ Panormitanæ legitur) Inventio S. Michaelis Archangeli. Apparit. S. Michaelis.

Die ix. in antedicto Calendario Panormitano apparet Translatio S. Nicolai; in Messanensi jam edito, natale S. Gregorii Nazianzeni Episcopi; cui in Calendario manuscripto Translat. S. Nicolai. S.Greg.Naz.

ejus-

ejusdem Ecclesiæ, & in illo Matthæi Caldo subjungitur S. Victorinus.

S. Victorinus.

S. Cataldus.

Die x. perantiquum Breviarium Panormitanum repræsentat officium novem Lectionum S. Cataldi Episcopi; Calendarium ejusdem Ecclesiæ adjungit commemorationem Sanctorum Martyrum Gordiani, & Epimachi; utramque solemnitatem referunt Breviaria Messanense, & Gallo-Siculum: in quibus S. Cataldus officio trium solummodo Lectionum gaudet.

SS. Gordianus, & Epimachus.

S. Mamertus.

Die xi. Calendarium manuscriptum Messanense, & editum Matthæi Caldo exhibent S. Mamertum Episcopum; cui editum Messanense, & manuscriptum Panormitanum adjungunt S. Majolem Abbatem.

S. Majolus.

S. Nereus, &c.

Die xii. in antiquis omnibus Calendariis superius laudatis consignatur passio Sanctorum Nerei, & Achillei, atque Pancratii, nec non & natale S. Philippi de Argyrione; de quo Orationem tantùm exhibet Breviarium M. S. Messanense; Panormitanum verò subjungit novem Lectiones, historiam Sancti complectentes; sed Gallo-Siculum anni 1527. integrum officium cum Invitatorio, Antiphonis, Responsoriis, & aliis affert; tametsi propter Paschale tempus tres solummodo Lectiones habeat *(a)*.

S. Philippus, de Argyr.

S. Maria ad Martyres.

Die xiii. Calendarium membranaceum Panormitanæ Ecclesiæ consignat memoriam S. Mariæ ad Martyres; Breviarium Gallo-Siculum Matthæi Caldo repræsentat officium trium Lectionum S. Servatii Jesu Christi consanguinei; Missales Libri Ecclesiæ Messanensis, ejusque Calen-

S. Servatius.

(a) *Supra cap.* 31. *n.* 10.

lendarium manuſcriptum utramque afferunt ſolemnitatem.

Die XIV. in antedictis ſacræ eruditionis Tabulis reperitur celebritas S. Pachomii Abbatis. S.Pachomius.

Die XV. ibidem notatur Sancta Victorina Virgo, & S. Iſidorus Martyr. S.Victorina. S.Iſidorus.

Die XVI. in Calendariis tàm editis, quàm manuſcriptis Eccleſiæ Meſſanenſis, & in Gallo-Siculo extat S. Zacharias Propheta; in Panormitano S. Peregrinus Epiſcopus, & Martyr. S.Zacharias. S.Peregrinus.

Die XVII. Collectarium, ſeu Orationale Panormitanæ Eccleſiæ, ejuſque antiquum Breviarium exhibent natale S. Reſtitutæ Virginis, & Martyris; ſed Calendaria Eccleſiæ Meſſanenſis, & illud Gallo-Siculum, memoriam S. Felicis Epiſcopi, & Confeſſoris. S.Reſtituta. S. Felix.

Die XVIII. in antedictis omnibus Calendariis conſignatur ſolemnitas Sanctorum Dioſcori Lectoris, & Serapionis Martyrum. SS. Dioſcorus, & Serapion.

Die XIX. ibidem, in Breviario item Meſſanenſis Eccleſiæ manuſcripto in octavo, & in alio antedicti Matthæi Caldo apparet S. Pudentiana Virgo; cui Calendarium jam editum ejuſdem Meſſanenſis Eccleſiæ adjungit S. Petrum Confeſſorem. S.Pudentiana. S.Petrus Cõf.

Die XX. eodem loco occurrit S. Bernardinus Senenſis, ordinis Minorum; cui in Calendariis Meſſanenſibus, manuſcripto, & in lucem jam emiſſo, ſubjungitur S. Auſtregeſilus Epiſcopus; in Calendario autem Gallo-Siculo, S. Helena, & S. Coſtantinus. S. Bernardinus. S. Auſtregeſilus. SS.Helena & Conſtantinus.

Die XXI. in Calendariis, Meſſanenſi manu exarato, & Gallo-Siculo extat S. Secundus Martyr; SS. Secundus, & Magnus.

tyr ; quem in altero Messanensi jam edito comitatur S. Magnus Martyr ; in Orationali autem , & Calendario Panormitanæ Ecclesiæ , S. Eustachius cum sociis suis ; nec non & S. Constantinus Confessor.

S. Eustachius, &c.

S. Julia. Die XXII. in memoratis antiquis nostris Calendariis habetur celebritas S. Juliæ Virginis, & Martyris.

S. Desiderius. Die XXIII. ibidem signatur festum S. Desiderii Episcopi , & Martyris.

SS. Donatianus, & Rogatianus. Die XXIV. in ipsis eisdem sacræ vetustatis Codicibus Siculis notatur martyrium Sanctorum Donatiani , & Rogatiani.

S. Urbanus. Die XXV. Calendarium Panormitanæ Ecclesiæ , ejusque Orationale afferunt S. Urbanum Papam ; Calendaria autem Ecclesiæ Messanensis adjungunt S. Mariam Jacobi , & S. Mariam Salome , sorores beatæ Mariæ Virginis : quamobrem duo die ista officia exhibet Breviarium Gallo-Siculum : unum novem Lectionum pro Sanctis mulieribus ; alterum trium pro S. Urbano.

SS. Mariæ, Jabobi, & Salome.

S. Augustinus Cantuar. Episc. Die XXVI. in Calendariis sæpius jam laudatis consignatur S. Augustinus Cantuariæ in Anglia Episcopus.

S. Eutropius. Die XXVII. in omnibus Siciliæ Ecclesiis , unâ Panormitanâ exceptâ , quæ venerabatur S. Eutropium , celebris habebatur memoria S. Restitutæ Virginis , & Martyris.

S. Restituta.

S. Germanus. Die XXVIII. in antiquis nostris Codicibus signatur solemnitas S. Germani Episcopi , & Confessoris ; cui in Calendario Messanensi , typis jam consignato , præponitur S. Johannes Papa.

S. Johannes Papa.

Die

Die XXIX. ibidem notatur memor· S. Maximi Episcopi, & Confessoris, seu, ut in Panormitano rectius inscribitur, S. Maximini. S. Maximinus.

Die XXX. eodem loco consignatur commemoratio S. Felicis Papæ, & Martyris. S. Felix PP. & M.

Dei XXXI. in eisdem Ecclesiæ Siculæ Monumentis habetur festiva celebritas S. Petronillæ Virginis. S. Petronilla.

CAPUT XLIII.

Officia Sanctorum mensis Junii.

DIe I. in pervetusto Panormitanæ Ecclesiæ Breviario reperitur memoria SS. Marcellini, & Nicomedis Martyrum; sed in antiquis Breviario, & Missali Libro Ecclesiæ Messanensis, passio tantummodò S. Nicomedis. SS. Marcellinus, & Nicomedes.

Die II. antiqua omnia Ecclesiæ Siculæ Monumenta exhibent Sanctos Marcellinum Presbyterum, Petrum Exorcistam, & Erasmum Episcopum. SS. Marcellinus, Petrus, &c.

Die III. in Calendario manu exarato Panormitanæ nostræ Ecclesiæ, ejusque Orationali membranaceo in folio consignatur natale *S. Coni*; cujus historiam novem comprehensam Lectionibus recitat antiquum Breviarium ejusdem Ecclesiæ. S. Conus.

Die IV. in eodem Calendario Panormitano, & in Messanensi edito, notatur S. Quirinus Episcopus, & Martyr; in Breviario Gallo-Siculo, S. Iconius Martyr; uterque verò in Messanensi manuscripto. S. Quirinus. S. Iconius.

S. Bonifacius. Die v. ibidem, & in aliis quàm multis Codicibus Siculis celebratur memoria S. Bonifacii Episcopi, & Martyris.

S. Amantius, &c. Die VI. eodem loco extant SS. Martyres Amantius, & Alexander; tametsi, loco Alexandri, in Calendario Panormitano habeatur S. Lucius.

S. Audomarius. Die VII. in triplici Calendario, Panormitano, Messanensi, & Gallo-Siculo legimus memoriam S. Audomarii Confessoris.

SS. Medardus, & Gildardus. Die VIII. ex omnibus Ecclesiæ Siculæ Codicibus celebris apparet solemnitas SS. Medardi, & Gildardi Episcoporum.

SS. Primus, & Felicianus. Die IX. ex eisdem Ecclesiæ nostræ Tabulis solemnis existit memoria SS. Primi, & Feliciani.

S. Oliva. Die X. antedictum Orationale Panormitanæ Ecclesiæ repræsentat S. Olivam Virginem, &
S. Onuphrius. S. Onuphrium Confessorem; quibus Calenda-
S. Syrus. rium ejusdem Ecclesiæ præmittit S. Syrum Episcopum, & Confessorem. Calendaria autem Messanense, & Gallo-Siculum die ista S. Olivam non memorant, propterea quod eam co-
SS. Januarius & Basilides. lucrant die 11. mensis Maji: quamobrem hodie venerantur SS. Martyres Januarium, & Basilidem.

S. Barnabas. Die XI. Majores nostri, quemadmodum & nos, celebrabant festum S. Barnabæ Apostoli.

SS. Basilides, Cyrinus, &c. Die XII. in memoratis Ecclesiæ nostræ Libris occurrit natale SS. Martyrum Basilidis, Cyrini, Naboris, & Nazarii.

S. Antonius de Padua. Die XIII. ibidem signatur S. Antonius de Padua; cujus novem Lectiones proprias exhibent Breviaria, Panormitanum anni 1452. &

Gal-

Gallo - Siculum anni 1527.

Die XIV. in Breviario manuſcripto Meſſanenſi, ac in triplici Miſſali Libro ejuſdem Eccleſiæ habetur natale S. Marciani Syracuſarum Epiſcopi; cujus novem Lectionum officium repræſentat idem Breviarium Meſſanenſe; & prolixius præ quam iſtud, Breviarium illud Matthæi Caldo: ex quo ad opus noſtrum illuſtrandum quædam excerpſimus ſupra *(a)*, Pſalmodiæ Gallo - Siculæ partes ſingulas exponentes. S.Marcianus,

Die XV. in eiſdem Meſſanenſis Eccleſiæ Codicibus conſignatur natale SS. Martyrum Viti, Modeſti, atque Creſcentiæ; qui trium Lectionum officio celebrantur in Breviario Gallo-Siculo; & ſolemniori novem Lectionum ritu in antiquiori Panormitanæ Eccleſiæ Breviario. SS. Vitus, Modeſtus, &c.

Die XVI. in triplici Breviario, Panormitano, Meſſanenſi, & Gallo - Siculo, in Miſſali etiam Meſſanenſis Eccleſiæ recolitur certamen Sanctorum Cirici, & Matris ejus Julittæ. SS. Ciricus, & Julitta.

Die XVII. Meſſanæ celebris erat ſolemnitas S. Rainerii Confeſſoris; cujus Orationem afferunt antiquum Breviarium, & Miſſale ejuſdem Eccleſiæ; Breviarium Gallo - Siculum exhibet ulterius tres Lectiones hiſtoriam Sancti complectentes, unà cum officio SS. Nicandri, & Marciani Martyrum, quorum Oratio non deeſt antedicto Breviario Eccleſiæ Meſſanenſis; licet ejus Miſſale, omiſſo altero hoc feſto, illud tantùm SS. Ferreoli, & Ferrutii afferat. S.Rainerius SS.Nicander, & Marcianus. SS.Ferreolus, & Ferrutius.

Die XVIII. idem Breviarium Eccleſiæ Meſſanenſis veneratur SS. Martyres Marcellianum & SS.Marcellianus, & Marcus.

(a) *Cap.* 15. *n.* 3.

& Marcum Fratres; Missale ejusdem Ecclesiæ addit commemorationem S. Calogeri Confessoris; quem solemniori ritu celebrant Breviaria, Panormitanum, & Gallo-Siculum.

S.Calogerus.

SS. Gervasius, & Protasius.

Die XIX. in antiquis omnibus Ecclesiæ Siculæ Codicibus notatur gloriosum certamen Sanctorum Gervasii, & Protasii Fratrum.

S. Julianus cum Soc.

SS. Decē millia Martyres.

Die XX. omnia antiqua nostra Calendaria habent S. Julianum Martyrem cum sociis suis; Missale Messanense, Sanctos decem millia Martyres.

S.Leutfridus.

SS.Rufinus, & Martia.

Die XXI. in eodem Missali Libro Messanensi, & Calendariis manuscriptis, Panormitano, & Messanensi signatur S. Leutfridus Abbas; in Gallo-Siculo Matthæi Caldo, SS. Rufinus, & Martia Martyres *apud Syracusas Siciliæ*.

S.Paulinus.

Die XXII. in antedictis omnibus Calendariis extat natale S. Paulini Episcopi, & Confessoris.

S.Agrippina.

Die XXIII. in pervetusto Breviario Panormitano, & in antiquo Missali Libro Ecclesiæ Messanensis exhibetur festum S. Agrippinæ Virginis, & Martyris, cujus prolixius officium legitur in Breviario memorati Matthæi Caldo.

Nat.S.Johānis Baptistæ.

Die XXIV. celebre olim in Sicilia fuit, & nunc est, festum Nativitatis S. Johannis Baptistæ.

S.Amandus.

S.Prophonia.

Die XXV. in Calendario Panormitano reperitur S. Amandus Confessor; in Messanensibus, & in Gallo-Siculo, S. Prophonia Virgo, & Martyr.

SS.Johānes, & Paulus.

Die XXVI. antiqui Ecclesiæ Siculæ Codices repræsentant SS. Martyres Johannem, & Paulum.

Die

Die XXVII. in antedictis nostris Calendariis signatur memoria septem Germanorum Martyrum. VII. Germani Martyres.

Die XXVIII. in duplici Breviario membranaceo, Panormitano, & Messanensi exhibetur officium de Vigilia Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli; in Breviario autem Gallo-Siculo additur officium S. Leonis Papæ secundi. Vigilia SS. Petri, & Pauli. S.Leo Pap. II.

Die XXIX. celebris apud Ecclesiam Siculam erat festivitas Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli. SS. Petrus, & Paulus.

Die XXX. in antiquis omnibus Ecclesiæ Siculæ Tabulis occurrit commemoratio S. Pauli Apostoli. Commem. S. Pauli Apost.

CAPUT XLIV.

Officia Sanctorum mensis Julii.

Die I. in omnibus antiquis nostris Codicibus consignatur Octava S. Johannis Baptistæ. Octav. S.Johannis Bapt.

Die II. ibidem occurrit festum Visitationis Beatæ Mariæ Virginis ad Elisabeth, cum commemoratione Sanctorum Martyrum Processi, & Martiniani; quorum non Orationem tantùm, sed integrum trium Lectionum officium exhibet Breviarium Gallo-Siculum; antiquus Missalis Liber Ecclesiæ Messanensis ritum hunc æmulatus, duas die ista Missas repræsentat: alteram S. Mariæ; alteram Sanctorum Martyrum. Visit. B.Mariæ Virg. SS. Processus, & Martinianus.

Die III. in perantiquo Breviario Panormitano notatur natale S. Lauriani Episcopi, & Marty- S.Laurianus.

Traslat. S. Thomæ. tyris ; in reliquis Ecclesiæ Siculæ monumentis ; Translatio S. Thomæ Apostoli.

Traslat. S. Martini. Die IV. in triplici Calendario, Panormitano, Messanensi, & Gallo-Siculo extat Translatio S. Martini Episcopi.

S. Zoa. Die V. eadem Calendaria celebrant memoriam S. Zoæ Martyris; quæ in Panormitano inscribitur Zeota, & in Gallo-Siculo perperam nominatur Virgo : nam fuit uxor B. Nicostrati Martyris, ut in hodierno Martyrologio Romano videre licet ; in eodem Calendario Panormitano adjungitur & S. Dominicus. S. Dominicus.

Oct. SS. Petri, & Pauli. Die VI. celebris habebatur Octava Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli.

S. Dominica. Die VII. in Calendario Panormitano consignatur S. Dominica Virgo ; in Messanensi manuscripto, Sanctus Marciales Episcopus ; in Breviario Gallo-Siculo, utriusque festi exhibetur officium : primum quidem S. Dominicæ ad diem, alio festo non impeditam, transferendum ; tùm S. Marcialis ; sed in Calendario Messanensi anno 1527. Venetiis excuso, habetur solemnitas Sanctorum Nicostrati, & Claudii, cum sociis suis. S. Marciales. S. Nicostratus, &c.

S. Procopius Martyr. Die VIII. in omnibus ferè Ecclesiæ Siculæ Codicibus reperitur S. Procopius Martyr ; cujus historiam novem comprehensam Lectionibus legimus in Breviario Panormitano anni 1452. sed Breviarium Gallo-Siculum, omisso S. Procopio Martyre, alium affert Abbatem, natione Boemium. S. Procopius Abbas.

S. Pancratius. Die IX. idem Breviarium Panormitanum, illud etiam Messanense manuscriptum exhibent officium novem Lectionum S. Pancratii Tauro-

me-

menii Episcopi, & Martyris; sed antedictum Breviarium Gallo-Siculum duplex die ista repræsentat officium dominicale: alterum Octavæ Visitationis Deiparæ Virginis ad Elisabeth; alterum S. Pancratii. Oct. Visit. B.M.V.

Die x. in eisdem Breviariis, Panormitano, & Messanensi signatur passio septem Sanctorum Fratrum; in Calendario ipsius Panormitanæ Ecclesiæ additur natale S. Felicitatis eorum Matris; nec non & martyrium Sanctarum Rufinæ, & Secundæ Sororum; antedictum Breviarium Gallo-Siculum, & Missales Libri Ecclesiæ Messanensis duplex festum afferunt: unum S. Bonaventuræ Episcopi, & Confessoris, Dominicâ post Octavam Visitationis celebrandum; alterum septem Sanctorum Fratrum. VII. Fratres Martyres. S. Felicitas. SS. Rufina, & Secunda. S. Bonaventura.

Die xi. in Calendario Panormitano occurrit Translatio S. Benedicti Abbatis; in Messanensi manu exarato, natale S. Scholasticæ Virginis; in Messanensi edito, utrumque festum; sed in Gallo-Siculo, solemnitas S. Pii Papæ, & Martyris. Translatio S. Benedicti. S. Scholastica. S. Pius Pap. & M.

Die xii. Breviarium manuscriptum Ecclesiæ Messanensis, ejusque Missales Libri, unà cum Calendario Panormitano, & Breviario Gallo-Siculo habent natale Sanctorum Martyrum Naboris, & Felicis; quibus Collectarium ejusdem Panormitanæ Ecclesiæ præmittit SS. Maurum, & Jasonem Martyres. SS. Nabor, & Felix. SS. Maurus, & Jason.

Die xiii. in eisdem Calendariis Siculis occurrit S. Anacletus Papa, & Martyr. S. Anacletus Pap. & M.

Die xiv. ibidem S. Johannes Papa, & Martyr. S. Johannes Pap. & M.

Die xv. in memorato Collectario Panormita- S. Senator, &c.

tano, ac in pluribus aliis ſacræ vetuſtatis Monumentis ſuperius laudatis, ſignatur certamen SS. Senatoris, Viatoris, Caſſiodori, atque Donati; ſed in Calendario manuſcripto Panormitano, & in edito Meſſanenſi, natale S. Jacobi Epiſcopi, & Theodoræ Virginis.

S. Jacobus Epiſc.
S. Theodora.

S. Euſtachius.
SS. Quiricus, & Julitta.

Die XVI. in utroque Calendario Meſſanenſi, edito, & manuſcripto, & in Gallo-Siculo extat S. Euſtachius Epiſcopus, & Confeſſor; in Panormitano membranaceo in quarto, SS. Quiricus, & Julitta.

S. Alexius.
S. Marina.
S. Martiales.

Die XVII. duplex feſtum conſignatur in antiquis Miſſalibus Libris Eccleſiæ Meſſanenſis, ejuſdemque Breviario manuſcripto in octavo, & in Breviario illo Matthæi Caldo: alterum S. Alexii Confeſſoris; alterum S. Marinæ Virginis; ſed in Calendario Panormitanæ Eccleſiæ, ejuſque Orationali additur tertia ſolemnitas S. Martialis.

S. Arnulphus.

Die XVIII. in eiſdem eccleſiaſticæ eruditionis Tabulis occurrit S. Arnulphus Epiſcopus.

SS. Juſta, & Rufina.
S. Arſenius.

Die XIX. in Calendariis Eccleſiæ Meſsanenſis, & in Gallo-Siculo apparent SS. Martyres Juſta, & Rufina; in Panormitano autem, S. Arſenius Abbas.

S. Margarita.
S. Philibertus.

Die XX. omnes Eccleſiæ Siculæ Codices ſignant natale S. Margaritæ Virginis; unum Calendarium membranaceum in quarto Panormitanæ Eccleſiæ adjungit memoriam S. Philiberti Abbatis.

S. Praxedes.

Die XXI. ibidem extat ſolemnitas S. Praxedis Virginis.

S. Maria Magdalena.

Die XXII. ſequitur celebritas S. Mariæ Mag-

Magdalenæ; in cujus officio ſatis prolixo Benedictiones de B. Maria Virgine, quas edidimus ſupra *(a)*, adhibendas eſſe, præſcribimur in Breviario Gallo-Siculo Matthæi Caldo *(b)*. Eodem die in Miſſali Nicoſienſi anni 1346. manu exarato occurrit S. Wandrageſius Confeſſor. S. Wandrageſius.

Die XXIII. eodem loco notatur S. Apollinaris Epiſcopus, & Martyr; quem in Calendario manuſcripto inſignis Panormitanæ Eccleſiæ comitatur S. Brigida. S. Apollinaris. S. Brigida.

Die XXIV. in antiquis Breviariis, Meſſanenſi manuſcripto, & Gallo-Siculo jam edito, officium celebratur partim de Vigilia S. Jacobi Apoſtoli, partim de S. Chriſtina: quamobrem ad matutinum duæ primæ Lectiones recitantur de Evangelio: *Hoc eſt præceptum meum*. tertia autem de Sancta; ſed in Breviario Eccleſiæ Panormitanæ officium fit dominicale, novem ſcilicet Lectionum, quæ hiſtoriam tantummodò Sanctæ continent. S.Chriſtina

Die XXV. idem Breviarium Panormitanum exhibet duo officia dominicalia: unum de S. Jacobo Apoſtolo, alterum de S. Chriſtophoro Martyre; ſed in Breviario Gallo-Siculo officium S. Chriſtophori tribus ſolùm Lectionibus conſtat. Similis ritus obtinuit ex Breviario manuſcripto Eccleſiæ Meſſanenſis; ubi S. Chriſtophoro adjunctum vidimus S. Cucuphatem Martyrem; ſic etiam in Miſſali Nicoſienſi ſuperiùs memorato. S. Jacobus Apoſt. S. Chriſtophorus. S.Cucuphas.

Die XXVI. in eodem Breviario Gallo-Si- S.Vennera.

(a) *Cap.* 18. *n.* 3.
(b) *Edit. Venetiis anno* 1527. *pag.* 68.

culo duplex extat officium : primum S. Vennerae Virginis , & Martyris , tres continens

S.Anna. Lectiones ; alterum S. Annae Matris Gloriosissimae Virginis Mariae , novem constans Lectionibus , cum Antiphonis , Hymnis , & aliis propriis ; sed in Breviario Panormitano , omisso isto S. Annae , illud exhibetur S. Vennerae , & quidem dominicale .

VII. Dormientes. S. Pantaleon. Die XXVII. in Orationali Panormitanae Ecclesiae , ejusque Calendario occurrit natale Sanctorum septem Dormientium , & S. Pantaleonis ; cujus in Breviario ejusdem Ecclesiae recitatur historia novem comprehensa Lectionibus ; Breviarium Messanense membranaceum in octavo etiam meminit horum Sanctorum Dormientium ; & Gallo - Siculum addit eorum officium cum tribus Lectionibus , & Oratione propria decurrendum .

SS.Nazarius, & Celsus. Die XXVIII. in eisdem Panormitanae Ecclesiae Calendario , Orationali , & Breviario habetur festum Sanctorum Martyrum Nazarii , & Celsi ; Breviaria , Gallo - Siculum , & Messanense addunt memoriam S. Pantaleonis , alioquin praecedenti die celebratam .

S. Martha. Die XXIX. in Missali Ecclesiae Messanensis anni 1527. triplex festum celebratur : primum

S.Sampson. S.Felix,&c. S. Marthae Virginis ; alterum S. Sampsonis Episcopi ; tertium Sanctorum Felicis , Simplicii , Faustini , & Beatricis Martyrum ; Breviaria Panormitanum , & Messanense tertii solummodò festi recordantur ; sed Gallo - Siculum primum atque tertium , omisso secundo , memorat .

SS.Abdon, & Sennen, Die XXX. antiqua Ecclesiae Monumenta repraesentant certamen SS. Abdon , & Sennen ;

Mis-

Missales Libri Ecclesiæ Messanensis addunt secundam Missam Sanctarum Virginum, Fidei, Spei, & Charitatis, & earum Matris Sapientiæ. S.Fides, &c.

Die XXXI. ibidem occurrit natale S. Germani Episcopi, & Confessoris. S.Germanus.

CAPUT XLV.

Officia Sanctorum mensis Augusti.

Die I. solemnis occurrit celebritas Dedicationis S. Petri ad Vincula; Breviarium Messanense, & Gallo-Siculum addunt memoriam Sanctorum septem Fratrum Machabæorum: & quidem non Oratione tantùm, sed tribus Sanctorum Fratrum Lectionibus in secundo nocturno officii S. Petri recitatis; in Calendario Panormitano, & Missalibus Libris Ecclesiæ Messanensis adjungitur ulteriùs memoria altera S. Eusebii Martyris. S.Petrus ad Vincula. VII. Fratres Machabæi. S.Eusebius.

Die II. in antiquioribus Ecclesiæ Siculæ Codicibus consignatur natale S. Stephani Papæ, & Martyris; sed in Missali Messanensi, & Breviario Gallo-Siculo anno 1527. Venetiis apud Junctas editis, extat quoque festum S. Mariæ de Scalis civitatis Messanæ; cujus officium proprium contexuit Octavianus Præconius Sanctæ hujus Panormitanæ Ecclesiæ Præsul dignissimus, ediditque Panormi anno 1565. S.Stephanus PP.& M. S.Maria de Scalis Messanæ.

Die III. Breviarium Messanense, & illud Matthæi Caldo, Orationale etiam Panormitanum, & Missales Libri ejusdem Messanensis Eccle- Invẽt S.Stephani, & sociorum ejus.

clesiæ afferunt Inventionem S. Stephani Proto-Martyris, & Sociorum ejus; quorum nomina recitat Oratio in eisdem ecclesiasticis Libris exhibita, dicens; *Beati Martyris tui Stephani, Nicodemi* (Nicomedi), *Gamalielis, atque Abibon*, &c.

S. Justinus. Die IV. in Calendariis manu exaratis, Panormitano, & Messanensi, in editis etiam, Messanensi, & Gallo-Siculo reperitur S. Justinus Martyr.

S. Dominicus. Die V. Missale Nicosiense anno 1346. pulchrè satis scriptum, memorat S. Dominicum Confessorem, Ordinis Fratrum Prædicatorum Fundatorem; Breviarium membranaceum Panormitanæ Ecclesiæ anni 1452. ejusdem Sancti repræsentat officium novem Lectionum; ritu minus solemni Sanctum hunc venerabatur Messanensis Ecclesia, cujus antiquum Breviarium manuscriptum in octavo præscribit, ut cele-

S. Emigelius. brato officio S. Emigelii, *de S. Dominico solummodo fiat memoratio ad Laudes*; Missale ejusdem Messanensis Ecclesiæ anno 1527. in lucem emissum, tametsi de commemoratione S. Dominici facienda cum præfato Breviario conveniat; discrepat tamen de principaliori solem-

S. Maria ad Nives. nitate: celebrat enim Dedicationem S. Mariæ ad Nives; sed Breviarium Gallo-Siculum ipso eodem anno 1527. typis demandatum, præter officium S. Mariæ, illud S. Dominici etiam dominicale exhibet, cum Invitatorio, Antiphonis, Responsoriis, & aliis metro compositis, decurrendum.

Transfiguratio Domini. Die VI. in Missali Libro Ecclesiæ Panormitanæ sex circiter seculorum notatur festum Transfi-

Transfigurationis Domini nostri Jesu Christi; in aliis Ecclesiæ Siculæ Monumentis, isto recentioribus, duplex additur memoria SS. Felicissimi, & Agapiti, & S. Sixti Papæ, & Martyris; in Breviario Panormitano Lectio v. recitatur de S. Sixto, vi. de SS. Felicissimo, & Agapito, reliquæ verò de Transfigurationis festo; in antedicto Missali Nicosiensi Orationem S. Sixti, quæ *Secreta* dicitur, subsequitur Benedictio uvæ. SS. Felicissimus, & Agapitus. S. Sixtus PP. & Mart. Benedictio uvæ.

Die vii. idem Missale Nicosiense, Breviarium Panormitanum in quarto, & Messanense in octavo consignant S. Donatum Episcopum, & Martyrem; Breviarium Matthæi Caldo, & reliqui Ecclesiæ Siculæ Libri post decimum quintum seculum concinnati, addunt solemnitatem S. Alberti Ordinis Carmelitarum. S. Donatus. S. Albertus.

Die viii. extat natale Sanctorum Cyriaci, Largi, Smaragdi, & aliorum viginti Martyrum. S. Cyriacus, &c.

Die ix. in antiquiori Missali Libro Panormitano membranaceo in quarto nullum exhibetur ecclesiasticum officium; sed in Nicosiensi, & aliis recentioribus extat illud de Vigilia S. Laurentii cum commemoratione S. Romani Martyris. Vigilia S. Laurentii. S. Romanus.

Die x. jam inde ab ultimis Gallicani ritus temporibus maximè celebris extitit in Sicilia festivitas S. Laurentii Diaconi, & Martyris; cujus ad unum recordantur Ecclesiastici Codices vetustiores, simul ac recentiores, manu exarati, & in lucem emissi. S. Laurentius.

Die xi. in Orationali Panormitanæ Ecclesiæ, nec non in triplici Breviario, Messanensi, Pa- S. Tiburtius.

Panormitano ; & Gallo - Siculo occurrit natale S. Tiburtii Martyris ; cujus officium cum duabus Lectionibus de Sancto , & tertia de Octava S. Laurentii ex ritu antedicti Breviarii Gallo - Siculi absolvebatur ; Missale Nicosiense unicam addit commemorationem S. Taurini ; Messanense autem duplicem : S. Taurini , & S. Susannæ.

S.Taurinus.

S.Susanna.

Die XII. ipsum idem Missale Nicosiense anni 1346. aliaque Monumenta Sicula , isto antiquiora , vacant ; Breviarium Panormitanum anni 1452. & Codices alii subinde in lucem emissi , exhibent S. Claram Virginem ; post cujus officium dominicale , alterum S. Eupli Diaconi , & Martyris civitatis Catanæ , tres continens Lectiones , repræsentat Breviarium Gallo - Siculum superius laudatum.

S. Clara.

S.Euplus.

S.Hippolytus, & socii.

Die XIII. in memorato Missali Nicosiensi , aliisque Monumentis Siculis notatur S. Hippolytus Martyr , & socii ejus.

Vig.Assumpt. B.M.V.

Die XIV. ibidem notatur Vigilia Assumptionis Beatæ Mariæ Virginis , in qua totum officium fieri consueverat de Octava S. Laurentii, exceptis duabus primis Lectionibus de Expositione Evangelii : *Loquente Jesu ad turbas* . ita præscriptum reperi in Breviariis, manuscripto Messanensi , & edito Matthæi Caldo ; in illo verò Panormitanæ Ecclesiæ membranaceo in quarto , Invitatorium , Hymni , Antiphonæ , Psalmi , & reliquæ officii partes integræ recitantur de Beata Maria Virgine.

Assumpt. B.M.V.

Die XV. in antiquis omnibus Siciliæ Codicibus occurrit festivitas Assumptionis Sanctissimæ Dei Genitricis Virginis Mariæ ; quæ quoniam

erat

erat Titulus Panormitanæ Ecclesiæ, solemniori in ea ritu celebrabatur: quamobrem, ut in antiquo ejus Breviario præscribitur, post nonam Lectionem Prosa solemniter præcinebatur, & *de festivitatibus* (ejus verba exscribimus) *quæ infra octavam Beatæ Virginis veniunt nihil tunc agitur; sed post octavam fit officium de eis; præter in octava S. Laurentii: fit commemoratio tantùm*.

Die XVI. in Missalibus Libris, Nicosiensi, & Messanensi, in Calendario quoque Panormitano apparet S. Arnulphus Episcopus; in Calendario autem Gallo-Siculo, S. Rocchus Confessor. S. Arnulphus. S. Rocchus.

Die XVII. octava die S. Laurentii ex Calendario Catanensi consignatur Translatio S. Agathæ Virginis, & Martyris è Constantinopoli ad Catanam civitatem Siciliæ; hujusmodi Translationis officium cum Invitatorio, Hymnis, Antiphonis, Lectionibus, & aliis propriis exhibet Breviarium Gallo-Siculum anni 1527. Translat. S. Agathæ.

Die XVIII. in ecclesiasticis Siculorum Tabulis signatur natale S. Agapiti Martyris; cui in Calendario Matthæi Caldo adjungitur S. Genesius, & S. Helena Costantini Magni, Imperatoris piissimi Mater. S. Agapitus. S. Genesius. S. Helena.

Die XIX. in Collectario Panormitanæ Ecclesiæ, ejusdemque Breviario, quibus concinunt alia sanè quam multa Siculorum Monumenta, habetur solemnitas S. Magni Martyris, & S. Ludovici Confessoris. S. Magnus. S. Ludovicus.

Die XX. ibidem S. Bernardus Abbas; cui in uno tantummodò Missali Nicosiensi præponitur S. Philippus Abbas. S. Bernardus. S. Philippus.

S.Philibertus. Die XXI. in Calendario manuscripto Ecclesiæ Messanensis, S. Philibertus Abbas; in edito S. Pirnatus Episcopus, qui rectius in Panormitano inscribitur, *Privatus*.
S. Privatus.

SS.Timotheus, & Simphorianus. Die XXII. octavâ Assumptionis B. Mariæ Virginis, celebrabatur memoria Sanctorum Martyrum Timothei, & Simphoriani.

SS.Timotheus, & Apollinaris. Die XXIII. Vigiliâ S. Bartholomæi Apostoli in Missali Ecclesiæ Messanensis repræsentatur solemnitas Sanctorum Timothei, & Apollinaris Martyrum.

S. Bartholomæus Apost. Die XXIV. consignatur festum solemnissimum S. Bartholomæi Apostoli.

S.Ludovicus. Die XXV. in Missali Messanensi exhibetur triplex festivitas: S. Ludovici Confessoris, Regis Francorum una; S. Audoeni Episcopi altera; tertia S. Rufi Martyris; Calendarium Panormitanæ Ecclesiæ tantùm memorat S. Genesium Martyrem; Collectarium ejusdem Ecclesiæ, Sanctos Audoenum, & Genesium.
S. Audoenus. S. Rufus. S.Genesius.

SS.Irenæus, & Abundus. Die XXVI. idem Calendarium Panormitanum vacat; Messanense tàm manu exaratum, quàm in lucem emissum exhibet SS. Martyres Irenæum, & Abundum.

S.Rufus. Die XXVII. in omnibus antedictis Ecclesiæ Siculæ Tabulis reperimus S. Rufum Martyrem.

S. Augustinus. Die XXVIII. ibidem notatur S. Augustinus Episcopus, & Ecclesiæ Doctor; quem in Calendario Messanensi edito comitatur S. Hermetes Martyr: nam in altero manu exarato S. Hermetes præcedenti die consignatur.
S.Hermetes.

Decollat.S. Jo: Bapt. Die XXIX. eodem loco legimus festum Decollationis S. Johannis Baptistæ; in utroque Calendario Messanensi, & in Gallo Siculo, nec

non

non in Orationali Panormitano additur & S. Sabina Virgo. S.Sabina.

Die xxx. ibidem ſequitur paſſio Sanctorum Felicis, & Adaucti. SS. Felix, & Adauctus.

Die xxxi. ſignatur S. Paulinus Epiſcopus. S. Paulinus.

CAPUT XLVI.

Officia Sanctorum menſis Septembris.

DIe I. in Breviario membranaceo in octavo Meſſanenſis Eccleſiæ exhibetur officium dominicale S. Ægidii Abbatis; in antiquo Miſſali ejuſdem Eccleſiæ, ac in Orationali Panormitano, & in Breviario Gallo-Siculo additur commemoratio S. Priſci Martyris; in Breviario Panormitano anni 1452. commemoratio SS. Martyrum duodecim Fratrum. S.Ægidius. S. Priſcus. XII. Fratres Martyres.

Die II. eadem antiquitatis Siculæ Monumenta conſignant S. Antoninum Martyrem; cui Calendarium Panormitanum manuſcriptum in quarto adjungit S. Abbibum Levitam, & Martyrem. S.Antoninus Martyr. S. Abbibus.

Die III. idem Calendarium Panormitanum, cui concinunt illa Meſſanenſis Eccleſiæ, editum, & manu exaratum, habet Ordinationem S. Gregorii Papæ; ſed Gallo-Siculum, S. Serapiam Virginem, S. Antonium puerum, & alios Sanctos Martyres. Ord.S.Gregorii Papæ. S.Serapia, &c.

Die IV. eadem Calendaria afferunt S. Marcellum Martyrem. S.Marcellus.

Die V. in Breviario, & Miſſali Libro Eccleſiæ Meſſanenſis, in Breviario etiam Gallo-Si- S.Bertinus.

 cu-

culo notatur S. Bertinus Abbas ; ſed in Calen-
S.Victorinus. dario ante præfatum Miſſale edito , & in altero manuſcripto Panormitano , S. Victorinus Martyr.

S.Donatianus. Die VI. in antedicto Calendario Gallo-Siculo , & in utroque Meſſanenſi occurrit S. Domicianus Martyr , qui rectius in Panormitano inſcribitur *Donatianus*.

S.Evurtius. Die VII. in memoratis Calendariis, in Miſſali quoque Meſſanenſi , & Collectario Panormitano extat S. Evurtius Epiſcopus.

Nat. B. M. Virg. Die VIII. in omnibus Eccleſiæ noſtræ Codicibus ſignatur Nativitas Sanctiſſimæ ſemper Virginis Genitricis Dei Mariæ. Singulare eſt illud, quod exhibetur in antiquo Breviario Panormitanæ Eccleſiæ , ubi loco Hymni , *Te Deum* , canitur Proſa . Miſſale Eccleſiæ Meſſanenſis , & Orationale Panormitanum addunt commemo-
S.Adrianus, & ſocii ejus. rationem S. Adriani Martyris ; Calendarium verò Panormitanum , S. Adriani Martyris , & ſociorum ejus.

S. Gorgonius. Die IX. in eodem Miſſali Eccleſiæ Meſſanenſis, ejuſque Breviario, in Calendario etiam, & Orationali Panormitanæ Eccleſiæ extat S. Gorgonius Martyr ; in Breviario Gallo-Siculo additur etiam S. Adrianus , quem Codices alii antecedenti die ſunt venerati.

S.Nicolaus. Die X. Breviarium Gallo-Siculum exhibet officium proprium S. Nicolai de Tolentino ; Calendarium manuſcriptum , & Miſſale jam editum Eccleſiæ Meſſanenſis præmittunt ſacram
S. Audomarius. memoriam S. Audomarii Epiſcopi , & Confeſ-
S.Soſthenes, &c. ſoris ; Calendarium ante memoratum Miſſale Meſſanenſe poſitum , memoriam Sanctorum Mar-

ty-

tyrum Sosthenis, & Victoris; in Calendario autem Panormitano de S. Nicolao ne verbum quidem ullum est; sed hujusmodi exhibentur verba: *Soteris, & Victoris Mar. In Urbe Panormo, & Cosine e.*

Die XI. in Orationali Panormitano, & duplici Breviario, manuscripto Messanensi, & edito Gallo-Siculo consignatur passio SS. Prothi, & Hyacinthi; in Calendario Panormitano, & Missali Messanensi additur commemoratio S. Eliæ Abbatis. SS. Prothus, & Hyacinthus. S. Elias Abb.

Die XII. Calendarium manuscriptum Panormitanum exhibet S. Syrum Episcopum; cui Messanense typis consignatum, socium adjungit S. Iventium Confessorem. S. Syrus.

Die XIII. in Calendariis, & Missali Ecclesiæ Messanensis, in Orationali etiam, & Calendario Panormitanis repræsentatur S. Maurilius Episcopus; sed in Calendario illo Matthæi Caldo, S. Philippus Episcopus, & Martyr, Pater Eugeniæ. S. Maurilius. S. Philippus Ep.

Die XIV. in omnibus Ecclesiæ Siculæ Codicibus reperitur officium Exaltationis S. Crucis cum commemoratione Sanctorum Martyrum Cornelii, & Cypriani, eorum historiâ pro tribus secundi nocturni Lectionibus in Breviariis manuscriptis, Panormitano, & Messanensi recitatâ. Exal. S. Cruc. SS. Cornelius, & Cyprianus.

Die XV. octava die Nativitatis S. Mariæ Virginis in eisdem eruditionis Siculæ Tabulis apparet memoria S. Nicomedis Presbyteri, & Martyris. S. Nicomedes.

Die XVI. ibidem signatur natale S. Luciæ nobilis Matronæ, & S. Geminiani; in antedi- SS. Lucia, & Geminianus.

ctis Orationali., & Calendario Panormitanæ Ecclesiæ, simul & in Missali Messanensi additur

S.Euphemia. commemoratio S. Euphemiæ Virginis, & Martyris.

S.Lambertus. Die XVII. eodem loco notatur S. Lambertus Episcopus, & Martyr; in Calendario tàm

S. Justinus. edito, quàm manu exarato Ecclesiæ Messanensis adjungitur S. Justinus Martyr.

S.Ferreolus. Die XVIII. sequitur in Calendario Panormitano solemnitas S. Ferreoli Martyris.

S. Januarius cum sociis. Die XIX. Breviarium Panormitanæ Ecclesiæ, ejusque Collectarium, unà cum Breviario Gallo-Siculo afferunt SS. Martyres Januarium, & socios ejus; sed utrumque Calendarium Messanense, consignata præcedenti die horum Martyrum solemnitate, hodie exhibet natale S. Nicandri Abbatis, cujus Oratio propria legitur in Missali Messanensis Ecclesiæ.

SS. Dionysius, & Privatus. Die XX. vigiliâ S. Matthæi Apostoli ex Calendariis Messanensibus, & Gallo-Siculo celebrari consueverat martyrium SS. Dionysii, & Privati.

S.Matthæus. Die XXI. solemne celebrabatur festum S. Matthæi Apostoli, & Evangelistæ.

S.Mauritius. Die XXII. in antiquis Breviariis membranaceis, Panormitano, & Messanensi occurrunt S. Mauritius, & socii Martyres; in Collectario Pa-

S. Laurus. normitano additur memoria S. Lauri Episcopi; sed Messanæ, translato in diem sequentem S.

Dedic. majoris Ecclesiæ Messanensis. Mauritii festo, solemnis fiebat memoria Dedicationis Ecclesiæ S. Mariæ majoris, anno 1197. à Bertio (quem alii *Berardum* vocant) civitatis Archiepiscopo consecratæ; ut præscribitur in Calendario ejusdem Ecclesiæ anno 1527. Vene-

netiis edito, & in Breviario Gallo-Siculo Matthæi Caldo eodem anno in lucem emisso.

Die XXIII. ecclesiastici antiquitatis Siculæ Libri exhibent natale S. Theclæ Virginis, & Martyris. S.Thecla.

Die XXIV. de festiva commemoratione die ista consignanda magnum inter antiqua Ecclesiæ Siculæ Calendaria extat discrimen: Panormitanum repræsentat Conceptionem S. Johannis Baptistæ; Messanense manuscriptum, S. Germanum Abbatem; Gallo-Siculum Matthæi Caldo, S. Linum Papam, & Martyrem; Messanense prelo traditum, S. Geremarum Abbatem. Concept.S. Johan.Bapt. S.Germanus. S. Linus PP. S.Geremarus.

Die XXV. ex utroque Calendario Messanensi celebratur S. Firminus Episcopus, & Martyr; ex Gallo-Siculo superius laudato, S. Cleophas Martyr in Castello Emmaus. S.Firminus. S.Cleophas.

Die XXVI. in Breviario Panormitano, & Missali Messanensi extat Oratio propria Sanctorum Cypriani, & Justinæ Martyrum, quorum historiam tribus contentam Lectionibus, legimus in antedicto Breviario Gallo-Siculo. SS. Cyprianus, & Justina.

Die XXVII. sequitur solemnis memoria Sanctorum Martyrum Cosmæ, & Damiani Fratrum. SS.Cosma,& Damianus.

Die XXVIII. in duobus Calendariis, edito, & manuscripto Ecclesiæ Messanensis, in Panormitano quoque, & Gallo-Siculo habetur natale S. Exuperii Episcopi, & Confessoris. S.Exuperius.

Die XXIX. antiqui omnes Ecclesiæ Siculæ Codices signant memoriam Dedicationis Ecclesiæ S. Michaelis Archangeli. Dedic.S.Michaelis Arch.

Die

S. Hieronymus. Die xxx. ibidem notatur celebritas S. Hieronymi Presbyteri, & Ecclesiæ Doctoris.

CAPUT XLVII.

Officia Sanctorum mensis Octobris.

S. Germanus, &c. DIe I. in Missali Libro membranaceo in quarto Panormitanæ Ecclesiæ sexcentis annis antiquiore, in Missali etiam Nicosiensi in folio ab annis circiter trecentis exarato, consignatur natale Sanctorum Germani, & Remigii Episcoporum; quibus SS. Vedastum, & Bavonem socios adjungunt Breviarium Panormitanum anno 1452. scriptum, & alia antiquitatis Siculæ Monumenta eodem fermè tempore, & deinceps concinnata.

S. Leodegarius. S. Piatus. Die II. ibidem occurrit S. Leodegarius Episcopus, & Martyr, quem S. Piatus comitatur in duplici Missali Libro superius laudato, Panormitano, & Nicosiensi.

S. Dionysius. S. Candidus. Die III. Calendaria jam edita, Messanense, & Gallo-Siculum exhibent S. Dionysium Episcopum, & Martyrem; Orationale Panormitanum, S. Candidum Martyrem; Calendarium autem ejusdem Panormitanæ Ecclesiæ repræsentat utrumque.

S. Franciscus. Die IV. in præfato Missali Nicosiensi, & in Codicibus aliis subindè scriptis, notatur S. Franciscus Confessor, Ordinis Minorum Fundator.

SS. Placidus, & socii ejus. Die v. in Breviario Panormitanæ Ecclesiæ; ejus-

ejusque Collectario habetur Oratio Sanctorum Martyrum Placidi, & sociorum ejus; sed in duobus Breviariis aliis, Messanensi manuscripto, & Gallo-Siculo typis jam consignato, integrum legitur novem Lectionum officium.

Die VI. in memoratis tribus Breviariis, Panormitano; Messanensi, & Gallo-Siculo, in duplici item Missali, Nicosiensi, & Messanensi colitur S. Fides Virgo, & Martyr. S. Fides.

Die VII. ibidem ecclesiastici officii venerantur honore S. Marcus Papa, & Sancti Marcellus, & Apulejus. S. Marcus, &c.

Die VIII. in Breviario, & Orationali Panormitanæ Ecclesiæ, in utroque etiam Calendario Messanensi, & in illo Gallo-Siculo Matthæi Caldo invenimus S. Reparatam Virginem, & Martyrem. S. Reparata.

Die IX. omnia venerandæ antiquitatis Siculæ monumenta exhibent officium dominicale SS. Martyrum Dionysii, Rustici, & Eleutherii. S. Dionysius, &c.

Die X. Breviarium Gallo-Siculum, & Calendarium manuscriptum Messanense habent Sanctum Cerbonium Episcopum; cui Messanense editum præponit Sanctos Geronem, & Victorem. S. Cerbonius, &c.

Die XI. ex uniformi Codicum nostrorum consensu solemnis celebratur memoria S. Nicasii Episcopi, & sociorum ejus. S. Nicasius cum sociis.

Die XII. in uno Calendario manuscripto Messanensi, & in Breviario Gallo-Siculo occurrit S. Anastasia Virgo, & Martyr; in altero Messanensis Ecclesiæ Calendario prelo tradito, & in Panormitano adhuc inedito, notantur ulterius Sancti Cyprianus, & Felix. S. Anastasia. Ss. Cyprianus, & Felix.

S. Januarius, &c. Die XIII. in eodem Calendario Panormitano repræſentatur memoria Sanctorum Martyrum Januarii, & Fauſti; quibus Calendarium Meſſanenſe in lucem emiſſum, Sanctum Martialem ſocium adſcribit; ſed illud manuſcriptum unà cum Breviario Gallo-Siculo, & Orationali Panormitano tantummodo exhibent natale Sancti Melani Martyris.

S. Calliſtus. Die XIV. antiquæ omnes Eccleſiæ Siculæ Tabulæ præſeferunt ſolemnitatem Sancti Calliſti Papæ, & Martyris.

S. Antiochus. Die XV. in triplici Calendario, Panormitano, Gallo-Siculo, & Meſſanenſi occurrit S. Antiochus Epiſcopus; at in Meſſanenſi jam publici

LXX. Martyres. juris effecto, coluntur etiam ſeptuaginta Sancti Martyres.

S. Gallus.

S. Marcianus, &c. Die XVI. Breviarium Gallo-Siculum, Calendario manu exarato Meſſanenſis Eccleſiæ adhærens, veneratur S. Gallum Abbatem; Calendarium Panormitanum; Sanctos Martyres Marcianum, & Satyrum; quibus Meſſanenſe publicæ notitiæ ſubmiſſum, ſocios apponit bis centum alios Sanctos Martires.

S. Martha. Die XVII. Collectarium Panormitanæ noſtræ Eccleſiæ memorat S. Martham. Integram

S. Florentinus. de rebus per eam geſtis hiſtoriam legimus in antiquo Breviario ejuſdem Eccleſiæ; ſed utrumque Calendarium Meſſanenſe, & illud Matthæi Caldo exhibent S. Florentinum Epiſcopum.

S. Lucas. Die XVIII. in omnibus venerandæ antiquitatis Siculæ Codicibus tàm vetuſtis, quàm recentibus, editis, & manuſcriptis conſignatur

SS. Ptolemæus, & Lucius. S. Lucas Evangeliſta.

Die XIX. Calendarium Panormitanum eccle-

cle-

clesiasticæ commemorationis honore prosequitur S. Ptolemæum Martyrem; qui in duobus Messanensibus, & Gallo-Siculo S. Lucii Martyris societate gaudet.

Die xx. eadem quatuor Calendaria recordantur S. Caprasii Martyris. S.Caprasius.

Die xxi. in Orationali, & Calendario Panormitanæ Ecclesiæ occurrunt S. Hilarion, & S. Ursula cum undecim millibus Virginum; quarum integrum officium exhibet Breviarium ejusdem Ecclesiæ, & quod post illud concinnavit Matthæus Caldo Presbyter Siculus. S. Hilarion. S. Ursula, & soc. Virgines.

Die xxii. in uno Missali Nicosiensi, & duplici Breviario, Messanensi, & Gallo-Siculo extat S. Romanus Episcopus. S. Romanus.

Die xxiii. ex duobus Breviariis modo laudatis, & ex Orationali Panormitano celebratur memoria S. Severini Episcopi, & Confessoris. S.Severinus.

Die xxiv. Breviarium Gallo-Siculum celebrat natale S. Miniatis; Calendarium Messanense jam editum, S. Felicis Episcopi, & Martyris; Messanense verò manuscriptum meminit utriusque. S. Miniates. S. Felix.

Die xxv. ex omnibus Codicibus Siculis nostræ servitutis pensum consequuntur Sancti Crispinus, & Crispinianus. SS.Crispinus, & Crispinianus.

Die xxvi. sequitur in uno Calendario manuscripto Messanensi memoria Sanctorum Demetrii, Rogativi (*Rogatiani*), & Felicissimi Martyrum; in altero, prelo jam consignato, additur & S. Rusticus; in Panormitano ipsi S. Demetrio socii junguntur Sancti Amandus, Vincentius, & socii; sed in Gallo-Siculo S. Demetrius solus apparet. S. Demetrius, &c.

Die xxvii. vigiliâ Sanctorum Apostolorum S.Florentinus.

Simonis, & Judæ in solis Calendariis Messanensibus reperitur S. Florentinus Martyr.

SS. Simon, & & Juda. Die XXVIII. solemniter celebratur passio Beatorum Apostolorum Simonis, & Judæ.

S. Hyacinthus, &c. Die XXIX. Calendarium Messanense manuscriptum, & Gallo - Siculum venerantur Sanctos Martyres Hyacinthum, Quintum, & Felicianum; quos ex Messanensi in lucem emisso, comitatur S. Lucius; sed Panormitanum, omissis hisce Martyribus, S. Marcellum Martyrem solummodò commemorat.

S. Germanus. Die XXX. in quatuor his Calendariis legitur S. Germanus Episcopus, & Confessor.

S. Quinctinus. Die XXXI. vigiliâ omnium Sanctorum in eisdem Ecclesiasticæ vetustatis Siculæ Monumentis notatur S. Quinctinus Martyr.

CAPUT XLVIII.

Officia Sanctorum mensis Novembris.

Festum omnium Sanctorum. Die I. jam inde ab annis sexcentis omnium Sanctorum festum celebratum in Sicilia esse, discimus ex vetusto Panormitanæ Ecclesiæ Missali membranaceo in quarto, cum Siculorum dominabantur Nortmanni, scripto. Jam verò quod spectat ad singulares hujus diei ceremonias in Missa, & Officio obtinentes, pauca hæc veniunt observanda. Primò ex eodem Missali duplex officio diei addebatur commemoratio: altera S. Benigni Martyris; altera S. Cæsarii Martyris: postremam, omissâ priore, re-

retinent, Miſſale Nicoſienſe annorum circiter quatuor centum, Breviarium Panormitanum anno 1452. ſcriptum, & Codices alii paſſim. Secundò ex eodem perantiquo Miſſali Panormitano ad Miſſam cantari conſueverat Præfatio propria. Tertiò ex Breviario modò laudato ipſius ejuſdem Panormitanæ Eccleſiæ in primis Veſperis Canticum *Magnificat* ter dicebatur. Quartò tandem, ne levia memorare velle videar, Nocturnorum Antiphonæ, Benedictiones, Lectiones, & Reſponſoria ex communi Breviariorum noſtrorum conſenſu erant propria: & quidem prima de Sanctiſſima Trinitate, ſecunda de B. Maria V. tertia de Angelis, quarta de Patriarchis, quinta de Apoſtolis, ſexta de Martyribus, ſeptima de Confeſſoribus, octava de Virginibus, nona de Sanctis omnibus.

Commemoratio omnium Defūctorum.

Die 11. in Eccleſia Sicula, quemadmodum & in aliis valde multis ſolemnis omnium Fidelium Defunctorum, agebatur memoria. De ritibus in celebrando hujus diei officio obſervatis hîc ſolummodo advertimus, ex Breviario Eccleſiæ Meſſanenſis membranaceo in octavo, divini Curſus partim de octava omnium Sanctorum, partim de Defunctis cantari, ſolitum fuiſſe: quocirca nocturnæ Vigiliæ, & matutinæ Laudes dicebantur de Defunctis; Prima, Tertia, Sexta, & Nona decurrebantur cum Pſalmis officii omnium Sanctorum per Verſum *Requiem æternam*, loco *Gloria Patri*, concludendis; quibus finitis, in qualibet Hora dicebantur ulterius Pſalmi *Miſerere*. Et *De profundis*; tùm *Kyrie eleiſon*, *Chriſte eleiſon*, *Kyrie eleiſon*; inde *Pater noſter*, & alii duo Pſal-

Pſalmi : *Lauda anima mea Dominum* : Et *Voce mea ad Dominum* ; poſtea *Requiem æternam* , & alii Verſus cum Oratione *Fidelium Deus* , quibus , præ illius ætatis more , abſolvi conſueverat Defunctorum officium . Veſperæ recitabantur de Defunctis .

S. Benignus. Die III. ex Calendario , & Orationali ipſius ejuſdem Panormitanæ Eccleſiæ obviam nobis procedit S. Benignus Epiſcopus , & Martyr .

S. Vitalis, &c. Die IV. in eodem Calendario Panormitano conſignatur natale Sanctorum Martyrum Vitalis , & Agrigolæ , nec non & S. Amandi Epiſcopi .

S. Trophonia. Die V. in eodem loco notatur S. Trophonia Virgo .

S. Leonardus. Die VI. in antedictis , aliiſque Eccleſiæ Siculæ Codicibus occurrit S. Leonardus Confeſſor cum officio novem Lectionum ejus hiſtoriam continentium .

S. Archileus. Die VII. Calendarium Panormitanum ſuperius laudatum exhibet S. Archileum Epiſcopum .

S. Severus, &c. Die VIII. octavâ omnium Sanctorum in Panormitana , in Meſſanenſi , ac in reliquis Siciliæ Eccleſiis agebatur memoria Quatuor Sanctorum Coronatorum , Severi , Severiani , Carpophori , & Victorini .

S. Theodorus. Die IX. Breviarium illud Eccleſiæ Meſſanenſis manuſcriptum in octavo repræſentat Orationem S. Theodori Martyris ; Gallo - Siculum Matthæi Caldo ſubjungit tres Lectiones proprias ; Panormitanum verò novem , integram Sancti hiſtoriam complectentes .

Die

Die x. in Calendariis, edito, & manu exarato Ecclesiæ Messanensis, in illo etiam Panormitano habetur memoria S. Martini Papæ, & Martyris; cujus rerum gestarum historiam, tribus comprehensam Lectionibus, recitat Breviarium Gallo-Siculum anni 1527. S. Martinus PP. & M.

Die xi. solemnis occurrit memoria S. Martini Episcopi, & Confessoris; cujus officium in Sicilia cum octava celebratum esse, ostendunt antiqua Breviaria, Panormitanum, Messanense, & Gallo-Siculum. Ex Missali Libro Ecclesiæ Messanensis in officio Missæ legebatur Evangelium: *Sint lumbi vestri præcincti* cum *Credo*; ex eodem Missali, & ex vetustiori Panormitano addebatur unica commemoratio S. Mennæ Martyris; ex Calendario autem ante ipsum Breviarium Panormitanum posito, duplex: una S. Mennæ Martyris; altera S. Verani Episcopi. S.Martinus Ep. S. Menna. S.Veranus.

Die xii. idem Calendarium Panormitanæ Ecclesiæ habet S. Paternum Martyrem. S. Paternus.

Die xiii. in antedictis tribus Breviariis, Panormitano, Messanensi, & Gallo-Siculo extat officium S. Bricii Episcopi, discipuli ipsius ejusdem S. Martini; in Panormitano quidem dominicale; in duobus aliis trium Lectionum. S.Bricius.

Die xiv. Calendaria, Messanense jam editum, Panormitanum manuscriptum, & illud Matthæi Caldo memorant S. Serapionem. S.Serapion.

Die xv. omnia Calendaria Messanensis Ecclesiæ venerantur S. Machutum Episcopum; Panormitanum addit ulteriùs S. Patomium Abbatem; sed Gallo-Siculum, his omissis, commemorat S. Felicem Episcopum, & Martyrem. S.Machutus. S.Patomius. S.Felix.

Die xvi. in omnibus Calendariis sæpiùs jam S.Eucharius

jam memoratis reperitur solemnitas S. Eucharii Confessoris, qui in aliquibus perperam nominatur Eleutherius.

S. Anianus. Die XVII. ibidem debito ecclesiasticæ commemorationis honore afficitur S. Anianus Episcopus.

Dedic. Basilicæ SS. Petri, & Pauli. Die XVIII. octava die S. Martini celebrabatur in Sicula nostra Ecclesia officium Dedicationis Basilicæ Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli cum commemoratione octavæ.

S. Elisabeth. Die XIX. solemnis obtinebat memoria S. Elisabeth Viduæ, Hungariæ Reginæ; in Calendario Panormitano additur quoque S. Maximus Presbyter, & Martyr.

S. Maximus.

S. Pontianus. Die XX. in antedicto Calendario consignatur natale S. Pontiani Presbyteri; in Messanensi manuscripto, S. Jacobi intercisi, & S. Johannis Chrysostomi; in edito autem, SS. Amperii (*Ampeli*), & Gaji (*Caji*); sed in Gallo-Siculo, *S. Johannis Chrysostomi, & SS. Ampeli, & Gaji Martyrum apud Messanam Siciliæ*.

S. Jo: Chrysostomus.

SS. Ampelus, & Cajus.

S. Columbanus. Die XXI. in antiquis Missalibus, Ecclesiæ Panormitanæ, & Nicosiensis, in duplici etiam Breviario manu exarato, Panormitano, & Messanensi, omisso festo Præsentationis Dei genitricis Virginis Mariæ, notatur Depositio S. Columbani Abbatis; in Calendariis autem tàm editis, quàm manuscriptis, & in Gallo-Siculo, nec non & in Missalibus ejusdem Messanensis Ecclesiæ utrumque festum exhibetur.

Præsentatio B.M.V.

S. Cæcilia. Die XXII. antiqua Breviaria, Messanense in folio, Panormitanum in quarto, Messanense in octavo, & Gallo-Siculum etiam in octavo

vo admittunt officium dominicale S. Cæciliæ Virginis, & Martyris; ejus Missam exhibent Missale Panormitanum in quarto, Nicosiense in folio, & Messanense tàm in folio, quàm in quarto.

Die XXIII. eadem antiquitatis Siculæ Monumenta agunt de S. Clemente Papa, & Martyre, adhibitâ S. Felicitatis memoriâ. S. Clemens. S. Felicitas.

Die XXIV. in eisdem Panormitanæ, ac Messanensis Ecclesiæ Missalibus, & Breviariis repræsentatur S. Chrysogonus Martyr. S. Chrysogonus.

Die XXV. ibidem, in aliis etiam ecclesiasticis Siculorum Libris solemni colebatur celebritate S. Catharina Virgo, & Martyr; in cujus Vesperarum officio, erudientibus nos Breviariis, Panormitano, Messanensi, & Gallo-Siculo, Psalmi recitabantur de feria, seu de die occurrente; ex Missali Messanensi ad Missam præcini consueverat Prosa. S. Catharina.

Die XXVI. in Calendariis Messanensibus extat S. Linus Papa; in Panormitano adduntur S. Mercurius Martyr, & S. Petrus Alexandrinus Episcopus, & Martyr; cujus Orationem propriam exhibent Breviarium, & Orationale ejusdem Panormitanæ Ecclesiæ. S. Linus, &c.

Die XXVII. idem Calendarium Panormitanum veneratur memoriam S. Maximi Episcopi. S. Maximus.

Die XXVIII. ibidem, in reliquis etiam Calendariis agitur festivitas S. Rufi Martyris. S. Rufus.

Die XXIX. vigiliâ S. Andreæ Apostoli in Missalibus Libris, Panormitano, Nicosiensi, & Messanensibus, in Breviariis quoque, aliisque totius Siciliæ Tabulis recolitur memoria S. Saturnini Martyris. S. Saturninus.

S. Andreas. Die xxx. ibidem ipſe S. Andreas feſtiva celebritate honoratur; ex antiquis Breviariis, Meſſanenſi, & Gallo-Siculo, nec non ex Miſſali Libro ejuſdem Meſſanenſis Eccleſiæ gaudet octavâ.

CAPUT XLIX.

Officia Sanctorum menſis Decembris.

S. Chryſanthus, &c. Die I. Breviarium Gallo-Siculum Matthæi Caldo ſæpius jam laudatum memorat SS. Martyres Chryſantum, & Darium; Calendarium manuſcriptum Meſſanenſis Eccleſiæ, ejuſque Miſſalis Liber adjungit S. Eligium Epiſcopum; ſed Breviarium Panormitanum, & Miſſale Nicoſienſe, omiſſo S. Eligio, S. Maurum afferunt.

S. Candidus. Die II. in antedictis, Miſſali, & Calendario Meſſanenſibus, ſimul & in Calendario Panormitano occurrit S. Candidus Martyr; quem in Calendario præfati Matthæi Caldo comitatur S. Bibina. S. Bibina Martyr.

S. Caſſianus. Die III. Calendaria ſuperius memorata recordantur S. Caſſiani Epiſcopi, & Martyris.

S. Barbara. Die IV. in triplici Breviario, Panormitano, Meſſanenſi, & Gallo-Siculo S. Barbara eccleſiaſtico novem Lectionum officio gaudet.

S. Chriſpina. Die V. Calendarium Panormitanum exhibet S. Chriſpinam Virginem; Gallo-Siculum, S. Saba. S. Sabbam Abbatem; Meſſanenſe manu exaratum utriuſque Sancti celebrat memoriam; ſed

ſed Meſſanenſe typis jam conſignatum, medium inter unam, & alterum refert S. Maximum Epiſcopum. S.Maximus.

Die VI. in antedictis tribus Breviariis exhibetur feſtum S. Nicolai Epiſcopi, & Confeſſoris: in Panormitano quidem ſolemniter cum officio novem Lectionum; in Gallo-Siculo ſolemniùs cum octava, ſed transferendum, ſi in Dominica I. Adventus occurreret; in Meſſanenſi autem ſolemniſſimè, ut neque officio Dominicæ cederet. S. Nicolaus.

Die VII. in duplici Breviario, Meſſanenſi, & Gallo-Siculo habetur officium octavæ S. Andreæ Apoſtoli cum commemoratione Ordinationis S. Ambroſii Epiſcopi, & Confeſſoris; quando in Panormitano habetur officium Ordinationis S. Ambroſii cum commemoratione octavæ S. Andreæ. Oct. S.Andreæ. Ordin.S.Ambroſii.

Die VIII. in antiquis noſtris Codicibus extat feſtum Conceptionis glorioſæ ſemper Virginis genitricis Dei Mariæ; in quo plura habemus memorabili obſervatione digna. Primùm longè ante tempora Sixti IV. qui anno 1471. Pontificatum injit, ejuſmodi celebritas apud majores noſtros agi cæpta eſt: conſignatur enim in Miſſali Eccleſiæ Nicoſienſis membranaceo in folio, anno 1346. pulcherrimè ſcripto. Secundò ipſa eadem ſolemnitas ante Pontificatum memorati Sixti in Sicilia adeo celebris erat, ut inter feſta de præcepto obſervanda, anno 1425. Panormi (a) annumerata fuerit. Tertiò ex Breviario ejuſdem Panormitanæ Eccleſiæ, anno 1452. ma- Concept.S. Mariæ Virg. Feſti antiquitas. Feſtum de præcepto.

Ddd 2

(a) *Supra Cap.* 37. *pag.* 336.

manu exarato, ubi agit de S. Andrea Apostolo, officium ejusdem Immaculatæ Conceptionis ullam commemorationem, etiam Feriæ Adventus, non admittebat. Quartò quæ ex eodem Breviario ad nocturnas Vigilias recitabantur Lectiones, ex quadam S. Anselmi Cantuariæ in Anglia Archiepiscopi exscriptæ erant, titulo ejusdem Epistolæ loco primæ Lectionis adhibito, ita.

Lectiones ad Matutinum.

„ *Lect.* I. Anselmus Cantuariensis Archie-
„ piscopus, & Pastor Anglorum Coepiscopis
„ suis, cunctisque Orthodoxis salutem, & per-
„ petuam benedictionem.

„ *Lect.* II. Conceptio venerandæ Dei ge-
„ nitricis Mariæ, dilectissimi fratres, &c.

Hymnus angelicus.

Quintò tandem, ne omnia referens nimius videar, ex Missali Messanensis Ecclesiæ, anno 1527. prelo tradito (*a*), in officio Missæ ad Gloriam hi versus addebantur.

„ Quoniam tu solus sanctus, *Mariam*
„ *præservasti*. Tu solus Dominus, *Mariam*
„ *fabricasti*. Tu solus altissimus, *Mariam*
„ *sublimasti*.

S. Cyprianus. S. Syrus.

Die IX. in utroque Calendario Messanensi, & in illo Matthæi Caldo signatur S. Cyprianus Abbas; sed in Panormitano, S. Syrus Episcopus.

S. Eulalia.

Die X. quatuor hæc Calendaria venerantur memoriam S. Eulaliæ Virginis, & Martyris.

S. Damasus.

Die XI. eadem Calendaria unà cum triplici Missali Libro, Panormitano, Nicosiensi, & Messanensi consignant natale S. Damasi Papæ.

Die

(a) *Edit. Venetiis apud Junctas pag.* 312.

Die XII. Calendarium Panormitanum, concordantibus Messanensibus, & Gallo-Siculo, memorat SS. Hermoginem, Donatum, & Duodecim alios Martyres. S.Hermogines, &c.

Die XIII. in ecclesiasticis nostris Libris tam manuscriptis, quàm in lucem emissis, ab initio ad finem Gallicani ritus concinnatis, reperitur officium dominicale S. Luciæ Virginis, & Martyris; in uno Calendario Panormitanæ Ecclesiæ additur ulterius memoria S. Eustatii, & sociorum ejus. S. Lucia. S. Eustatius cum sociis.

Die XIV. ipsum idem Calendarium Panormitanum colit S. Anellum (*Agnellum*) Episcopum, & Confessorem Neapolitanum; reliqua autem Calendaria Sicula, S. Nicasium Episcopum, & Martyrem. S.Agnellus. S.Nicasius.

Die XV. in præfatis Calendariis, uno Panormitano excepto, in quo inscriptam reperimus memoriam S. Valeriani Episcopi, agitur octava Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis cum memoria S. Maximini Abbatis. S.Valerianus. Oct.Cōcept. B.M.V. S.Maximinus.

Die XVI. ex uniformi antedictorum Calendariorum consensu celebre habetur natale S. Melchii Episcopi, & Confessoris. S.Melchius.

Die XVII. ibidem notatur S. Ignatius Episcopus, & Martyr. S.Ignatius M.

Die XVIII. eodem loco occurrit S. Anatholia Virgo. S.Anatholia.

Die XIX. sequitur solemnitas S. Nemesii Martyris. S.Nemesius.

Die XX. vigiliâ S. Thomæ Apostoli utrumque Calendarium Messanense, editum, & manuscriptum, cum illo Matthæi Caldo repræsentant SS. Zenonem, & Theophilum. SS.Zeno, & Theophilus.

Die

S.Thomas Ap. Die XXI. satis celebre extat natale ejusdem S. Thomæ Apostoli.

S Theodosius. Die XXII. Calendaria tria, Messanense editum, Gallo-Siculum, & Messanense manuscriptum exhibent S. Theodosium Episcopum.

S.Victoria. S.Servulus. Die XXIII. eadem duo Calendaria Messanensis Ecclesiæ admittunt memoriam S. Victoriæ Virginis, & Martyris; cui in Gallo-Siculo socius adjungitur S. Servulus Paralyticus.

Die XXIV. XXV. XXVI. XXVII. & XXVIII. celebrari solent vigilia, & festum Nativitatis Domini, ac solemnitas S. Stephani, S. Johannis, & Sanctorum Innocentium: de quibus exponendis, propterea quòd egimus supra (a), novum hic sermonem instituere non fuit opus.

S.Thomas. Die XXIX. Breviarium Panormitanæ nostræ Ecclesiæ anni 1452. & Codices alii subinde exarati, habent natale S. Thomæ Cantuariensis Episcopi.

S. Sabinus. Die XXX. in Calendariis Messanensibus, & in Gallo-Siculo celebrantur solemnia S. Savini (*Sabini*) Episcopi.

S.Silvester. Die XXXI. etiam in illis Ecclesiæ nostræ Codicibus, qui antiquitatem sexcentorum annorum præseferunt, apparet festiva celebritas S. Silvestri Papæ.

CA-

(a) *Cap.* 16. *n.* 14. & *cap.* 17. & 18.

CAPUT L.

Missæ communes, votivæ, & diversæ cum ordine Benedictionum.

I. Quoniam quæ Sanctorum festivitates spectant exposita jam sunt, ad Missas communes, votivas, & diversas, ad ordinem quoque Benedictionum describenda calamum adjicere, muneris nostri esse, intelleximus: & primùm quidem ad Missas communes, quæ ex Missalibus Libris Panormitano in quarto sexcentis annis antiquiore, Nicosiensi in folio annorum circiter quadringentorum, & Messanensi in quarto ante ducentos & amplius annos edito, potissimùm exscripsimus. In his primùm occurrit Missa *de Vigilia unius Apostoli*; inde *de natali unius Apostoli*; postea in Panormitano *de vigilia plurimorum Apostolorum*; tùm in tribus omnibus *de uno Martyre*; in Messanensi alia *de uno Martyre Pontifice*; in omnibus *de natalitiis plurimorum Martyrum*; in Panormitano *de uno Confessore*; in Messanensi *de Doctoribus*; eodem loco, & in Nicosiensi *de uno Confessore Pontifice*; ibidem *de uno Confessore non Pontifice*; in Messanensi *de natali unius Abbatis*; in tribus omnibus *de festo plurimorum Confessorum*; in Nicosiensi, & Messanensi *de natali unius Virginis*; in omnibus *de festo plurimarum Virginum*; in Messanensi demum *de natali unius Matronæ*. Missæ Sanctorum communes.

II. Ad Missas votivas quod attinet, singulare est illud, quod exhibet idem Missale Messa- Missæ votivæ per hebdomadam.

sa-

ſanenſis Eccleſiæ: omnes enim totius hebdomadæ dies, officia propria non habentes, obtinebant ejuſmodi Miſſas: Dominica quidem *de Sanctiſſima Trinitate*; Feria II. *pro Fidelibus Defunctis*; Feria III. *de Angelis*; Feria IV. *pro remiſſione peccatorum*; Feria V. *de Spiritu Sancto*; Feria VI. *in honorem S. Crucis*; Sabbatum verò *in honorem B. M. Virginis*. Has Miſſas vel iſto, vel alio ordine celebrandas repræſentat etiam Miſſale Nicoſienſe; ſed Panormitanum illas tantummodò *de Trinitate*, *de Cruce*, *de S. Maria*, *de Angelis*, & *de Fidelibus Defunctis* habet, adjunctis duabus aliis: alterâ *de omnibus Sanctis*; altera *de Sanctis, quorum reliquiæ in ipſa Eccleſia continentur*.

Miſſæ diverſæ ex Miſſali Panormitano.

III. Deinceps quod de diſciplina in celebrandis Miſſis diverſis adhibita, tertio propoſuimus loco, exponamus: in antedicto Miſſali Panormitano ejuſmodi notantur Miſſæ: *pro Papa*; *pro quacumque tribulatione*; *pro pace*; *pro peccatis*; *pro Amico vivente*: altera *pro Amico*; tertia *pro Amico*; *pro caritate*; *pro caritate, & Amicis viventibus*; *pro Amicis, & Famularibus*; alia *pro Amico*; *pro Femina*; *pro tentatione carnis*; *de cordis emundatione poſtulanda*; *pro petitione lacrymarum*; alia *pro quacumque tribulatione*; item alia *pro tribulatione*; *pro peccatis unius hominis*; *pro concordia Fratrum*; *ad vota ſolvendum*; *in tempore belli*; *contra hoſtes*; *pro iter agentibus*; *pro Epiſcopo*; *pro Sacerdote*; *alia Sacerdotis*; *alia Sacerdotis*; *alia Sacerdotis*; *pro Rege*; *contra fulgura, & tempeſtates*; *de pluvia*

via postulanda ; de serenitate postulanda ; pro mortalitate ; in contentione ; pro salute vivorum , & requie Defunctorum ; alia *pro salute vivorum , sive Defunctorum ;* tertia *pro salute vivorum , sive Defunctorum ;* quarta *pro salute virorum , seu Defunctorum ; pro infirmo ; pro infirmo , qui proximus est morti ,* cum Ordine visitationis infirmi , Sacramentum extremæ Unctionis ministrandi , commendationis animæ , & ecclesiasticas Exequias celebrandi ; postea Missa *pro salute Defunctorum ;* alia de eodem argumento ; *pro uno Abbate ; pro Sacerdote ;* alia pro eodem ; tertia pro eodem ; quarta pro eodem ; *pro uno Defuncto ;* secunda , tertia , & quarta pro eodem ; *pro Femina ;* duæ aliæ pro eadem ; *in anniversario Defuncti ;* alia *de eodem argumento ; in Congregatione ; in Cœmeteriis , pro Patre , & Matre ; omnium Fidelium Defunctorum ; judicii aquæ frigidæ , & calidæ , panis , & casei , & ferri calidi .*

IV. In Missali verò Ecclesiæ Messanensis multo plures notantur Missæ , ordine infrascripto : *ad poscenda suffragia Sanctorum ; pro infirmo , pro devotis Amicis ; pro benefactoribus viventibus ; pro confitente peccata sua ; pro Summo Pontifice ; pro Rege ; pro Amico carcerato , seu captivo , pro Inimicis ; Missa generalis S. Augustini pro vivis , & Defunctis ; pro Imperatore ; pro persecutoribus , & malè agentibus ; pro nimiis pressuris ; pro tempore belli ; ad postulandam sapientiam ; ad postulandam spem , fidem , & caritatem ; ad postulandam humilitatem ; ad postulandam caritatem ; ad postulandam patientiam ; Missa de S. Amatore pro*

Missæ diversæ ex Missali Messanensi.

Missis ejus dicendis propria ; de S. Gregorio pro ejus Missis dicendis propria ; pro voto, seu aliqua petitione ; pro Subdiaconibus , Diaconibus , & Presbyteris noviter ordinatis ; pro sterilitate terræ ; pro peste animalium ; pro infirmo , qui proximus est morti ; pro faciendo matrimonio , ut Deus quod melius fuerit disponat ; ad gratiarum actionem ; pro recuperatione terræ Sanctæ ; in honorem Sanctorum, quorum corpora , vel reliquiæ in eadem Ecclesia habentur ; pro Pontifice civitatis , pro Congregatione ; pro pace ; pro semetipso Sacerdote ; pro iter agentibus ; pro remissione peccatorum ; pro quacumque tribulatione ; pro Amico peccatore ; pro devoto ; pro devota ; pro familiaribus ; pro petitione lacrymarum ; contra malas cogitationes ; contra tentationem carnis ; contra persecutores Ecclesiæ , & malè agentes ; alia pro quacumque tribulatione ; alia Missa ut suprà ; pro serenitate aeris ; ad pluviam postulandam ; contra tempestatem ; pro febricitante ; pro vivis , atque Defunctis ; alia *communis pro vivis , & Defunctis , & præsertim in Quadragesima in ferialibus ; de quinque plagis Domini nostri Jesu Christi ,* quæ dicebatur Feriâ VI. quinque accensis cereis ; *de nomine Jesu , & dicitur cum tribus candelis ; de spasmo ; in honorem S. Raphaelis Archangeli pro iter agentibus ; votiva de S. Helia Propheta ; votiva S. Zachariæ Prophetæ ; S. Job Confessoris , & Prophetæ ; pro peste , seu vitanda mortalitate . . . . & omnes audientes debent portare in manu candelam accensam per quin-*

que

que dies, in quibus debet Missa celebrari, & debent semper stare genibus flexis, confessi, & contriti; pro navigantibus: inde *Ordo ad induendum puerum, sive puellam habitum B. Virginis, vel alicujus Sancti pro voto, seu devotione*; alius *Ordo ad exuendum puerum, sive puellam, cùm post annum portaverit habitum pro voto, seu devotione*; tertius *Ordo ad pisandum puerum, sive puellam coram B. Virgine, seu alio Sancto cum cera, seu oleo, & aliis; Missa in agenda pro mortuis*; alia *pro die tertio, septimo, nono, vel quadragesimo depositionis Defuncti; alia ut supra; pro Defuncto Episcopo; pro Sacerdotibus Defunctis, pro Episcopis, & Presbyteris; pro Sacerdote; pro Laico Defuncto; alia; pro benefactoribus; pro Defuncta Femina; pro Patre, & Matre; in anniversario; pro Congregatione; pro his, qui in cœmeterio sunt; alia Missa pluralis pro Defunctis; alia pluralis pro Defunctis; pro Defuncto nuper baptizato; pro cujus anima dubitatur; pro desiderantibus pœnitentiam; pro omnibus Fidelibus Defunctis; Missa devota transfixionis B. M. V. & valet ad impetrandam tribulationum consolationem*.

V. Superest jam nunc de Benedictionibus non nihil dicere: ipsum idem Missale Panormitanum novem tantummodo exhibet, veluti sunt: Benedictio *ignis novi; Elogiæ in Pascha; Agni, & aliarum carnium, panis novi, vini novi, ad omnia quæcumque volueris; Sportæ, & baculi; ad barbas tondendas; ad Clericum faciendum; Sponsi; & Sponsæ*. Illud autem Messanensis Ecclesiæ, Pa-

normitano prolixius, longiorem texit Benedictionum catalogum, scilicet: *Benedictio Thalami; Sportæ, & baculi; Crucis; Agni in Pascha; casei, & ovorum; carnium ovium, vel avium; uvæ, vel ficuum; panis; domus novæ; fructus novi; ad quæcumque volueris; armorum; ad tondendam comam, vel barbam; novi putei; aquæ ad dandum baptismum, quando infans incipit mori*; ensis ad faciendum militem; *ad militem; super Sponsum, & Sponsam; panis, & vini*, quæ intra Missarum solemnia dari solebant Sponsis; *Benedictio secunda post octavam diem* matrimonii; *quando Mulier surgit à partu; & Benedictio navis*.

CAPUT LI.

Hodiernus ritus Romanus quomodo, & quando in Siciliam invectus.

Varii in Sicilia ritus.

I. EX quinque ætatibus, in quas argumenti nostri seriem divisimus, illa postrema est, quæ a tempore S. Pii Papæ v. ad diem istam intercedit. Priusquam enim Romana Ecclesia Sacrosanctæ Tridentinæ Synodi decreto inhærens, unum Liturgiæ, ac Psalmodiæ ordinem cunctis Ecclesiis observandum indixerat, erant pro recitandis divinis Officiis diversæ diversarum Ecclesiarum formulæ: nam religiosos viros non offendebat ceremoniarum imparilitas, ubi fidei, non dubium erat, conservari unitatem. Porrò Ecclesiæ, etsi de Sacrificii substantia

tia omnes invicem convenirent; at de modo tamen offerendi eò magis discrepabant, quò minus locorum finibus conjunctæ erant; imò verò non eò, sed plus satis: cùm multæ etiam ipsæ sibi conterminæ ecclesiastico disconveniebant ritu; quemadmodum de Siculis nostris sat superque clarè monstravimus supra (a).

Ad Trid. Synod. de reformando Breviario Siculorum recursus.

II. Divinorum Officiorum diversitatem hanc eruditissimus ille vir, Franciscus Maurolycus, Messanensis Abbas æquo animo sustinere nequiens, ad Tridentinæ Synodi Legatos, & Antistites anno 1562. Epistolam (b) disertè satis scripsit: quatenus toti Christianorum Orbi unam Apostolica auctoritate precandi, psallendique formulam, duplo melius, quàm antea correctam proponere dignarentur, vulgato precum Ordini *additis* (ejus verba exscribimus) *Lectiunculis*, *Antiphonis*, *Versiculis*, *aliisque pro judicio Doctiorum adornamentis*.

S. Pii V. de usu Breviarii Rom. decretum.

III. Laudabili Siculorum petitioni S. Synodus annuit benignè; verùm instante Concilii fine, ad hanc quoque curam non adjiecit animum; sed optatam Breviarii reformationem ad auctoritatem, judiciumque Romani Pontificis retulit: quamobrem S. Pius Papa V. ad Pontificatum evectus, nihil duxit antiquius, quàm ut unus, idemque Deus uno, eodemque precum apparatu ab universo Catholicorum cœtu laudetur: iccirco ordinem, ritumque Breviarii Romani, magno studio tunc emendati, ab omnibus Christi fidelibus observari præcepit, quæ-

(a) *Cap. 12. per totum.*

(b) *Edita est ad calcem ejus Histor. Sican.*

quæcumque abrogans particularia Breviaria edita, simul ac manu exarata, iis dumtaxat exceptis, quæ vel Apostolicæ Sedis approbatione, vel ducentorum annorum antiquitate gauderent; quæ & in novum Romanum etiam immutari posse permisit, modo, consentiente Capitulo, id facere vellent Episcopi *(a)*.

Usum Breviarii Rom. Siculi admittunt.

IV. Suum precandi, psallendique ritum Gallicanum haud interdictum sibi cognovit Sicilia: utpote quæ quingentis circiter annis illum antiquiorem esse non ignoraret; nihilominus, ut præ quàm Regiones aliæ, in Ecclesiæ Romanæ obedientia promptior videretur, gravi huic sanctioni continuò obtemperandum esse duxit, eodem fermè devotionis testimonio, quo antea Concilii Tridentini decreta acceptaverat, tum urgentibus piissimi Regis Filippi II. literis *(b)*, tùm curantibus Octaviano Præconio Archiepiscopo Panormitano, aliisque Patribus sapientissimis Siculis, qui ipsi Concilio interfuerant. Ex quibus Panormitanus de hujusmodi acceptatione certa posteris testimonia reliquit in sua, quam biennio post conclusum ipsum Tridentinum celebravit, Synodo Diœcesana *(c)*. Singulare est illud, quod hac in re per Syracusanum Episcopum, Hieronymum Bononium factum reperio: Is enim decem ante conclusionem Tridentini annis, videlicet anno

Concilium Trid: in Sicilia acceptatur.

1553.

(a) *Bulla S. Pii V. de Breviar. Rom. Dat. Romæ die 9. Julii ann.* 1568.

(b) *Pragmaticæ Regni Siciliæ Tom.* 3. *tit.* 8. *de offic. Jud. Reg. Monarch. pragmat.* 7. *&* 8.

(c) *Synodus Panormitana anni* 1565.

1553. quæ pridem edita erant primarum Sessionum decreta admisit, atque in Syracusana sua Synodo *(a)* observanda recudit.

V. Sicilia, inquam, S. Pii Papæ V. de novi Breviarii usu decreto paruit laudabiliter. Sanè Johannes Horoscus Syracusarum Episcopus, referente Roccho Pirro *(b)*, *Anno* 1569. 8. *Maji in pervigilio Ascensionis Dominicæ ex jussu Pii V. & Concilii Tridentini, officium Romanum in sua, ac Diœcesis Ecclesiis recitare cœpit, omisso Gallicano, quo antiquitùs utebantur*.

VI. Ipso eodem anno 1569. Alexander Cardinalis Farnesius, Archiepiscopus Monteregalensis in Siciliam navigans, alteram Synodum Diœcesanam in Ecclesia sua coegit; in qua de unitate ritus magnoperè sollicitus, Breviarium Romanum Apostolica jam auctoritate recognitum, interdicto Gallicano, ab omnibus servari sanxit.

VII. Horum vestigia reliqui Siciliæ Antistites præfferunt, paria decreta non uno eodemque tempore; sed quando cuilibet celebrandæ Synodi commoditas suppetit, edentes: Anno itaque 1575. Synodus Mazarensis, ne omnes memorando prolixus sim, Præsule Antonio Lombardo celebrata fuit; quæ intelligens divinæ Liturgiæ, ac ecclesiasticæ Psalmodiæ Libros virorum doctissimorum studio, ac Sedis Apostolicæ auctoritate emendatos, per Diœcesim suam evulga-

(a) *Tit.* 8. *cap.* 2. *Tit.* 10. *cap.* 2. *&* 4. *Tit.* 29. *cap.* 14. *& alibi passim*.
(b) *Notit Eccl. Syracus. ad annum* 1569.

gatos jam esse; districtè mandavit; ut Clericorum nemo, *nisi cum Breviario, & Missali noviter edito*, divina Officia celebrare præsumat (a). Ordinationem hanc anno 1588. in Synodo Messanensi (b) renovavit ipse idem Antonius Lombardo à Mazarensi ad Agrigentinam, ad Messanensem inde Ecclesiam translatus.

Catanensis, ac Cephalæditana Ecclesiæ in acceptando Breviario Rom. reliquis Siculis promptiores.

VIII. Ex omnibus Siciliæ Ecclesiis Cephalæditanam, ac Catanensem excipiamus oportet, quæ ad amplectendum ritum Romanum, Gallicanumque deponendum antedictam Bullam S. Pii V. non expectaverunt: nam Catanensis quinque retrò mensibus *Horas canonicas, & alia divina Officia secundum ritum, & consuetudinem S. Romanæ Ecclesiæ recitare* cœpit. Verba sunt alterius Bullæ ejusdem S. Pii V. (c) dat. Romæ 9. Februarii anno 1568. per quam regularis illius Ecclesiæ status, suppressis Monachis, in secularem, adscito ritu Romano, redactus est. Cephalæditana autem longè prius Romanam disciplinam æmulata, à Gallicano abhorruerat, si credimus Pirro (d), ex antiquis ejusdem Ecclesiæ Tabulis referenti, Franciscum hujus nominis tertium Cephalædii Episcopum anno 1550. vetuisse *suis Canonicis regularibus S. Augustini officium Gallicanum, quod ex more recitabant, ut Romano deinceps uterentur*.

IX.

(a) *Part.* 1. *cap.* 18.
(b) *Part.* 1. *cap. de reformat. Breviar.*
(c) *Apud Jo: Bapt. de Grossis in Decachor. tom.* 1. *chord.* 2. *mod.* 3. *excurs.* 2.
(d) *Notit. Eccles. Cephalæd. ad annum* 1550.

IX. Quapropter decimosexto Christi seculo Gallicanus divinorum Officiorum ritus in desuetudinem abjit, inductusque est hodiernus Romanus; de quo etsi nihil vetustiora sectanti dicendum occurrit; at velim tamen scias, Siciliæ Episcopos privilegio potiri, Sanctos illos, quorum Breviarium Romanum commemorationem omittit, ecclesiastici Officii honore afficere posse, modò cives sint, vel Patroni, aut etiam eorum insignes ibi conserventur reliquiæ; & licet præsenti superior scrupulosior ætas, hoc minime fuerit ausa, vel quòd facultatem sibi factam prorsus ignoraret, vel quòd cognitam jam non planè intelligeret; at ubi eruditus vir Franciscus Bardi singularem lucubrationem illam in lucem emisit *de appositione Sanctorum in Calendario Siculo*, versa, & mutata in benigniorem intelligentiam res est. Sumpsit is argumentum ex Bulla (*a*) Gregorii XIII. qui S. Pii V. prædecessoris sui mentem sano modo interpretatus, declaravit, unamquamque Hispaniæ Ecclesiam (quarum appellatione Siculas venire volunt) eorum Sanctorum Officia celebrare posse, *qui vel illius Diœcesis sunt naturales, vel ejus Ecclesiæ, seù Diœcesis sunt Patroni, vel eorum corpora, seu notabiles reliquiæ in ea Ecclesia, seù Diœcesi requiescunt*.

Siculorum de Sanctis in Calendario suo apponendis privilegium.

X. Siculæ itaque Ecclesiæ, Panormitana potissimùm, & Messanensis, reliquis omnibus celebriores, sane quam multa recitant hodie id genus Officia, quorum catalogum texere, & laboriosum nimis, & utile parum esset. Non

Fff præ-

(a) *Quæ incipit* Pastoralis Officii *dat. Romæ anno* 1573. *die* 30. *Decembris*.

prætermittam tamen noſtro hoc tempore S Pantæni nomen in utriuſque Eccleſiæ faſtis appoſitum eſſe: in Panormitanis quidem, nobis curantibus; in Meſſanenſibus verò, negotium gerente viro natalibus, & eruditione conſpicuo, Andrea Lucchefe, arctiſſimis humanitatis officiis nobis conjuncto.

CAPUT LII.

Singularia quædam in hodiernis Siculorum Officiis.

I. Eccleſiaſtica Siculorum Officia in primo ortus rudimento rudia, & indigeſta, tacitis ſenſim, & ordinatis adoleverunt augumentis; varia tamen ſemper fuere illorum progreſſus, & ætates, donec invecto ordine Romano, variandi licentia ſublata fuit: diſpoſitionibus enim S. Pii Papæ V. cum Epiſcopis aliis unà Siculi inhærentes, ab antiquis, variiſque ſuis formulis, abſtinuere, unum, ut diximus, adoptantes apparatum Romanum, cui hodiè laudabilitèr ſtudent, ſemperque ſtudebunt. Sed fateamur oportet, aliquas, præter Romanum ordinem, noſtrâ hac ætate apud Siculos in uſu eſſe ceremonias, quæ, illæſo ritu Romano, vix poſſent ab eis vel omitti, vel auferri.

Panormitana Eccleſia pro Rege quotidiè precatur.

II. Panormitana hæc Urbs, reliquis Sicilienſibus illuſtrior, utpotè quæ *Prima Sedes*, *Corona Regis*, & *Regni Caput* præfiſcinè nominaretur, & eſſet, Regi proprio benedictionem à Deo precatur quotidiè. Sanè in Miſſæ Canone, poſt Summi Pontificis nomen, illud quoque Regis ponitur;

tur; pro quo *in argumentum amoris, & observantiæ* in Missa tùm solemni, tùm privata Collectam haberi, in diœcesana Synodo sua sanxit Archiepiscopus Jacob de Palafox (*a*); imò dicente Sacerdote Evangelium Sancti Johannis: *In principio erat Verbum*, alternatim canit Chorus Psalmum 19. *Exaudiat te Dominus*; indè Sacerdos stans ante Altare, respondentibus more Romano Ministris, preces cum competenti oratione subjungit. Ritus iste præsenti hoc seculo antiquior non est: institutus enim fuit post solemnissimam Coronationem Victorii Amadei, olim Siciliæ Regis, auctore D. Mamiliano Cajetano Cozio, Cathedralis nostræ Canonico, & ad Regem Oratore. Nova hæc institutio veteri non caret exemplo: apud enim eosdem Panormitanos jam indè ab antiquis temporibus usus invaluit, doctis cœlum precibus fatigare, ut proprio Principi indulgens foret, atque propitium. Sanè in exceptis ex pervetusto Codice in charta membrana Sacelli S. Petri Regii Palatii Panormitani pro Rege Guilielmo I. publicas supplicationes fieri, observat Panormitanæ eruditionis indagator diligentissimus Johannes Maria Amato (*b*). In Codice membranaceo Cathedralis nostræ, cui inscriptio: *Cantus diversi ad usum S. Panormitanæ Ecclesiæ* (*c*) adsunt piæ obsecrationes, publicarum instar Litaniarum, pro Friderico Siciliæ Rege, quas edidimus supra (*d*).

Fff 2 Mes-

(a) *Par.* 3. *cap.* 1. *n.* 8.
(b) *De Principe Templo Panorm. lib.* 13. *cap.* 13. *pag.* 448.
(c) *Pag.* 107. *& seq.*
(d) *Cap.* 14. *n.* 14.

Messanæ varias preces unà cum Latinis celebrāt Græci.

III. Messanensis Ecclesia ex prisco majorum exemplo deductum in morem habet, ut in Circumcisione Domini Episcopo, vel alteri è Canonicorum Collegio majorem Missam solemniter celebranti duo assistant Diaconi, totidemque Subdiaconi: alter Latinus, Græcus alter, suâ quique linguâ Epistolam, & Evangelium cantantes: Præfatio hymno clauditur Seraphico, quem, tacentibus Latinis, Græci cantant ministri; ità Ἅγιος, Ἅγιος, Ἅγιος Κύριος Σαβαώθ *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Sabaoth*, & reliqua, prout in ea, quæ sub S. Johannis Chrysostomi circumfertur Liturgia. Missæ officium esse peractum, uterque prædicat Diaconus, dans astantibus licentiam abeundi: primum Græcus, dicens: ἐν εἰρήνῃ προέλθωμεν. *In pace procedamus*. Tum Latinus his verbis: *Ite missa est*. Feria v. in Cæna Domini ad sacrorum Oleorum consecrationem cum Latinis Presbyteris unus Græcorum simul intervenit, qui idiomate suo dicit: Χαῖρε ἅγιον ἔλαιον *Ave Sanctum Oleum* Χαῖρε ἅγιον χρίσμα *Ave Sanctum Chrisma*. In die Pentecostes Cathedrale Templum Græci Presbyteri advenientes, atque Chorum, instar Canonicorum, ingressi, secundas festi Vesperas solemnitèr canunt. Demum Dominica Palmarum fit utriusque Cleri, Latini, & Græci solemnis Processio ad Monasterium Sanctimonialium S. Salvatoris, olim ritu, ut diximus (a), sermoneque Græcum. Ibi Latinorum Archiepiscopus, Græcorumque Protopapas simul ascendunt ad Altare, ad dexteram ille partem, iste ad sinistram, Evangelium audituri: *Cum appropinquasset Jesus Je-*

(a) *Supra cap.* 8.

Jerosolymis, primum Græcè, tum Latinè à duplici recitatum Diacono.

IV. In Ecclesia Catanensi viget hodie hic mos: ad horarias preces post Nonam, legitur quotidiè Necrologium, continens nomina fratrum, qui ipsa die, exutâ mortalitate, immortalitatem induerunt; additis in fine tribus ab Hebdomadario orationibus, idest: *Inclina Domine*. pro Comite Rogerio: *Deus qui inter Apostolicos*. pro defunctis Sacerdotibus, & *Deus veniæ largitor*. pro cunctis benefactoribus. Piam hanc consuetudinem de recitando Necrologio, non tamen post horam nonam, sed post primam, invaluisse olim apud Monachos, enucleatè demonstrat Johannes Cardinalis Bona (*a*). Hinc orta nobis suspicio ex ritu monastico id Catanenses Canonicos sumpsisse: Ii enim à Nortmannorum adventu ad decimumsextum usque seculum monasticam Benedictinorum disciplinam professi sunt. Videsis Bullam S. Pii Papæ V. de Canonicis his, ad secularem statum redigendis, quam in lucem emisit Johannes Baptista de Grossis (*b*).

Necrologium in Catanensi Ecclesia quotidie legitur.

MO-

(a) *Rerum Liturg. lib. 2. cap. 14. n. 2. de divina Psalmodia cap. 16. §. 19. n. 2.*

(b) *Tom. 1. decacb. chord. 2. mod. 2. excurs. 2.*

IN SEQUENTES MISSAS

PRÆFATIO.

TEmpus nunc eſt ſolvendi fidem; quam de edenda duplici Miſſa Gallo - Sicula ex Miſſalibus Libris, Panormitano, & Meſſanenſibus dedimus ſupra (a). Harum prima Miſſæ illæ à Matthia Flacco Illyrico publicatæ in aliquibus conſonat; in aliquibus Miſſæ à Johanne Cardinali Bona (b) ex Codice Cardinalis Chiſii prelo traditæ; in multis autem utrique diſſimilis apparet. Orationes non unas ex ea, magno eccleſiaſticæ eruditionis detrimento, imperita manus abraſit, alias earum loco recentiori calamo exſcribens; de qua interpolatione Lectorem loco ſuo aptius monere non prætermittemus. Illas utriuſque Miſſæ partes, quæ omnimodam habent ſimilitudinem cum his, quæ in hodierno Miſſali Romano continentur, integras deſcribere non fuit opus: ſufficit enim, ut initialia eorum verba tantummodò afferrentur.

MIS-

(a) *Ca.* 13. *n.* 2.
(b) *In fine Tractatus Rerum Liturgicarum.*

MISSA GALLO-SICULA.

Ex M. S. Codice Panormitano sexcentis annis antiquiore.

„ *CUm præparaverit se ad celebrandum divinum Officium Episcopus, aut Sacerdos, dicat Orationem.*

„ Exue me, Domine, veterem hominem „ cum actibus suis, & indue me novum, qui „ secundum Deum creatus est in justitia, & „ sanctitate.

„ *Cum manus abluuntur.*

„ Largire sensibus nostris, omnipotens Deus, „ ut sicut hîc abluuntur inquinamenta ma- „ nuum, sic à te mundentur interiùs pollutio- „ nes mentium, & crescat in nobis augmen- „ tum sanctarum virtutum.

„ *Ad Amictum imponendum.*

„ Humeros meos Spiritus sancti gratiâ, „ Domine, protege, renesque meos, vitiis „ omnibus expulsis, præcinge, tibi ad sacrifi- „ candum viventi, & regnanti in secula.

„ *Sequuntur Psalmi.*

„ *Psal.* Quam dilecta; *Psal.* Benedixisti; „ *Psal.* Inclina, Domine; *Psal.* Dilexi, quo- „ niam; *Psal.* Credidi propter; *Psal.* De pro- „ fundis; *Psal.* Memento, Domine.

„ *Ad Albam.*

„ Omnipotens sempiterne Deus, te sup- „ pliciter exoro . . . obfuscatorum exutus, al- „ ba veste indutus, te sequi merear ad regna, „ ubi vera sunt gaudia.

„ *Ad*

„ *Ad Zonam*:

„ Præcinge me, Domine, Zona justitiæ, &
„ constringe in me dilectionem Dei, & proxi-
„ mi.

„ *Alia Oratio*:

„ Accinge me, Domine, gladium tuum
„ super femur meum, potentissime, ut virili-
„ ter possim contra inimicos tuos dimicare
„ spe firma veritatis æternæ.

„ *Ad Stolam*:

„ Stola justitiæ circumda, Domine, cer-
„ vicem meam, & ab omni corruptione pec-
„ cati purifica mentem meam.

„ *Ad Casulam*.

„ Creator totius creaturæ, dignare me
„ indignum famulum tuum indumentis justi-
„ tiæ, & lætitiæ indui, ut puris mentibus an-
„ te conspectum tuum assistere merear mun-
„ dus.

„ *Alia Oratio*:

„ Fac me, quæso omnipotens Deus, ita
„ justitiâ indui, ut in Sanctorum tuorum me-
„ rear exultatione lætari, quatenus & emunda-
„ tus ab omnibus sordibus peccatorum, consor-
„ tium adipiscar tibi placentium Sacerdotum;
„ meque tuâ misericordiâ à vitiis omnibus
„ exuas, quem reatus propriæ conscentiæ gra-
„ vat.

„ *Ad Manipulum*:

„ Da, Domine, virtutem manibus meis
„ ad abstergendam omnem maculam immundam:
„ ut sine pollutione mentis, & corporis tibi
„ valeam servire.

„ *Pre-*

„ *Preces sequuntur.*

„ PAter noster. Et ne nos.
„ Ostende nobis, Domine.
„ Deus tu conversus.
„ Fiat misericordia tua, Domine.
„ Ab occultis meis.
„ Ne intres in judicium cum servis tuis, Domi-
„ ne.
„ Sacerdotes tui induantur.
„ Exurge, Domine.

„ *Cum paratus sit, dicat hanc*
„ *Orationem*

„ ROgo te, Deus Sabaoth altissime, Pa-
„ ter sancte, ut me tunicâ castitatis
„ digneris accingere, & meos lumbos baltheo
„ tui amoris ambire, ac renes cordis, & cor-
„ poris mei igne caritatis urere: quatenus
„ pro peccatis meis possim dignè intercede-
„ re, & astantibus populis peccatorum veniam
„ promereri, ac pacificas singulorum hostias
„ immolare; nequaquam, Domine, auda-
„ cter ad te accedentem sinas perire; sed
„ dignare me mundare, lavare, ornare, leni-
„ ter, ac benignè suscipere. Præsta, Pater,
„ per Unigenitum tuum tecum regnantem in
„ unitate Spiritus santi. Per omnia.
„ *Procendo dicat Anth. cum Psalmo.*
„ *Antiph.* Introibo in domum tuam, Do-
„ mine. *Psal.* Judica me, Domine, quoniam.
„ *Antiph.* Introibo, ad altare Dei, ad Deum.
„ *Psal.* Judica Deus, & discerne.

„ *Ante Altare dicat Confessionem* :

„ Domine Deus omnipotens, qui es tri-
„ nus, & unus, & ubique præsens, tibi con-
„ fiteor omnia peccata mea, quæ si non con-
„ fiterer, te tamen latere non possent; quia pec-
„ cavi nimis in cogitationibus, locutionibus,
„ diversisque operibus malis, & multis; &
„ quia ego miser, & miserabilis, Domine,
„ propter duritiam, & nequitiam cordis mei,
„ nisi tu adjuves me, in ipsa peccatorum meo-
„ rum morte perduro, propterea precor te,
„ miserere mei.

„ *Oratio ante Altare dicatur*.

„ Aufer a nobis, Domine, intervenienti-
„ bus istis, & omnibus Sanctis tuis, cunctas
„ iniquitates nostras, ut ad Sancta Sanctorum
„ tuorum puris mereamur mentibus introire.

„ *Alia Oratio*.

„ Conscientiâ quidem trepidâ, omnipotens
„ Deus, ad altare tuum accedo; sed si di-
„ mitto, vereor de inobedientia condemnari.
„ Parce mihi, Domine, indigno famulo tuo;
„ & licet ad celebranda sacrificia semper indi-
„ gnus inveniar, tamen fiduciam de tua miseri-
„ cordia retineo. Pro qua re, Deus omnipo-
„ tens, dignare me paternâ pietate, placido-
„ que vultu respicere, & cordis mei interiora
„ purgare; & si ego reatu culpabilis existo,
„ mearum tamen precum interventu, tibi
„ sint in omnibus mysteria placita, atque sa-
„ crata.

„ *Unde super*.

„ Deus, qui de indignis dignos, de im-
„ mundis mundos, de peccatoribus facis ju-
„ stos,

„ ſtos , munda cor , & corpus meum ab om-
„ ni ſorde , & contagione peccati , & fac me
„ dignum ſancti altaris miniſtrum ; concede
„ propitius , ut in hoc altari , ad quod indi-
„ gnus accedo , hoſtias acceptabiles , atque pla-
„ cabiles offeram pietati tuæ pro peccatis , & of-
„ fenſionibus meis , & pro mihi commiſſis fi-
„ delibus chriſtianis & omnibus circumaſtanti-
„ bus , omnibus familiaritate , vel conſanguinita-
„ te conjunctis , omnibus , qui meam memo-
„ riam in ſuis continuis habent orationibus : &
„ per eum ſit tibi meum acceptabile votum ,
„ qui ſe tibi obtulit in ſacrificium , Jeſus Chri-
„ ſtus Dominus noſter . Qui tecum , &c.

„ *Cum Gloria in excelſis Deo canitur .*

„ Deus , qui non mortem , ſed pœnitentiam
„ deſideras peccatorum , miſerum , fragilemque
„ peccatorem a tua non repellas pietate , neque
„ aſpicias ad peccata , & ſcelera mea , & im-
„ munditias , turpeſque cogitationes , quibus fle-
„ biliter a tua disiungor voluntate ; ſed ad im-
„ menſas miſericordias tuas , & ad fidem , devotio-
„ nemque eorum , qui per me peccatorem tuam de
„ precantur miſericordiam , & quia me indignum
„ inter te , & populum tuum medium fieri volui-
„ ſti , fac me talem , ut poſſim dignè tuam exorare
„ miſericordiam pro me peccatore , & pro eodem
„ populo tuo : & adjunge voces noſtras vocibus
„ Angelorum tuorum , ut ſicut illi te laudant in-
„ ceſſabiliter , & infaticabiliter in æterna beatitudi-
„ ne ; ita nos quoque eorum interventu te merea-
„ mur inculpabiliter laudare in hac peregrinatio-
„ ne. „ *Item alia .*

„ Deus propitius eſto mihi peccatori , quia

„ tu es immortalis, & sine peccato: tu solus Dominus Deus meus: tu es benedictus, qui benedicis omnia. Domine Deus meus indulge mihi indigno famulo tuo, quia peccator, & miser præsumo ad sanctum altare tuum accedere, & invocare te, quia peccavi coram te, & coram Angelis tuis; sed tribue mihi indulgentiam delictorum meorum, & confirma me in fide orthodoxorum, & doce me facere voluntatem tuam omnibus diebus vitæ meæ, omnipotens Deus. Qui vivis.

„ *Cum ponitur incensum in thuribulum.*

„ *Oratio.*

„ Ardore cœlestis inspirationis suæ accendat, & impleat Dominus corda nostra, ad audienda, & adimplenda Evangelii sui præcepta.

„ *Item alia.*

„ In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti benedicatur incensum istud, & acceptabile sit in odorem suavitatis.

„ *Inclinato Diacono crucem facit, dicendo.*

„ Benedictio Dei Patris, & Filii, & Spiritus sancti descendat super te, & aperiat Christus Dominus os tuum dignè, idoneeque ad pronunciandum Evangelium suum.

„ *Diaconus dicat.*

„ Dominus sit in corde meo, & in labiis meis, ut competenter pronuntiem Evangelium pacis.

„ *Perlecto Evangelio, & ablato ad salutandum, dicat.*

„ Per istos sermones sancti Evangelii Filii sui Domini nostri Jesu Christi indulgeat no-

„ bis

„ bis Dominus peccata noſtra.

„ *Oratio*.

„ *Quando Presbyter vertit ſe ad populum*:

„ Orate fratres Dominum pro me miſero „ peccatore, ut meum, ac veſtrum ſacrificium „ acceptabile ſit apud Deum Patrem omnipo„ tentem.

„ *Reſponſio populi*.

„ Suſcipiat Dominus hoc ſacrificium de „ manibus tuis pro peccatis, atque offenſioni„ bus totius populi, qui renaſcitur ex hoc ſa„ cro fonte.

„ *Antequam ſuſcipiantur oblata coram* „ *Altare, dicitur*.

„ Ante oculos tuos, Domine, reus con„ ſcientiæ teſtis aſſiſto, rogare non audeo, „ quod impetrare non mereor. Tu enim ſcis „ omnia, Domine, quæ aguntur in nobis: eru„ beſcimus confiteri, quod non timemus ad„ mictere: verbis tibi tantum obſequimur, cor„ de mentimur, & quod velle nos dicimus, „ nolle noſtris actibus approbamus. Sed par„ ce, Domine, confitentibus: ignoſce peccan„ tibus, & quia meus ſenſus in ſacramentis „ tuis infirmus eſt, & apud te non habent „ verba peccatores ſine crimine, præſta Domi„ ne, ut, ſi ex nobis indignis, & peccatoribus „ duri cordis verba non ſuſpicis, per temetipſum „ nobis veniam largiaris.

„ *Antequam oblata accipiat, dicat* „ *Orationem*.

„ Tibi Domino Deo creatori meo hoſtiam „ offero pro remiſsione omnium peccatorum „ meorum, cunctorum fidelium vivorum, at„ que mortuorum.

„ *Ora-*

„ *Oratio*.

„ Veni sanctificator, omnipotens æterne „ Deus: benedic hoc sanctum sacrificium præ- „ paratum tibi.

„ *Sacerdos oblata accipiat*, „ *& dicat*.

„ Suscipe, sancta Trinitas, hanc oblatio- „ nem, quam tibi offero famulus tuus, & „ presta, ut in conspectu tuo tibi ascendat „ placens.

„ *Antequam ad Altare veniat*, „ *rediens, dicat*.

„ Facturus ego peccator memoriam salu- „ taris hostiæ pro salute totius mundi, cum „ illius dignitatem, & meam intueor fœdita- „ tem, conscientiâ torqueor peccatorum; ve- „ rum quia tu Deus multum misericors es, im- „ ploro, ut digneris mihi dare spiritum con- „ tribulatum, & cor contritum, qui tibi gra- „ tum revelasti sacrificium, ut eo purificatus, „ vitali hostiæ pias manus admoveam, quæ „ omnia peccata mea aboleat, & ea deinceps „ in perpetuum vitandi mihi tutelam infundat, „ omnibusque fidelibus vivis, & defunctis, pro „ quibus tibi offertur, præsentis, & futuræ sa- „ lutis commercia largiatur. Qui vivis.

Hîc Codex reperitur graviter interpolatus; inde sequitur.

„ Suscipe, sancta Trinitas, hanc oblatio- „ nem, quam tibi offerimus pro animabus famu- „ lorum, famularumque tuarum, ut dones eis „ inter sanctos, & electos tuos requiem sem- „ piternam, ut in illorum consortio vitâ per- „ fruantur æternâ.

Hîc

Hic adest alia interpolatio ; postea habetur ,

„ Per omnia sæcula seculorum . Amen .
„ Dominus vobiscum . Et cum spiritu tuo .
„ Sursum corda . Habemus ad Dominum . *Et sequitur Præfatio* .

„ Te igitur , &c. *usque ad ea verba* „ & „ Antistite nostro , N. *Inde sequitur* „ & Re- „ ge nostro , N.

„ Mihi quoque indignissimo famulo tuo „ propitius esse digneris , & me cum his omni- „ bus a cunctis munda delictis , ut vitæ hujus „ prospera , & æternam gloriam percipere me- „ rear . Per Christum Dominum nostrum .

„ Memento Domine , &c.

„ Communicantes , & memoriam veneran- „ tes , &c.

„ Hanc igitur oblationem , &c.

„ Quam oblationem , tu Deus , &c.

„ Qui pridie , &c.

„ Simili modo , &c.

„ Unde , & memores Domine nos tui ser- „ vi , & plebs tua sancta . . . . . Christi filii „ tui , Domini Dei nostri tam . . . beatæ paf- „ sionis , nec non & ab inferis , &c.

„ Supra quæ propitio , &c.

„ Sancte Sanctorum Deus , miserere nobis . *Dicitur ter* .

„ Supplices te rogamus , &c.

„ Memento etiam , Domine , &c.

„ Nobis quoque , &c.

„ Per quem hæc omnia , &c. *cum* „ Pater „ noster .

„ Libera nos , quæsumus Domine , ab om- „ nibus malis præteritis , præsentibus , & fu-

„ tu-

„ turis , & intercedente pro nobis beata , & „ glorioſa , ſemperque Virgine Dei genitrice „ Maria , & electo Archangelo tuo Michaele , „ & beatis Apoſtolis tuis Petro , & Paulo , &c.

„ Per omnia ſæcula ſeculorum . Amen.

„ Pax Domini ſit ſemper vobiſcum . Et „ cum ſpiritu tuo.

„ Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, mi- „ ſerere nobis.

„ Hæc ſacroſancta commixtio Corporis , „ & Sanguinis Domini fiat nobis omnibus ſu- „ mentibus ſalus mentis , & corporis , & ad „ vitam capeſsendam æternam præparatio ſaluta- „ ris.

„ *Oratio*.

„ Domine Jeſu Chriſte , qui dixiſti Apo- „ ſtolis tuis : pacem meam do vobis , pacem „ relinquo vobis , ne reſpicias peccata mea , „ ſed ad fidem Eccleſiæ tuæ, eamque ſecun- „ dum tuam voluntatem pacificare , cuſtodi- „ re, adunare, & regere digneris . Qui cum „ Patre , Spiritu ſancto.

„ Habete vinculum caritatis , & pacis ; „ ut apti ſitis ſacroſanctis myſteriis.

„ Pax Chriſti , & Eccleſiæ Dei abundet „ in cordibus noſtris.

„ *Alia Oratio ad Patrem*.

„ Domine ſancte Pater, omnipotens æterne „ Deus, da mihi Corpus, & Sanguinem Domi- „ ni noſtri Jeſu Chriſti Filii tui, ut merear per „ hoc remiſſionem peccatorum accipere, & æter- „ næ vitæ hæreditatem percipere ſine fine. Per „ eundem.

„ *Ora-*

„ *Oratio ad Filium.*

„ Domine Jesu Christe, Fili Dei vivi, „ qui ex voluntate Patris, cooperante Spiritu „ sancto, per mortem tuam mundum vivificasti: „ libera me, quæso, per hoc sacrum Corpus, „ & Sanguinem tuum à cunctis iniquitatibus „ meis, & ab universis malis meis: & fac me „ tuis semper obedire mandatis, & à te nun„ quam permittas in perpetuum separari. Qui „ vivis.

„ *Salutatio Corporis.*

„ Ave in ævum sanctissima Caro, in per„ petuum summa mihi dulcedo.

„ Domine, non sum dignus, ut intres „ sub tectum meum; sed tantum dic verbo, „ & sanabitur anima mea, & corpus meum.

„ Panem cœlestem accipiam, de mensa „ Domini, & nomen Domini invocabo.

„ Corpus Domini nostri Jesu Christi cu„ stodiat me hîc, & in vitam æternam. Amen.

„ Ave in æternum cœlestis potus, mihi an„ te omnia, & super omnia dulcis.

„ Quid retribuam Domino pro omnibus, „ quæ retribuit mihi: Calicem salutaris acci„ piam de mensa Domini, & nomen Domini „ invocabo.

„ Sanguis Domini mei Jesu Christi custo„ diat me hîc, & in vitam æternam. Amen.

„ Deo gratias: Deo gratias: Deo gra„ tias: Verbum Caro factum est, & habita„ vit in nobis.

„ Lavabo inter innocentes manus meas; „ & circumdabo altare tuum, Domine: ut au„ diam vocem laudis tuæ, &c.

„ Quod ore ſumpſimus , Domine , pura
„ mente capiamus , & de Corpore , & Sanguine
„ Domini noſtri Jeſu Chriſti fiat mihi remedium
„ ſempiternum . Per eundem.

„ Corpus Domini noſtri Jeſu Chriſti , quod
„ ego indignus , & infelix ſumere præſump-
„ ſi , & Sanguis , ex quo potatus ſum , non mi-
„ hi proveniant ad judicium , nec ad condem-
„ nationem ; ſed proſint mihi ad remiſſionem
„ peccatorum meorum : ſit & ad percipiendam
„ æternam (*vitam*) perceptio ſalutaris , coo-
„ perante Domino noſtro .

„ *Oratio* .

„ Placeat tibi , S. Trinitas , &c.

MISSA GALLO-SICULA .

Ex tribus Miſſalibus Meſſanenſibus Venetiis excuſis , uno anno MDXXVII. altero anno MDXXXIV. tertio anno MDXXXVIII.

„ SAcerdos ad Miſſam iturus , dum lavat
„ in Sacrario , vel in domo manus , dicat .

„ Largire ſenſibus noſtris , omnipotens Pa-
„ ter , ut ſicut exteriùs abluuntur inquinamen-
„ ta manuum ; ſic per te mundentur interiùs pol-
„ lutiones mentium , & creſcat in nobis augu-
„ mentum ſanctarum virtutum . Amen.

„ *Ad Amictum* , *Oratio* .

„ Pone , Domine , galeam ſalutis in capi-
„ te meo ad expugnandas , & ſuperandas om-
„ nes diabolicas fraudes . Per Chriſtum . Amen.

„ *Ad*

„ *Ad Albam, Oratio.*

„ Indue me, Domine, veſtimento ſalu-
„ tis, & circumda me tunicâ juſtitiæ. Per
„ Chriſtum. Amen.

„ *Ad Cingulum, Oratio.*

„ Præcinge me, Domine, zonâ juſtitiæ,
„ & conſtringe me charitate tua. Per Chri-
„ ſtum.

„ *Ad Manipulum.*

„ Da mihi, Domine, manipulum in ma-
„ nibus meis, ad extergendas ſordes cordis, &
„ corporis mei: ut ſine pollutione tibi Domi-
„ no merear omnipotenti ſervire. Per Chri-
„ ſtum.

„ *Ad Stolam, Oratio.*

„ Stolâ juſtitiæ circumda, Domine, cer-
„ vicem meam, & ab omni corruptione pec-
„ cati purifica corpus meum. Per Chriſtum.

„ *Ad Caſulam, Oratio.*

„ Jugum tuum, Domine, ſuave eſt, &
„ onus tuum leve: præſta, ut illud portare
„ valeam: quatenus conſequi merear tuam gra-
„ tiam.

„ *Eundo ad Altare, Oratio.*

„ Deduc me, Domine, in via tua, & in-
„ grediar in veritate tua: lætetur cor meum,
„ ut timeat nomen tuum: voluntariè ſacrifi-
„ cabo tibi, & confitebor nomini tuo, Domi-
„ ne, quoniam bonum eſt.

„ *Sacerdos itaque veſtibus ſuis indutus,*
„ *faciat confeſſionem ante Altare, & dicat.*

„ ℣. Adjutorium noſtrum in nomine Do-
„ mini.

„ ℟. Qui fecit cœlum, & terram.

„ ℣. Introibo ad Altare Dei.
„ ℟. Ad Deum, qui lætificat juventutem meam.
„ *Psalmus*. Judica me, Deus, & discerne „ causam meam. *Et sequitur totus*.
„ ℣. Adjutorium nostrum in nomine Do„ mini.
„ ℟. Qui fecit.
„ *Confessio generalis*.
„ Et ego reus, & infelix sacerdos con„ fiteor Deo omnipotenti, & beatæ Mariæ sem„ per Virgini, sanctissimis Apostolis Petro, & Pau„ lo, & omnibus Sanctis, graviter peccasse, per „ superbiam in lege Dei mei, multa mala „ cogitatione, delectatione, omissione, con„ sensu, visu, auditu, verbo, & opere: de omni„ bus peccatis meis dico meam culpam, meam „ culpam, meam maximam culpam. Ideo precor „ beatissimam, & gloriosissimam Virginem Ma„ riam, & omnes Sanctos, orare pro me Domi„ num nostrum Jesum Christum, ut misereatur „ mei.
„ *Et Diaconus respondeat, ut consuetum est*.
„ *Absolutio*.
„ Misereatur vestri omnipotens Deus, & „ dimissis omnibus peccatis vestris, perducat vos „ Jesus Christus cum Angelis suis ad vitam „ æternam. Amen.
„ *Absolutio*.
„ Indulgentiam, & absolutionem omnium „ peccatorum nostrorum tribuat nobis omnipo„ tens, pius, & misericors Dominus. Amen.
„ ℣. Deus tu conversus vivificabis nos.
„ ℟. Et plebs tua lætabitur in te.
„ ℣. Ostende nobis, Domine, misericordiam „ tuam.

„ ℟.

" ℟. Et ſalutare tuum da nobis.
" ℣. Sacerdotes tui induantur juſtitiam.
" ℟. Et Sancti tui exultent.
" ℣. Ab occultis meis munda me, Do-
" mine.
" ℟. Et ab alienis parce ſervo tuo.
" ℣. Domine, exaudi orationem meam.
" ℟. Et clamor meus ad te veniat.
" ℣. Dominus vobiſcum.
" ℟. Et cum ſpiritu tuo.

" *Oremus*.

" Aufer à nobis, Domine, cunctas iniquitates " noſtras, ut ad ſancta ſanctorum puris merea- " mur mentibus introire.

" *Alia Oratio*.

" Nos orantes, & deprecantes exaudi, Do- " mine Jeſu Chriſte, Rex benedicte. Amen. " Pœnitentiam pro peccatis meis. In nomine " Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. Amen.

" *Deinde aſcendens ad Altare, dicat*.

" ℣. Adjutorium noſtrum in nomine Do- " mini.

" ℟. Qui fecit. *Et incipiat Introitum*.

Hic ex Ordine Miſſæ ante unum Miſſale anni 1534. *poſito, cum canitur in Choro* Kyrie eleiſon, *vel* Gloria in excelſis, *Sacerdos in Miſſa ſolemni poteſt, ſi vult, ſecretò recitare Orationem S. Ambroſii Epiſcopi*.

" Summe Sacerdos, & verè Pontifex, &c. *Extat in præparatione ad Miſſam pro opportunitate Sacerdotis, ad calcem hodierni Breviarii Romani edita*.

" *Ad extendenda Corporalia*.

" Altaria tua, Domine virtutum, Rex meus, " &

„ & Deus meus. Beati, qui habitant in domo
„ tua, Domine; in fecula feculorum laudabunt
„ te. Manda, Deus, virtutem tuam, & confirma
„ hoc, Deus, quod operatus es in nobis à templo
„ fancto tuo, quod eft in Jerufalem: tibi of-
„ ferent Reges munera. In nomine Patris, &
„ Filii, & Spiritus fancti. Amen.

„ *Sacerdos ponens vinum in Calice, eum*
„ *non benedicat; aquam vero benedicat, &*
„ *antequam ponat in Calice, effundat parum de*
„ *utroque in terram.*

„ Ex latere Domini noftri Jefu Chrifti exi-
„ vit fanguis; & aquam exiffe perhibetur: &
„ ideo pariter commifcemus, ut utrumque bene-
„ dicere, & fanctificare dignetur. In nomine Pa-
„ tris, & Filii, & Spiritus fancti. Amen.

„ *Benedictio Evangelii.*

„ *Diaconus autem Evangelium dicturus,*
„ *dicat coram Epifcopo, feu Sacerdote genu-*
„ *flexus.*

„ Munda cor meum, & corpus meum,
„ omnipotens Deus, qui labia Ifaiæ Prophetæ
„ calculo mundafti ignito; ita me, Domine rectif-
„ fime, digneris tua fancta miferatione mun-
„ dare, ut fanctum Evangelium dignè valeam
„ nunciare.

„ Jube Domine benedicere.

„ *Et Sacerdos dicat.*

„ Dominus fit in corde tuo, & in ore tuo,
„ & in labiis tuis, ut dignè, & competenter
„ enuncies fanctum Evangelium pacis. In nomi-
„ ne Patris, & Filii, & Spiritus fancti. Amen.

„ *Quando levat pallam fuper Hoftiam, dicat.*

„ In confpectu tuo, Domine, hæc noftra
„ mu-

„ munera tibi placita fiant: ut nos tibi placere
„ valeamus. Per Christum Dominum nostrum.

„ *Quando offertur Hostia.*

„ Grata tibi sit, Domine, hæc oblatio,
„ quam tibi offerimus pro nostris delictis, & pro
„ Ecclesia tua sancta catholica. Per

„ *Quando offertur Calix.*

„ Offerimus tibi, Domine, Calicem salu-
„ taris tui, & deprecamur clementiam tuam,
„ ut ante conspectum divinæ majestatis tuæ
„ cum odore suavitatis ascendat. Per Domi-
„ num.

„ *Ad ponendum Corporale super Calicem.*

„ Veni sanctificator, omnipotens æterne Deus,
„ & benedic hoc sanctum sacrificium tibi præ-
„ paratum. In nomine Patris, & Filii, & Spi-
„ ritus sancti.

„ *Benedictio Incensi.*

„ *Diaconus incensum offerens Sacerdoti*
„ *benedicendum, dicat:* „ Jube Domne bene-
„ dicere. *Et illi respondeat, & benedicat cum*
„ *Cruce, dicens.*

„ Ab ipso benedicaris, in cujus honore
„ cremaberis.

„ *Ad dandum Incensum circa Altare.*

„ Incensum istud à te benedictum ascendat
„ ad te, Domine: & descendat super nos mi-
„ sericordia tua. Dirigatur, Domine, ad te ora-
„ tio mea, sicut incensum in conspectu tuo.
„ Elevatio manuum mearum, sacrificium vesper-
„ tinum. Pone, Domine, custodiam ori meo,
„ & ostium circumstantiæ labiis meis: ut non
„ declines cor meum in verba malitiæ, ad excu-
„ sandas excusationes in peccatis.

„ Ora-

„ *Oratio in cornu Altaris:*

„ Stetit Angelus juxta aram templi, habens
„ thuribulum aureum in manu sua.

„ *Circa Calicem, & Hostiam.*

„ Ascendit fumus aromatum in conspectu
„ Domini de manu Angeli.

„ *Quando Diaconus incensat Presbyterum:*

„ Ignem sui amoris accendat Deus in cordi-
„ bus nostris, & flammam æternæ charitatis:
„ Amen.

„ *Deinde Sacerdos accedens ad cornu*
„ *Altaris lavans manus, dicat.*

„ Lavabo inter innocentes, &c.

„ Kyrie eleison. Christe eleison: Kyrie
„ eleison. Pater noster, &c. *Quo dicto, reverta-*
„ *tur ad medium Altaris, & signet se, & dicat.*
„ In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.
„ Amen.

„ *Inclinet se Sacerdos, ante Altare,*
„ *& dicat.*

„ In spiritu humilitatis, & in animo contri-
„ to suscipiamur, Domine, à te: & sic fiat sa-
„ crificium nostrum, ut à te suscipiatur ho-
„ die: & placeat tibi, Domine Deus meus. In
„ nomine Patris & Filii, & Spiritus sancti. Amen.

„ *Quando offertur Hostia super Calicem.*

„ Suscipe, sancta Trinitas, hanc oblationem,
„ quam tibi offerimus in memoriam incarnatio-
„ nis, nativitatis, passionis, resurrectionis, ascen-
„ sionisque Domini nostri Jesu Christi, & in ve-
„ neratione beatissimæ Dei genitricis Mariæ, &
„ in honorem omnium Sanctorum tuorum, qui
„ tibi placuerunt ab origine mundi, & eorum,
„ quorum hodie festivitas celebratur, & quorum

„ hîc

„ hic nomina, & reliquiæ habentur: ut illis pro-
„ ficiat ad honorem, nobis autem, fidelibus vi-
„ vis, atque defunctis ad salutem: ut illi omnes
„ pro nobis intercedere dignentur in cœlis, quo-
„ rum memoriam facimus in terris. Per.

„ *In Missa pro mortuis*, *Oratio*.

„ Suscipe, sancta Trinitas, hanc oblatio-
„ nem, quam tibi offero pro animabus famulo-
„ rum, famularumque tuarum, & omnium
„ fidelium defunctorum: ut æternam dones
„ eis requiem inter Sanctos, & electos tuos:
„ ut in illorum consortio vitâ perfruantur æter-
„ nâ. Per Christum.

„ In nomine Patris, & Filii, & Spiritus
„ sancti. Amen.

„ *Deinde Sacerdos convertat se ad popu-*
„ *lum*, *&* *dicat*.

„ Orate fratres, & sorores, pro me in-
„ digno famulo Dei, N. ut meum pariter,
„ & vestrum in conspectu Domini acceptum sit
„ sacrificium. In nomine Patris, & Filii, &
„ Spiritus sancti. Amen.

„ *Deinde dicat super Hostiam*, *&*
Calicem.

„ In nomine sanctæ, & individuæ Trini-
„ tatis descendat virtus benedictionis, & con-
„ secrationis super hoc munus oblatum. In no-
„ mine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.
„ Amen.

„ ℣. Domine, exaudi orationem meam.

„ ℟. Et clamor.

„ Oremus.

„ *Et dicantur Secretæ*, *pro ut sunt di-*
„ *ctæ Collectæ in Missa illa*.

I i i „ *Præ-*

„ *Præfatio*.

„ Per omnia fecula feculorum. ℟. Amen.
„ ℣. Dominus vobifcum. ℟. Et cum fpiritu tuo.
„ ℣. Surfum corda, &c.

„ Te igitur, &c. *ufque ad ea verba* „ &
„ Antiftite noftro, N. *tum additur* „ & Rege
„ noftro, N. & omnibus orthodoxis, & apo-
„ ftolicæ fidei cultoribus.

„ *Oratio pro vivis*.

„ Memento Domine, famulorum, famu-
„ larumque tuarum. *Hîc recitantur nomina*
„ *parentum, & familiarium vivorum*. Nec
„ non & eorum omnium, qui mihi confangui-
„ nitate, familiaritate, vel confeffione, &
„ oratione juncti funt, & omnium circumaftan-
„ tium, atque omnium fidelium Chriftiano-
„ rum, quorum tibi fides, &c.

„ Communicantes, & memoriam Sancto-
„ rum venerantes: in primis gloriofæ, femperque
„ virginis Mariæ, genitricis Dei, & Domini
„ noftri Jefu Chrifti: fed & beatorum Apofto-
„ lorum, ac Martyrum tuorum, Petri, &
„ Pauli, Andreæ, Jacobi, Johannis, Thomæ,
„ Jacobi, Philippi, Bartholomæi, Matthæi,
„ Simonis, & Thadæi, Lini, Cleti, Clemen-
„ tis, Sixti, Cornelii, Cypriani, Lauren-
„ tii, Vincentii, Grifogoni, Johannis, &c.

„ Hanc igitur, &c.

„ Quam oblationem, &c.

„ Qui pridie, &c.

„ Simili modo, &c.

„ Unde, & memores, Domine, nos tui
„ fervi, fed & plebs tua fancta ejufdem filii
„ tui Domini noftri tam venerandæ nativitatis,

„ quàm

„ quàm & beatæ passionis, & mortis, nec non
„ & ab inferis resurrectionis, & in cœlos glo-
„ riosæ Ascensionis: offerimus, &c.

„ Supra quæ propitio, &c. *& in fine*
„ sanctum sacrificium veram, & immaculatam
„ hostiam.

„ *Hîc percutiat pectus sum, & dicat ter:*

„ Sancte Sanctorum Deus, miserere no-
bis.

„ *Hîc inclinet se ante Altare, & cancel-*
„ *latis manibus ante pectus, dictat.*

„ Supplices te rogamus, omnipotens Deus,
„ jube hæc perferri, per manus sancti Angeli
„ tui Michaelis in sublime altare tuum, &c.

„ *Alia pro Defunctis.*

„ Memento etiam, Domine, animarum
„ famulorum, famularumque tuarum, N. nec non
„ patris, & matris meæ, fratrum, & sororum,
„ nec non & eorum omnium, qui mihi con-
„ sanguinitate, familiaritate, confessione, &
„ oratione conjuncti fuerint, vel quorum elee-
„ mosynas recepi, seu qui se meis orationibus
„ commendaverunt, & quorum, quarumque
„ commemorationem agimus, & omnium, qui
„ nos præcesserunt, &c.

„ Nobis quoque peccatoribus; &c.

„ Per quem hæc omnia, &c. *cum Ora-*
„ *tione dominica.*

„ Libera nos, quæsumus Domine, ab om-
„ nibus malis, præteritis, præsentibus, & fu-
„ turis, & intercedente pro nobis beata, &
„ gloriosa, semperque virgine Dei genitrice
„ Maria, cum beato Michaele Archangelo tuo,
„ & beatis (*facit cum patena Crucem in vul-*
tu)

„ *tu*) Apoſtolis tuis Petro , & Paulo , atque
„ (*facit Crucem alteram in pectore*) Andrea,
„ cum omnibus ſanctis , &c.

„ *Tenens particulam hoſtiæ in ore Calicis, dicat.*

„ Agnus Dei , qui tollis peccata mundi ,
„ miſerere nobis . *& dicitur ter* .

„ *Ponens particulam hoſtiæ in Calice.*

„ Hæc ſacroſancta commixtio Corporis, &
„ Sanguinis Domini noſtri Jeſu Chriſti fiat mi-
„ hi , & omnibus nobis ſumentibus ſalus men-
„ tis , & corporis : & ad vitam capeſſendam
„ æternam præparatio ſalutaris . Amen.

„ *Oratio*.

„ Domine Jeſu Chriſte , qui dixiſti diſci-
„ pulis tuis : Pacem meam do vobis , pacem
„ relinquo vobis , ne reſpicias peccata mea ,
„ ſed fidem Eccleſiæ tuæ , eamque ſecundum
„ voluntatem tuam cuſtodire (*oſculatur Cor-*
„ *pus*), pacificare (*oſculatur Calicem*), adu-
„ nare (*oſculatur ſiniſtrum cornu altaris*), &
„ regere digneris (*oſculatur dextrum cornu al-*
„ *taris*). Qui cum Patre , e Spiritu ſancto vi-
„ vis , & regnas Deus . Per omnia , &c.

„ *Et dans deinde pacem , dicit miniſtris.*

„ Habete vinculum pacis , & dilectionis, ut
„ apti ſitis ſacroſanctis myſteriis .

„ *Quando oſculatur Diaconus, dans pacem, dicat .*

„ Pax Chriſti , & Eccleſiæ Dei ſemper abun-
„ det in cordibus noſtris . ℟. „ Amen .

„ *Et nota , cùm Clericus dat pacem popu-*
„ *lo , ſingulis dicat* : Pax tecum . *Et ſinguli ei*
„ *reſpondeant* : Et cum ſpiritu tuo . *Inclinatus*
„ *Sacerdos ante Altare , dicat hanc Orationem*
„ *antequam communicet* .

„ Domi-

„ „ Domine sancte Pater, omnipotens æter-
„ ne Deus, da mihi hoc sacrosanctum Corpus,
„ & sanguinem Filii tui Domini nostri Jesu Chri-
„ sti ita dignè sumere, ut merear per hoc, re-
„ missionem omnium peccatorum meorum ac-
„ cipere, & tuo sancto Spiritu repleri. Per eun-
„ dem Dominum nostrum, &c.

Alia Oratio.

Domine Jesu Christe Fili Dei vivi, qui
„ ex voluntate Patris, cooperante Spiritu santo,
„ per mortem tuam vivificasti mundum; libera
„ me per hoc sacrosanctum Corpus, & Sanguinem
„ tuum à cunctis iniquitatibus meis, & ab uni-
„ versis meis malis: & fac me tuis semper obe-
„ dire mandatis: & numquam in perpetuum a
„ te separari permittas. Qui cum Patre, &
„ Spiritu sancto vivis, & regnas per infinita
„ secula seculorum.

„ „ *Deinde genuflectens, salutat Corpus, dicens.*

„ Ave in æternum sanctissima Caro, at-
„ que in perpetuum mihi summa dulcedo.

„ ℣. Deus propitius (*& tribus vicibus di-*
„ *catur, percutiendo pectus suum*) esto mihi
„ peccatori.

„ *Postea accipit patenam cum Corpore, di-*
„ *cens.*

„ Panem cœlestem accipiam de mensa Do-
„ mini, & nomen Domini invocabo.

„ *Et tenens Corpus cum patena in mani-*
„ *bus, dicat.*

„ Ecce, Jesu benignissime, quod cupivi jam
„ video: ecce, Rex clementissime, quod deside-
„ ravi jam teneo: hinc tibi quæso, jungar in

„ cœlis

„ cœlis, qui Corpus tuum, & Sanguinem cum „ omni gaudio, quamvis indignus, ſuſcipio in „ terris. Amen.

„ *Et conſequenter dicat hanc Orationem „ tribus vicibus antequam communicet.*

„ Domine non ſum dignus, &c.

„ *Et ſumens Corpus dicat.*

„ Corpus Domini noſtri Jeſu Chriſti proficiat mihi peccatori in remiſſionem omnium „ peccatorum meorum. In nomine Patris, & „ Filii, & Spiritus ſancti. Amen.

„ *Et quando ſumpſerit, fiat ad Sanguinem „ ſalutatio.*

„ Ave in æternum cœleſtis potus, mihi ante „ omnia, & ſuper omnia dulcis.

„ *Et antequam accipiat Calicem in manu, „ capiat patenam, & cum digito cadere faciat „ in Calicem ſi quid Corporis remanſerit in ea, „ dicens.*

„ Quid retribuam Domino pro omnibus „ quæ retribuit mihi? Calicem ſalutaris acci- „ piam, & nomen Domini invocabo; ſed tu „ Domine, qui dixiſti: Qui manducat Carnem „ meam, & bibit Sanguinem meum in me ma- „ net, & ego in eo, fac me hoc Corpus tuum „ ita bibere, ut peccatorum veniam merear obti- „ nere, & in te manere, & tu in me; ſecun- „ dum proceſſionem tuam, manſionem digneris „ habere. Amen.

„ *Hic ſumat Sanguinem, & ter hauriat, „ & non plus, dicens.*

„ Sanguis Domini noſtri Jeſu Chriſti cu- „ ſtodiat animam meam, & corpus meum in „ vitam æternam. Amen.

„ *Poſt-*

„ *Poſtquam communicaverit, tergat digi-*
„ *tis labia: & vertat ſe ad cornu Altaris cum*
„ *Calice, & capiat vinum, & aquam cum qua-*
„ *tuor digitis in Calice poſitis intus, ut abluat*
„ *eos, dicens.*

„ Corpus Domini noſtri Jeſu Chriſti, quod
„ accepi, & Sanguis ejus, quem potavi in hac
„ hora, obſecro, inhæreat in viſceribus meis,
„ & non mihi veniat ad judicium, nec ad damna-
„ tionem; ſed proficiat mihi ad ſalutem, & ad re-
„ medium animæ meæ in ſecula ſeculorum.
„ Amen.

„ *Et recepto vino, & aqua, lingat digi-*
„ *tos labiis, & pulitore tergat, dicens.*

„ Quod ore ſumpſimus, Domine quæſumus,
„ pura mente capiamus, ut Corpus, & Sanguis
„ Filii tui Domini noſtri ſit nobis remedium
„ ſempiternum. Per Chriſtum Dominum no-
„ ſtrum. Amen.

„ *Et bis hauriat, deſtrum cornu reſpiciens.*
„ *Poſt confirmationem, ſeu perfuſionem tergat*
„ *Calicem pulitore, dicens.*

„ Deo gratias. Deo gratias. Et ſemper di-
„ camus: Deo gratias. Et Verbum caro factum
„ eſt, & habitavit in nobis, & vidimus gloriam
„ ejus, gloriam quaſi Unigeniti à Patre plenum
„ gratiæ, & veritatis.

„ *Poſt celebratam Miſſam inclinet ſe ante*
„ *Altare reverenter, & dicat Orationem.*

„ Placeat tibi, ſancta Trinitas, unus Deus,
„ ſervitutis noſtræ obſequium: & præſta, ut hoc
„ ſacrificium, quod oculis tuæ majeſtatis indignus
„ obtuli, tibi ſit acceptabile, mihique, & omni-
„ bus, pro quibus oblatum eſt, ſit, te miſerante,

„ pro-

„ propitiabile. Qui vivis, & regnas per omnia
„ fecula feculorum. Amen.

„ *Quâ finitâ, Sacerdos osculatur Altare*
„ *in medio; deinde dicat* „ In principio erat Ver-
„ bum. *signans prius sinistrum cornu Altaris,*
„ *& postea seipsum. Et sequitur* „ Salve Regina.
„ *Quâ completâ cum Oratione, dicat hanc An-*
„ *tiphonam cum Psalmo*: Trium puerorum &c.
„ *Psal.* Benedicite omnia. *Psal.* Laudate Domi-
„ num in Sanctis ejus. *Antiph.* Trium puero-
„ rum. *Postea Preces consuetæ, cum quinque*
Orationibus, quarum tres priores eædem sunt,
ac hodiernæ Romanæ; duæ reliquæ hic transcri-
buntur.

„ *Oratio.*

„ Adsit nobis, quæsumus Domine, virtus
„ Spiritus sancti, quæ & corda nostra clementer
„ expurget, & ab omnibus tueatur adversis. Per.

„ *Oratio.*

„ Regi autem feculorum immortali, invisi-
„ bili Deo honor, laus, & gloria in fecula fecu-
„ lorum. Amen.

„ *Post sumptum Sacramentum non est spuen-*
„ *dum per horam; & si necesse fuerit, spuatur*
„ *ubi pedibus calcari non potest ob reverentiam*
„ *Sacramenti.*

F I N I S.

INDEX RERUM.

A

B

Con-

H

I

Ma-

M

N

O An-

O

P

Q

R

S

Stellæ

FINIS.

ERRATA GRAVIORA CORRIGENDA

Pag.	*linea*	*errata*	*corrige.*	*Pag.*	*linea*	*errata*	*corrige.*
15	9	Trinitais	Trinitatis	164	17	æterna	æternam
26	8	fignatenr	fignanter	177	28	omicidii	homicidii
31	33	In fcript	Indefcript.	189	30	duo	duæ
35	20	propriùs	propliùs	200	26	Galiis	Galliis
ibid.	22	Scilia	Siciliæ	207	20	gratuæ	gratiæ
63	19	omnimu	omnium	220	23	commu-nione	communio-nem
78	25	exto	efto	249	23	alius	altiùs
96	31	Sicilienfe	Sicilienfem	282	4	duo	duobus
108	32	canteba-tur	cantabatur	315	26	debie	dubie
121	15	reabantur	rebantur	366	10	millia	mille
132	21	nequiunt	nequeunt	371	3	præfcri-bimur	præfcribitur
141	8	incumbu-erunt	incubue-runt	410	13	augumen-tis	augmentis
152	25	*Hæc*	*Hæ*				

Fratres Deo dilecti, quorum juſſu hoc onus ſubivi, quorumque oramine nunc depoſui, quæſo, ut veſtræ devotæ preces apud Deum obtineant: quatenus, hoc tantillo jacto ſemine, uberes ſegetes, Chriſto incrementum dante, ſurgant; & omnes in eo laborantes copioſum fructum in gaudio metant. Ex Tractatu, qui *Gemma Animæ* inſcribitur Lib. 4. cap. 118.